
JACOBI MARTORELLII
NEAPOLITANI
DE REGIA THECA
CALAMARIA
IN REGIA ACADEMIA
LITTERARUM GRÆCARUM PROFESSORIS
SIVE
ΜΕΛΑΝΟΔΟΧΕΙΩΙ
EJUSQUE ORNAMENTIS
LIBER PRIMUS.



F. La Marra Inv. et Sculp.

NEAPOLI MDCCLVI.
SIMONII FRATRES TYPOGRAPHI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO

INFANTI HISPANIARUM

BEATISSIMO REGI NOSTRO

OPTIMOQUE PRINCIPI

CLEMENTIÆ PIETATIQUE EJUS
SEMPER DICATISSIMUS
JACOBUS MARTORELLIUS.



TRAMENTARIUM vaſculum, REGUM OPTIME, ſingulare, elegantiſſimum, & longa ævitate venerandum uni cimeliarchio Tuo, quod jam ad ceterorum Principum invidiam increvit, deſtinabatur, atque hac beatitate temporum cum tellus deſiderio Tuo, & liberaliſſimo antiquitatum ſtudio appladeret, quod tot ſæculorum curſu celaverat, ac ſinu foverat, Tuo jam ſubjecta imperio in vitales auras lubens emiſit; & quaſi intimo ſenſu percita illud non ex vulgaribus, omnique ornamentorum genere deſertis, ſed primorum ſiderum luce, quo par eſſet tan-

Digitized by Google

tantæ Majeſtati, fulgentiſſimum, quæ una deerat, in tot veteres gazas Tuas ingerere feſtinavit. Neque porro verendum, ne huic parile ſerior ætas proferat, cum ſpes ſit mera, ut id genus organa tum principibus metallis, tum dialium planetarum elegantibus imaginibus, maxime ſi Auroram pro vice Solis addam, commendatiſſimum exſpectent.

Grande hujus vaſculi pretium cum Tutemet penſitaſſes, & providentiſſime noſſes, eo quod cetera Regum gazophylacia carerent, neminem ex antehac doctis viris id inſtrumentum ne parvula quidem lucubrationis cura exornaſſe, imo nec nomen adhucdum ſcrutatos eſſe, id honeſtiſſimi oneris mihi demandatum eſt, quod quatuor poſt annis opus abſolutum, & plurima ipſius vaſculi nomina ex unaquaque veterum Scriptorum lingua collecta, atque ætas circa Trajani tempora, poſſeſſor aſtronomus, & faber, Neapolitani ſcilicet, divinati.

Si vero, REX CELSISSIME, in tantam molem commentarium auctum intuearis, (quem tanti pendant univerſi, quanti valet in affabre depictis tabulis umbra,) tum eximio vaſculi, ejuſque ornamentorum dignitati conjunctæ cum utilitate, tribuendum; tum quod uberrima de eo dicendi meſſis mihi primo colligenda, a tot anteceſſoribus eruditiſſimis viris infra poſita, derelicta ſit. Commendandus præterea mihi fuit atramenti, ejuſque receptaculi uſus apud gentes vetuſtiſſimas, etiam barbaras; quorum ope ad nos ſcientiarum, atque artium omnium diſciplinæ tranſmiſſæ, ſapientum conditæ leges, ob teſtamenta chartis ſcripta, (nam ceratæ tabellæ inter fabulas a me amandatæ ſunt,) ſervata familiis latifundia, exarata medentum juſſa; demum Regum geſta

Digitized by Google

ſta poſteris tradita ; præſertim tot Majorum Tuorum ; & Tua etiam , REGUM MAGNANIME , jam bene multa egregia facinora atramento illita ſunt , quæ per orbem volitantia contemplantur omnes, quo ſine ad tot Principum detrimentum intimis tenebris obfuſcarentur, nunc ope hujus organi duratura in animis omnium, in æternitate temporum, in fama rerum.

Ipſe autem cum hæc geſta ſingulatim commeminiſſe potis non ſim , unum ſeligam , Regiam nempe munificentiam, qua ex ternis urbibus Tuis Veſuvii cineribus obrutis theſaurum veteri omne genus ſupellectili , maxime picturis, ac innumeris Græco, & Latiali atramento ſcriptis codicibus adeo ſpectabilem comparaſti, ut ab extimis terrarum orbis finibus ſagacioris ingenii gentes ad illum inviſendum gregatim confluant, & tumultuentur: & quamplurimis, præter marmoreas, æneis effoſſis ſtatuis domum Tuam ad prodigium exornaveris Septimium Severum Imp. æmulatus, quem ex iiſdem oppidorum abditis locis ſexcenta ſignorum pondera , curantibus Sæmilano Campaniæ conſulari , & Chryſantio architecto ad ſuarum thermarum celebritatem Romam translata erexiſſe , ac dedicaſſe nos docuit nuper a me repertum marmor , divitiarum trium everſarum urbium vehemens teſtimonium (*).

Atque horum veterum monumentorum diuturnum deſiderium Tuum cum primis demirati ſumus , & laudibus undique celebramus, quod viros ingenio, litteris, omnique bona arte egregios ſelegiſti, qui ea doctis commentariis in laborioſis voluminibus in lucem mox edendis exornant, quibus lucubrationibus ſibi famam augent; at-

(*) Marmor affertur, ac illuſtratur in additam. pag. xxxvi.

que

Digitized by Google

que amor, ac vota iſthæc Tua majorem fiduciam, ac robur aſſument ad multiplicem externarum gentium gratulationem. Neque ſapientiori Viro id operæ commendare potuiſſes, quam, qui ut taceam pectus recti tenax, atque erectum, ac ſublime ingenium in utriuſque Regni, & quæ ad ceteros Europæ Principes pertinent, negotiis explicandis non ſine probatiſſima, (quod eſt difficillimum in tanto regimine,) omnium ordinum, & tot ſubditarum Tibi gentium gratulatione, etiam in Herculanenſium vetuſtatem religione, & litteratorum cultu ſpeciem excelſæ, magnæque gloriæ vehementiſſime appetit.

Verum, DOMINE, id unum vereor, ne, ſicuti vaſculum hoc tantæ raritatis pignus audit, tantaque luce fulget, quantam a ſeptenis argenteis planetis mutuatur, ipſe ejus dignitati hac perenni lucubratione pretium, ac decorem minime conciliarim, nec novo nitore cumularim: attamen quid illuſtrius, ac luculentius adjici poſſet, quam quod Tuum ſit, clariſſimoque Tuo Nomine honeſtetur, ac ſplendeat?

Ceterum id magni intereſt, ut ad Deum immortalem noſtra omnium vota, & grates convertantur, quod Te, ac Conjugem Tuam Auguſtam diu ſervavit, ac tutatus eſt, & ſaeratiſſimam Domum beata PROLE donavit, auxit, firmavit, cui feſtive in Veſtras virtutes exſurgenti, atque in Avorum decora adoleſcenti, nil poſthabito rerum vetuſtarum cultu, longa poſt annorum ſerie regimen, & imperium ad populorum felicitatem commutetur, quo deinceps etiam eorum geſta, ac nomen, ſcriptis ſexcentenis voluminibus, ad ſeram ævitatem, atque ad futurorum Principum exemplum demandentur.

Digitized by Google

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ,

In queis Regii atramentarii vasculi historia, totius operis ordo atque argumentum; quædam etiam ἀπολογητικά recensentur.



Calamaria theca, quam Græci felicius dixere μελανοδοχεῖον, *adeo parvi momenti negotium tot eruditissimis viris visum est, ut licet ad minima quævis veterum instrumenta illustranda opes ingenii sui universas effuderint, hoc unum veluti infra ponendum, ac nil curandum rati sint, quare vel quolibet brevi commentario desertissimum cernimus, imo ne nomen quidem Latinum scrutari antehac adlaboratum est. Id oneris igitur cum mihi servatum sit, novamque, ac intentatam materiem repererim, nil mirum fore quisque exputet, si ex non unius linguæ Scriptoribus sat multa corraserim, & in grandem molem bina volumina increverint; quin miretur potius, si tanta de id genus* σκιλαρίοις *dicendi copia exuberet, cur tot doctissimi* ἀρχαιολόγοι *ea vascula posthabuerint, nihilque pensi fecerint: quare id unum affatim nunc me delectat fore ut, si tantum opus nil prosit, nec idonea complectatur, quæ animos legentium trahent, saltem rei novitate excutient, ac percellent. Interea, unde mihi scribendi facultas oblata sit, ac rerum ordinem* διὰ βραχέων *accipias.*

Prope urbem Turricium hoc jam πολυβόητον *vasculum an.* 1745. *erutum est ex veteri sepulcro, dum rusticus vir cum liberis paternum ruſculum exercebat in vico, qui vulgo* Mons viridis *nomine salutatur, nihilque longe abest a Trajana via. Turricium autem visitur quatuor mill. pass. ab Hadriæ mari: ab ortu Butuntum habet, ab occasu Rubos, quos Hor. in suo itinere meminit: ab arcto Melfictum, a meridie urbem, quæ vulgo audit* Altus murus, (*vetus nomen firment indigenæ.*) *Turricium licet multis nominibus urbs sit jam florentissima, majorem famam sibi conciliat, eo quod hoc omnibus partibus insigne atramentarium dederit, ita ut* Turricianum *dicant universi: sane non una sunt oppida, quod monumentum vetustatis protulerunt, eorum rumor maxime incaluit, uti Eugubium, & Heraclea, ambæ urbes ob tabulas, illud Etruscas, hæc Græcanicas, (quas Mazochius laborioso, atque affatim docto commentario condecorat), & Tiriolum oppidum ob æream laminam Bacchanaliorum festa vetantem, Matthæi Ægyptii nostri adnotationibus illustrem, ut reliqua taceam. Scias nunc communi Italorum lingua appellari* Terlizzo, *sed populares vocitant* Turrizzo: *& Turris est pro urbis signo* διακριτικῷ.

Ne credas Turricium inter Apuliæ urbes felicioribus sæculis ignotum, nam a doctissimis viris duplex saxum summa fide exscriptum ad me

Digitized by Google

transmissum est, in quorum primo, licet fragmentum sit, nec sententia ulla vigeat, tamen nomen urbis aperte tenes:

...I·VIÆ FIL TVRRI...
...I·IT.....D·CCCVI....

Extrema hæc στοιχεῖα *legas* OCCVBVIT. *Verum alteram epigraphen, quæ in saxo illius regionis scalpta est, lato pedes binos circiter, alto fere unum cum dimidio, quod superiori ætate Josephus Allegrettius reperit propter Trajanam viam, vides illam nil inelegantem, & ob acerbum Phœnicii Curvi fatum nobilem: advertas, præter orthographiæ erratum in voce* Phœnicius, *inesse quasdam litteras præter Æ simul adnexas, queis carent typographi:*

C·PHENICIVS·CVRVVS·SICVLVS·C·F·M
D·TRA·IMP
AD·V·P·CONS·OP·PRÆ
IS
CVM·SALT·TVRRICII·ADVENIS
NON·MAI·PER·AB·IOVE·PER
REP·EXHOR·TEMP
VIX·A·XXXIX

Quam ita interpretor, Cajus Phœnicius Curvus Siculus, Caji fil. mensor divi Trajani imp. ad viam publicam consularem operi præfectus: is cum saltum Turricii adveniisset nonis maji, percussus ab Jove periit, repente exorta tempestate; vixit ann. XXXIX. *Ne hæreas, si Trajanus ante obitum* divus *salutetur, quando id tenes a Grut.* 46. 1. Deo Herculi pro salute divi Trajani, &c. *atque a nummis, vid. Mediobarbum: miror id reticuisse Dionem. Eleganter scalptum*, ad viam pub. cons. operi præfectus, *uti dicitur*, servus ad cyathos, ad vestem, procurator ad prædia, &c.

Quo hujus præclari epigrammatis Turriciani γνησιότητα firmem, huic simillimum adjiciam, quod exscripsit a Menetrierio Mazochius in epist. de dedic. sub ascia p.27. in adnot. D. M. et. memoriæ. aeternae. Ausidi. Militaris. qui. vixit. ann. XXI. cujus. suprema. talia. fuerunt. hic. iens. in. curam. per. amnem. Arar. subito. casu. abreptus. hunc. tumulum. posuit. L. Ignius. Charito. sororius. ejus. et. Claudianus. Dulcicius. soror. sibi. posterisq. suis. et. sub. ascia. dedicavit. *Vides eodem stilo, ac sententia utrumque titulum expressum, & Phœnicium, ac Ausidium ambos præter fatum, sed dispari sorte, illum siquidem ab cælesti igne, hunc in undis Araris fl. periisse. Grandem civerunt salivam tum Menetrierio, tum Mazochio voces illæ* iens in curam; *primi sententiam ne cures, alterius studium est, ut sistat τὸ* in curam *accipiendum in ea notione, unde dicti sunt* curiosi, *scil. qui cursus publici, & littorum curam gerent,*

rent, ne quis illicitas merces exportaret, recitatque sat notas leges cod. Theod. unum doleo virum summum edicere huc pertinere jus curarum *in cod. Justinianeo, sed locum non protulit, vereor ne* κατὰ μνήμλω *id dictitaverit; præsertim cum ea verba sint in cod. Theod. lib.* 12. *tit.* 10. *l. un. Quare vult, ut Ausidius munere* curiosorum, *&* διοπτήρων *per Ararim functus sit: verum nunquam reperire est vocem* cura *in notione* ἀναζητήσεως, *qua si unquam Latini usi essent, Salmasius harum vocum vigil* διοπτὴρ *nobis obtuliisset, qui in Hist. Aug. to.* 1. *de hac* ῥήσει curiosi *eruditionis plenas non unas implet pagellas* 105. 106. *vid. etiam ib. Casaubonum p.* 15. *quos duoviros fugisse Mazochium multæ cuivis admirationi futurum reor. Verum licet sæpe codex Theodos. vocem* curas *meminerit, semper plurativo num. utitur; imo & cum verbo* agere *conjungit nempe in* agendis curis, *hinc sollemnis* ῥῆσις curagendarii: *quare nemo dixerit id ignorasse epigrammatis auctorem; & notum sat est, quanto intervallo distent* operæ *ab* opera, vigiliæ *ab* vigilia, *sic* curæ *a* cura. *Cum igitur* τὸ in curam *secundum doctiss. viri sententiam ab mente auctoris epigraphes longe sit, ipse meticulosus parva admodum mutatione, & fortasse quis veram credat, reficerem* incuria, *scilicet, dum Ausidius juvenis summa* ἀμελείᾳ, *& negligentissimus per Ararim iret, subito casu abreptus est; quam conjecturam si acceptes, perenni adnotatione saxum non indiget, cum certum sit provide & curate per flumina præsertim navigandum: idipsum accidisse constat Antinoo adolescenti per Nilum forte* ἀμελέστατῳ *eunti, vid. Hist. Aug. p.* 135. *& Cassium p.* 1160. *v.* 95. *edit. Reim. & ipse Mazochius de fide exscriptoris marmoris addubitat, dum* Dulcicius *in* Dulcissimus *liberius immutat.*

Sed a semita in viam: vides Turricium beata Trajani ætate jam nobile, exstructumque prope Trajanam viam: quare licet sit urbs vetustate sat spectabilis, nunc, quod atramentarium hoc vasculum in lucem emisit, illius fama longius pervagatura est, eritque ejus λόγος ἅπανταχῆ, *uti de alia urbe canit Euripides in Iphig. in Taur. v.* 517. *Sane ab rustico illo facile sibi vasculum tanti pretii comparavit Felix Pauvius, tunc temporis illius urbis Archidiaconus, nunc ob merita ejus, Regisque munificentiam Episcopus Tropæensis, qui id genus gazas vigil conquirebat, & auro carius servavit: inde Neapolim hoc tanti pretii pignus secum attulit, quo hujus principis urbis doctissimi viri, quodnam cimelion esset, & quidnam septenæ illæ icunculæ præseferrent, divinarent; qui an theca calamaria esset, ampliandum rati sunt, illa vero parva numina Œdipo digna edixerunt: Romam etiam caute perlatum, illi* ἀρχαιολόγοι *in sententiam Neapolitanorum euntes ad possessorem anxie exspectantem divinationem organum cum inanibus litteris transmiserunt. Tandem Agnellus Avitabilis ex summi ingenii jureconsultis Neap. qui & in Latiari sermone nil inepte molitur, ut amico sibi Pauvio gratum quid, & acceptissimum faceret, hanc epistolam sat concinnam, & humanitatis*

tatis ac laudis plenam ad Mazochium harum antiquitatum veluti promum condum miſit, quo eo de vaſculo, atque imagunculis perdiu verbis rogatum, ac reſtitantem aliquid ſcripto extorqueret.

Eruditiſſimo clariſſimoque viro Alexio Symmacho Mazochio
Agnellus Avitabilis S. D.

Cum incerta variaque adhuc ſint eruditorum virorum judicia de atramentario, ſive quod aliud ſit antiquitatis monumentum, quod tibi ante hos paucos menſes ejus poſſeſſor Felix Pauvius, vir moribus, ac doctrina praeſtantiſſimus velut obiter conſiderandum tradidit; tibi denuo mittendum duximus, ut maturius perpenderes, & controverſiam omnem, quonam ſcilicet in pretio habendum ſit, cujuſve generis apud antiquos inſtrumentum fuerit, ſupremus arbiter definires. Novi ego, Vir clariſſime, quantis occupationibus perpetuo diſtinearis, quamque adeo graviter feras a ſeverioribus ſtudiis tuis vel parumper abduci atque abſtrahi; attamen ut id a te contenderem, eximia cumprimis poſſeſſoris virtus effecit, quam cum antehac Apulorum fere omnium ſermonibus efferri audiſſem, nunc demum ea hic perfrui contigit. Tanta ſane ejus eſt vel doctrina praeſertim in rebus ſacris, vel morum probitas atque ſuavitas, ut paucorum ferme dierum conſuetudine ita me ſibi devinxerit, ut jam ejus cauſſa omnia me velle ſentiam. Equidem, quae tua eſt humanitas, atque in bonos ac litteratos voluntas, id quicquid eſt oneris, leviter ferendum duces: ſic erit profecto, ut una eademque opera ejuſmodi viro morem geras, mihique rem gratiſſimam facias. Vale, kal. Febr. an. 1750.

Huic diſertiſſimae epiſtolae haec repoſuit magnus Mazochius, quae ob viri auctoritatem continuo typis edita ſunt.

Agnello Avitabili Viro amiciſſimo ac doctiſſimo
Alexius Symmachus Mazochius S. D.

Percommode mecum actum judico, quod monumentum illud quavis gaza pretioſius (ſive Atramentarium, ſive aliud quidvis fuerit) quod ante hos tres, quatuorve menſes, veluti in tranſitu conſiderandum ſuus poſſeſſor praebuerat, iterum contrectare, & attentius contemplari beneficio tuo, Vir ornatiſſime, quiverim. Quod monumentum, cuivis uſui mancipatum fuerit, certe quantilibet pretii χειμήλιον eſſe, vel ipſae operis elegantiſſimi imagunculae, quibus ambitur, teſtantur, quae praeter elegantiam, etiam ad perſcrutandam antiquitatem ſalivam ingentem ciere queant. Dignum profecto, quod in magnorum principum cimeliarchiis recondatur. Et poſſeſſori quidem, uti ſcis, nemo id poteſt eripere, quin pro ſcriptorio inſtrumento, quod Atramentarium dici ſolet, haberi debeat. Quod & ei libentiſſime dedi, & nunc etiam do. Etſi non deſunt, qui contradicant, rati dubium eſſe, utrum ejuſmodi ὄργανον ad continendum atramentum apud antiquos fuerit, ad quod ſignificandum nulladum

pro-

Digitized by Google

prodita Latina dictio a quoquam reperiatur. Ac fateor equidem in Latinis, quibus nunc utimur lexicis, nullum ejusmodi vocabulum recensseri. At vetera lexica sive Latina, sive Graeca eo nomine non carebant. Testes hic advoco Glossas veteres tum Cyrilli Graeco-Latinas, tum Philoxeni Latino-Graecas, quas post Henr. Stephanum Carolus Labbeus edidit, quae sexto Christi saeculo vix esse recentiora ex pluribus indiciis ostendere possem, si id agerem. In hisce igitur veteribus lexicis ATRAMENTARIUM, & ATRAMENTALE legitur, quibus vocibus Graece μελανδοχεῖον, & κελαμάριον respondent. In quodam Graeco apud H. Stephanum epigrammate hoc ipsum Μελανδόχος κίστη, h. e. *Arca ad atramentum recipiendum* vocatur. Fuere igitur apud veteres ejus instrumenti vocabula, haud minus certe, quam res ipsa, quam satis Divinus Paulus, & alii testatam reliquerunt. Verum ut eo redeam, cujusvis generis hoc instrumentum fuerit (utinam benigniori manu tractatum nullam injuriam sustinuisset) dignissimum certe virorum Principum gazophylaciis reputo. Illud nescio cur praetermiserim, in eodem instrumento haud dubia atramenti vestigia deprehendi, etsi multis partibus studio deterta fuerint. Vale, prid. Id. Febr. an. 1750.

Lectis his Mazochii verbis, adhuc desiderio angitur unusquisque, an vasculum sit atramentarium, & quaenam sit Deorum illa ἐβδομάς, *id quod deperibant noviſſe & Pauvius, & Avitabilis, civesque universi, licet* attentius, *ut ipse fatetur*, contemplatus esset: *imo ex hac epistola quisque facile dubitet, an Mazochius crediderit fuisse apud veteres atramenti* σκευάριον· *id unum nemo concoquet rerum nomina non a veteribus Scriptoribus trium veterum linguarum, sed a lexicis multae lectionis virum corrogare, & eo quod* atramentum *olim viguerit, testem dare Latiarem vocem ab interpretibus appositam epistolae Divi Paulli. Ceterum isthaec Mazochii verba nostro operi praemittere magni mihi duco.*

Paucis post diebus etiam mihi ab vasculi possessore illud contemplandi facta est copia, & ejus animum erexi, cum ex similibus imaginibus, & anthologiae testimoniis re ipsa κειμήλιον hoc esse ex vero, & prisco nomine thecam calamariam, *atque ea numina planetas septenos firmaverim; quare me prensare, & multis affectari coepit, ut brevi commentario id elegans, rarumque organum ad patriae decus exornarem: tandem ut amicorum honestissimo facerem satis, ad opus aggredi placuit; & atramentarii schema, quod infr. ante pag. 1. vides, incidendum curavi. Accidit autem, ut unum ex hujus vasculi schematibus ad Regem D. N. pervenerit, cujus ardorem in id genus λείψανα norunt universi, cumque laudibus commendasse certior factus esset Pauvius, ita ut haud sibi honestior quaerenda fuisset res, lubentissimus majestati, ac munificentiae Regis organum obtulit: interea mihi etiam imperatum est, ut coeptum opus urgerem: atque in Regiae liberalitatis partem ac pretium ascitus sum.*

Atque isthoc fuisse felix atramentarii fatum διὰ βραχέων *datum est.*

Si

Si autem ejusdem σκευαζίε descriptionem optes, bonis coloribus appositam, utpote opportuniorem primis hujus operis pagellis invenies. Necnon si quanti pretii, quantæque raritatis sit hoc cimelion scire etiam aveas, extremas pag. 735. & seqq. consulas, ubi multis id prædicatum est, quas rogaris, ut adeas, rem tibi futuram voluptati spondeo, meque eadem sæpe inculcandi onere eximes. Nunc simili breviloquentia totius operis argumentum, & ingenium accipias. In binos libros omne hoc atramentarium negotium dispensatum est, & librorum quisque fere in parilem capitum numerum distractus: in iisque sanequam perspicuum ac lucidum ordinem nitescere deprehendes, quem ipse præ rebus ipsis deamo: quare ne summa a mediis, nec media ab imis discreparent, & ut opus ad quod propositum est, apte festinaret, laboratum a me est. Et sane in librorum primo γενικῶς materiem omnem, quæ ad vascula atramentaria pertinet, complexus sum: in altero ἰδίως hujus Regiæ thecæ calamariæ ornamenta me persecutum tenes, atque hæ siquidem sunt binæ principes operis partes. Itaque initio propterea quod quidam χειμηλίων veterum seri provisores patientissimas meas aures obtundere, & populo imponere nil veriti sunt Regium vasculum non esse atramenti *receptaculum, sed* unguenti, *quo loquacibus istis os obstruerem, paucis, non enim vindice dignus erat nodus, patefactum est veteres nunquam in ære servasse unguentum: inde testibus quibusvis vehementibus firmavi esse atramenti organum, gentesque omnes Hebræas, Ægyptias, Græcas, ac Latinas etiam remotissimæ ætatis papyros, vel membranas eo liquore pinxisse, & siqua Scriptorum loca contra stare viderentur, sententiæ ingenitæ reddita sunt, interpretum, & scholiastarum ignoratione detecta: atque unos Latinos, & quasdam gentes barbaricas cera, sive tabellis ceratis perquam raro usas patefactum est. Præterea nunc primum multa argumentorum vi, quæ nisi incredulus oderit, aperui omnes syngraphas, & testamenta a Romanis minime in tabulis ceratis, uti doctissimi quique juris interpretes in animum induxere, exarata, sed in chartis scripta, & vocem* tabulæ *in juris σώμασι esse τροπικῶς accipiendam: hinc pro re nata de γραφικαῖς medentium schedulis ad pharmacopolas missitandis non pauca edisserui, occasionem mihi præbente sat eleganti medici scribentis, (non tabellionis,) anaglypto.*

Pretium operæ inde ratus sum atramentariorum vasculorum negotium propius attingere, quare ab Hebræis, Græcis, ac Latialibus voluminibus eorum nomina non una florentissimæ ætatis collegi, nec animum despondi, licet in superna epist. Mazochius ὁ πάνυ dictitarit ad id vasculum significandum nullam dum proditam Latinam dictionem a quoquam reperiri: *quare vides ab veterum linguarum τελάδι ea nomina facile, & περαττῶς a me arcessita, nec in iis scrutandis tam acutum cernere mihi opus fuit; & quo omni atramentaria re perfungerer, etiam ab lutulentis earundem linguarum insipientis ætatis Scriptoribus barbaras*

ras ejuſdem organi nomenclaturas quavis jucunditate deſertus ipſe veſtigare adniſus ſum, & bene multas huic operi allevi, ut vites. Demum eo quod Anthologiæ liber ſeptena epigrammata ſcriptoria, ſive potius atramentaria *dicas, mihi præſtitit, longiori commentario ad ea oneranda aggredi placuit, quæ utpote luxatiſſima, & inficete verſa, ſananda mihi fuere, & μετρικῶς Latine etiam data ſunt fere κατὰ λέξιν. Ne autem ſemper inter atramenta verſarer, ſed legentium animos allicerem, pro prioris partis coronide prolixius πάρεργον de veterum librorum σχήματα ac forma adjectum eſt; neque eum ſermonem ἄκαιρον dicas, etenim quoniam multiplici argumentorum, ac teſtium ope quadrangulam fuiſſe evici, illos atramento ſcriptos fatearis neceſſe eſt. Vides igitur me in prima hac voluminis parte in atramentaria materia totum fuiſſe, & quæ cœpta eſt inſtitui, ab ea nil exiiſſe alieni, ut quid aſſutum conqueraris: mihique gaudeo, quod* atramentum, *ejuſque* vaſcula *veluti poſtliminio revocata ſint, cum antehac illa oblitiſſimi poſthabuerint univerſi.*

Altera operis portio grandior ſiquidem, cum rerum varietate, tum elegantia lectu jucundior eſt, & inter planetarum ordines nos verſari ſinit, atque intentata ab omnibus via mihi terenda fuit: cernere eſt enim Regium organum ſeptem principibus argenteis aſtris ſplendentiſſimum, non quo ad cæli ordinem, ſed ſecundum dierum ἑβδομαδικῶν ſeriem: quare ingens labor mihi exſudandus fuit, quo veſtigarem, quando cœpti ſint dies a planetis vocitari, & cur cæleſtis planetarum ſtatus, ac τάξις in illam dierum immutata ſit. Cum autem in theca hac calamaria Saturnus primas agat, & Scriptores omnes ipſum ultimo ſeptenorum ſiderum loco ſtiterint, communis hic error detectus eſt, atque collectis undequaque monumentis, hunc in priſtinam, ac honeſtiſſimam ſedem reſtitui. Inde nil brevem ſermonem attexui ſat opportunum, in quo per partes ſuas ſingulas atramentarii icunculas, earumque ſymbola, ac vitem auream illuſtrare haud piguit, præſertim Auroræ σχημάτιον, quæ hoc cimelion ſingulare, & ſummi pretii reddit.

Scias autem, cum repererim Neronis numiſma, quod mihi præſtitit Ficoronius, tribus metallis, uti Regium atramentarium, illuſtre, me ad æternam παρέκβασιν, ſive excurſum proceſſiſſe, atque, utpote bonis conjecturis Neapoli nummum illum cuſum ratus ſum, ad hujus urbis veterem fortunam, ac πολιτείαν deſcribendam aggreſſum eſſe; hujus ſat prolixi, æque ac jucundi argumenti me nunquam pœnitebit, quippe qui multiplici rationum vi Regiam thecam calamariam Neapolitani artificis ingenium, & opus fuiſſe firmavi; quare noſtræ urbis res, nomen, ac regimen, quanta elegantia floruerint, palam facere nil ſupervacuum & alienum etiam quivis difficilis ac moroſus exputabit. Ad id etiam amicorum ſelectiſſimi impulere experti nunc tempora priſcæ Neapol. reip. decori ac elegantiæ ſat infeſta, & docta volumina omnium manibus teri,

in

Digitized by Google

in queis veterem Græcanicam victitandi rationem, Atticos noſtrates lepores, libertatemque ipſam longe celerius peſſundata legere eſt, quam monumenta teſtantur; & in ſanctas fratriarum *noſtrarum nominum relquias ab Athenienſibus beatiſſime acquiſitas ſævitum eſſe, ac inter barbarica illiberalis ſæculi vocabula amandatas; quare me ad hæc omnia* ἀπολογεῖσθαι *veluti facto agmine coegerunt ajentes ſatis diu protractum eſſe ob tantorum virorum auctoritatem grande Neapolitanorum patientiæ documentum; cum nunquam, ſi occaſio naſcatur, liceat patria decora tacere, atque oblivi ſci; quare tenes urbem noſtram liberam, &* Ἀττικωτάτην, *& nil dubium eſſe, quin fuerit vivax Athenarum ſpecies & imago; rejectis porro oppido inviſis Græcæ, & liberrimæ civitati, etiam bene multis poſt Auguſtum ſæculis, nominibus coloniæ, municipii, decurionum, quatuor virum, &c. revocatis, qui viguerant,* Ἑλληνικοῖς *ſolummodo magiſtratibus. Inde mihi largior campus patuit, ut ignotum negotium antehac aperirem, ſcilicet Neapolitanos ſiderum diſciplinæ perdite ſe dediſſe, nihilque magis animo concoxiſſe, quam aſtra, & planetarum artem; hinc factum, ut non mirum ſit, ſi vaſculis etiam atramentariis eos affixerint, ac ſi Regiæ thecæ calamariæ poſſeſſorem fuiſſe aſtrologum, imo & illius vetuſtiſſimam, nempe circa Trajani tempora, ætatem divinarim. Demum grande, & ſingulare ejuſdem* σκευαζίου *pretium commendandum ſuſcepi, æternumque præconium, & quantum utilitatis rei litteratorum publicæ invexerit, adjectum eſt. Hoc ſane præceps, ſatiſque arctum totius operis argumentum eſt: ſi latius ac plenius ſibi quis poſcat, ſingulis capitibus rerum* ἀνακεφαλαιώσεις *impoſitæ ſunt, quarum ope, ingentis hujus voluminis ſummam luculentius aſſequetur.*

Quibus animadverſis, ſi opportuna tibi arriſerint, atque omnia antehac intentata inveneris, & ob linguarum varietatem nil moleſta, conqueraris rogo de iis, qui circa opus hoc atramentarium clamoribus urbem implerunt a me iniquis, & longe corrogatis rebus infartum eſſe, & de nullius momenti vaſculo, cujus ne nomen quidem noſcebatur, ſcriptum & a tergo, & ſic tandem completum; cum potius fatendum, ſi mentis vigor inſit, ac induſtria veterum linguarum divitiis fulta, etiam in minimis & exigui nominis rebus homines plurima, atque ampliſſima ſcrutari poſſe, præſertim ſi qua tractanda eſt materies, ab doctiſs. viris poſthabita ſit; tunc ſiquidem non manipuli colligendi, ſed meſſis ipſa omnis exundat atque exuberat: quin id ſane in negotio atramentario mihi contigerit, neminem reor futurum, ut intercedat. Si vero quis nil ingenuo, ſed pleno moroſitatis faſtidio ea bene multa, quæ ad Neapolitanorum decus, & tutamen dicta ſunt, affixa non loco ſuo, & ἀπροσδιόνυσα *populo venditet, ac inculcet, illum valere jubeo, atque ad eos provoco, qui maximæ notæ* φιλολόγοις *verſarunt, viri, quorum pectus honeſto & τῷ πρέποντι incoctum eſt: hi enim norunt, quantum libertatis nobis conceſſere columnæ, & magnorum virorum exempla, queis*

ope-

Digitized by Google

operibus ſuis docta & laborioſa intermiſcendi grande arbitrium fuit, ac poteſtas; una animi ſat inficialis, & ingenii omnia objurgantis ſævities mihi vetabit, quod in aliis ἀρχαιολόγοις commendatur, vel ſaltem culpa carere rentur plerique omnes. Sed ſatis querelarum, etiam ſi neceſſariæ ſint: id unum mihi apprecor, ut quæcumque de patriæ olim Græcanicæ beatitate, ac ſtatu ad ceterarum urbium invidiam florentiſſimo hic appoſui, eo quod atramentarium eſt Neapolitani artificis opus, minime ſint illiberalia, nec bonæ frugis expertia, nec ab aliis occupata, tunc certa mihi ſpes eſt fore, ut a prudentioribus ac catis hominibus probentur, eiſque bene vertant: qui contra blaterant, aliis vel arguendos, vel purgandos lubens relinquo.

Sed totius operis ordinem proſequamur: qui ut luculentior eſſet, ſingulis capp. duplex argumentum appenſum eſt, alterum ſat breve, longius alterum, & concinnius, numeriſque ſuis quævis res, quæ notatu dignior eſt, diſtincta, quos numeros repetitos vides in ipſius capitis progreſſu: quæ μέθοδος licet ſat vulgata, haud ſcio an quis magis opportunam nos condocefaciat. Unum, ac veterrimum ſcribendi tenorem acriter ſectatus ſum, neque materiem in quavis pagina per partes miſere conſciſſam vides, ita ut unam ſuperne, alteram diverſis characteribus deorſum dejectam, veluti additamentum, atque adnotationis vicem reprehendas: iſthæc fracta & comminuta ſcriptitandi ratio ab quibuſdam ſeptemtrioni damnatis gentibus in Italiam defluxit, ac penetravit, licet paucos dumtaxat Italorum infecerit, qui eo intercidendi ſævitiei abacti ſunt, ut eandem rem in breves, ac multiplices titulos, & in plures appendiculas, uti hinc inde abjecta membra, diſſectam indoleſcas: monſtroſum id ſcripturæ genus perquam turbatæ ac tortuoſæ mentis vertiginem eſſe, & infrunitam rei argumentum minime per partes ſuas concoquentis κακοήθειαν vocitari quis neget? imo ſi nil aliud incommodi, ac indecori inferret, quam quod legentium oculos illud teſſellatum ac ſectile ſcribendi genus turbat avertitque, una hac re ad barbaricas gentes ablegandum: ex adverſo, quem ſecutus ſum priſcum verba exarandi morem continuum, æquum, nil turbatum illos pellicit, nec defatigat; quare in eo me benemerentem ut ſalutes jubeo.

Quoniam autem volumina rerum varietate, & plurium linguarum Scriptorum teſtimoniis illuſtria indicibus laborioſis, & argutis, ac ſimul nil redundantibus indigere norunt univerſi, ipſe patientiſſimus contra vivacis ingenii mei vim, quotquot utiles futuros novi, induſtrius confeci, atque aperte diſpoſui, quos inter brevem antiquitatum Herculanenſium, quæ ad rem meam facerent, ſeriem adjiciendam etiam ratus ſum, quo exteri certiores ſint, quas immenſas gazas Regium cimeliarchium complectatur ac diteſcat, & an Neapolitani pro re nata uti, atque illuſtrare eas noverint. Hos autem indices operi præmittendos adactus ſum, quo binorum voluminum moles æqua eſſet, nec unum alteri granditate

Digitized by Google

cederet & contenderet. Præterea longiusculum additamentum *ne mihi invideas, vix enim reperies doctissimorum virorum libros, queis aliqua inter scribendum non exciderint, quædam non immutarint, & attentius excogitata non adjecerint; sed ægre mihi est a plerisque omnibus id genus additamenta, tanquam quid rejectaneum posthaberi, cum in iis sane selectiora, & attentius castigata lateant: & a me quidem lectu jucunda, (quæ operi inseri haud licuit,) diatriba inter ceteras addita est de illustris famæ nostrate saxo, quod ad Herculanensem, & finitimas urbes pertinet, sed nil antehac curatum, vel ἀσύστατα a magnis viris de eo scripta sunt: præter brevem commentarium in perquam mihi caram Herculanensem picturam nuper repertam, in qua atramentarium vides etiam octogonum cum reliquis scribendi instrumentis, quod mihi ἀκκιρότατον fingere haud quiviſſem: necnon ἐξήγητιν de papyro Philodemi.*

Interea grande solatium fero, quod quanquam passim ab ingentis famæ Scriptorum mente discedam, præsertim in Græcorum interpretamentis, sæpe etiam in Hebræorum, nunquam in tantos viros acerbiori verbo usus sum, & angue pejus abhorrui a vocibus illis odii plenis erravit, hallucinatus est, *& id genus ῥήμασι, quæ arrogantis animi sensum præferunt: turpe sane est, si in litteratorum pectore morum virtus non plurimi valeat, sed inficiat recti honestique ignoratio; semper enim ante oculos obversatum est, quod hisce etiam nuperrimis annis inculcavit magnus Reimarus in præclarissima Dionis præfat. pag.* XVIII. Stultus vero hic essem, qui alienis inventis utor, si quod non perspexerint omnia, acerbius reprehenderem . . . cum recte superiores & præclare multa monuerint, his tacitis, & quasi oblivioni traditis, in eorum unice peccata inveherer, qui me ab errore non immunem esse scio: laboramus in commune, addimus parum parvo singuli: laudandi viri præstantes doctrina, & ingenio, qui ante nos scripserunt, quod nonnulla, quod multa scite & vere promoverint, non proscindendi sunt conviciis, quod nec omnia, nec feliciter juxta perfecerint. *Quare semper ac doctiss. viris obsistendum fuit, meam adversantis sententiam summis eorundem laudibus intermixtam advertes, eoque detegendi, vestigandique verum more ac religione ubique totius operis me obstrictum, ac propositi tenacem facile deprehendes.*

Quoniam autem cum Græcis meis fere semper versatus sum, si quid est, quod laudes in his lucubrationibus, ab Grajo principio ac fonte defluxit, eorum verbis non servorum more, sed studio liberali interpretamentum subnexum habes, ita ut & qui Græce norunt, quam qui contra, me affatim feciſſe sperandum sit. Orthographiam sequi placuit, quæ feliciori hac ætate ab elegantioris ævi lapidibus loquentibus excerpitur; sed religione illa, quam muliebrem vocites, nunquam pingendi J, & U, & διφθόγγους *simul adnexas sejungendi haud tangi passus sum in doctissimum Baldinum in præfat. in Vaillantii numism. juratissimus:*

Digitized by Google

mus: hæ enim minutæ atque anguſtæ mentis ariditates & typographos turbant, & legentium conſuetudinem ac ſecuritatem præpediunt. Chartæ elegantiam, & characterum cujuſvis magnitudinis trium linguarum præſtantiam pro totius operis, & partium ſymmetria tutemet intueris: atque eorundem nil confuſam, & nil diſtractam adhæſionem ac σύνθεσιν Simoniis fratribus typographis acceptam referas, quorum diligentiam, licet omnibus notam, etiam in his membranis commendandam reor, quo magis ab honoris ſtimulis urgeantur. Neque bina volumina ornamentis initio, ac fini librorum appoſitis, ac materici, quæ tractatur, idoneis deſeri paſſus ſum, atque ab melioris noſtræ ætatis ſcalptore fabrefieri curatum eſt: ut ſi opus rebus quæſitiſſimis, & eruditionis vi ſe non commendet, ſaltem eleganti ſpecie, atque extraneis hiſce nugamentis niteſcat, & ſi haud mentis animum percellat, oculos oblectet.

Quo autem huic ἐκδόσει nil deeſſet præter bene multas veteres icunculas, & numiſmata ad ſummam fidem expreſſa, plurimas epigraphas recens compertas exacte inciſas tenes, ut etiam ex characteribus marmoris ætatem noſcas; utinam id exemplum ſectentur, qui novos titulos exteris communicant, ſed plerique omnes libentius peculium curant, quam reip. eruditorum proſpiciunt, eiſque affatim eſt commanibus elementis eos chartis illinere. Præterea ut nihil muneris mei poſthaberem, ad elegantiores fere Scriptorum editiones provoco, imo & onus ſubii, uti nunc moris eſt, pagellas ipſas recitandi; qua de incuria de doctiſſimis quibuſdam viris conqueri valde liceat; cum mihi copia ſit ſuſpicandi, ne ea veterum teſtimonia ab nuperis exſcriptoribus mutuatos eſſe rumor pervolitet. Nollem autem, ut quis mihi moleſtus ſit, ſi non omnes ἀρχαιολόγους, alioſque Scriptores, quorum lucubrationes ea de re ſunt, in qua & ipſe verſor, recitarim; etenim fateor me non unos pervolutaſſe idem argumentum agitantes, ſed quoniam quæ alii compararant & collegerant, vel excerpunt, vel omnia exſcribunt, quis non fruſtra eſſe clamitet indicem eorum Scriptorum recitare nihil novi edocentium, ſed jam dicta, vel protrita expilantium? Quare ne horarum tempus tererem, curate ſelecti a me ſunt nuperi, ſed magni nominis Scriptores, & antiqui, Græci potiſſimum quoad bonam partem, ut ex eorum indice appoſito vides, ab his ſiquidem, tanquam ex fonte perenni, quæcumque pro ea, quam illuſtrandam provinciam aggredimur, abunde comparamus. Hinc ne mireris, ſi Melchioris Guilandini volumen inſcriptum Papyrus *poſthabuerim, etenim veluti primas rei ſcriptoriæ imagines adumbraſſe viſus eſt. Atque pro re nata ne miretur quis me, cui curta ſupellex eſt, tam feſtivam librorum copiam acquiſiviſſe, quantam ab ipſo indice recitaſſe deprehendis, cum pæne omnes commodatos referam Marchioni Matthæo de Sarno, viro Atticis moribus eleganti, & in amicorum commoda ſat pingues fortunas ſuas expendenti: qui ſane non ſolummodo immanem, ac ſelectiſſimam omne genus librorum vim comparavit ſibi ſuiſque;*

verum etiam de omnibus benemerentiſſimus eos ſumma animi munificentia nemini interdicit; imo domos tranſvehi lubentiſſimus ſinit: quare ſi Neapoli litteræ vigeant, nec langueſcant, Sarnianæ largitati acceptum referimus quaſi univerſi: jure ipſe, cui tanta librorum copia frui datum eſt, poſſeſſorem brevi hoc, atque honeſtatis pleno verborum officio cumulare par æquumque cenſeo.

Demum brevem errorum πίνακα adjectum vides, quos vel typographi dormitantiæ, vel feſtinantis ingenii mei, & moræ nil patientis, celerrimæque lectitantis indoli tribuas: ſubii ipſe typorum errata abſtergendi moleſtiam, idque grande tædium devorandum mihi fuit: attamen gratulor, ſi voluminum molem penſites, editionem nil affectam, neque ulla graviora σφάλματα te offendere: in ceteris, *ut magni Reimari verbis utar in ima præfat. Dionis*, ſi quis hominem me fuiſſe reperiat homo, humaniter monitum multo obſtringet beneficio. *Et fortaſſe ſi opus non tam cito abſolviſſem, & curatius a me, implorata etiam amicorum ope, lectitatum eſſet, ne parvum quidem mendum ἐκδοσιν obfuſcaret: etenim vix quatuor annorum ſpatium luſum eſt, quo tum materiem omnem pararem, tum typis ederem; conſtat ſiquidem Mazochium epiſtolam ſuperiorem, vid. pag.* IV. *prid. id. Febr. anno* 1750. *Agnello Avitabili dediſſe, neque me ſtatim, ſed ſequenti* 1751. *ad opus aggreſſum eſſe: inde norunt omnes me annum ipſum* 1752. *terere coactum eſſe, ut grandiuſculum volumen pro adoleſcentium Græce ſtudentium officio typis mandarem; quare atramentarium negotium diu ſiluit; trium reliquorum annorum tum ſcriptioni, tum characterum prelo continens cura atque opera impenſa eſt: vides igitur μέγα βιβλίον, κ. τ. λ. ocius, quam par erat, me condidiſſe; præſertim cum vitæ meæ rationem interea nil immutarim, Academiæ muneri nec defuerim, atque iiſdem amicorum cariſſimis ſollemni horarum intercapedine uſus ſim; quare plenus irarum vivo quibuſdam, qui populi aures ad ravim verberarunt me iſthæc volumina nonum preſſiſſe in annum; quin ſcias, cum ipſe inter atramentum verſandi tædio langueſcerem, non vice ſimplici ſchedas Puteolanæ chorographiæ reviſere oblectatum eſſe, quo eas vel melioribus documentis colluſtrarem, vel ulterius progrederer: quod alterum opus ſi lucem accipiet, ejus regionis admiranda rudera, & loca Græcis luminibus, ac Phalegicis adſperſa ſqualorem omnem exuent, ac priſcam, auguſtamque majeſtatem acquirent: nec mihi aridum ac tenue, uti res atramentaria eſt, paratur, ſed prægrande & circumfluens argumentum; interea curas haſce calamariæ thecæ præmittendas ratus, quo veluti animum legentium explorem, ſi plaudant, & pretium iis veniat ac nomen, ſi vero eas inopes rerum traducant, atque infra ponant, utpote offenſas non unis maculis, & multa fuſas incuria, etiam Puteolanas lucubrationes æternum in ævum comprimam, nec unquam emanaturas ſinam, ne iterato ſiniſtre labores excipiantur.*

ADDI-

Digitized by Google

ADDITAMENTA

Pro atramentarii operis illustratione satis opportuna.

PAg.8.lin.37. Licet miræ eruditionis vir Spanhemius doctissima quæque adnotarit in Callim. pagg. 72.427. 431.565. de vocibus λίπος, & λιπαρός, tamen non tam clare de hoc epitheto ea nobis dedit: quin oblitum adverti commonefacere, quid sit in Hom. λιπαραὶ θέμιστες, & in Hesiodo λιπαροὶ χόροι· fatendum etiam est non pauca, quæ vir hic ἐξοχώτατος vidit, me fugisse; quare si utraque quis simil coagmentet, nihil de obscuro antehac ἐπιθέτῳ reliquum fortassis erit.

☼ Pag.9.lin.29. Ut omnino sistam ἀμβροσίαν in originatione elegantissimi unguenti speciem fuisse, præter reliqua exempla a me congesta, oblata sunt sat opportuna, & ἀμβροσιώτατα Theognidis carmina v.5.

Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε Θεὰ τέκε πότνια Λητὼ
Φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαπτομένη,
Ἀθανάτων κάλλιστον ἐπὶ τροχοειδέϊ λίμνῃ,
Πᾶσα μὲν ἐπλήσθη Δῆλος ἀπειρεσίη
Ὀδμῆς ἀμβροσίης, ἐγέλασσε δὲ γαῖα πελώρη,
Γήθησεν δὲ βαθὺς πόντος ἁλὸς πολίης.

☼ Pag.25.lin.26. Addas, quo constet magis τορνεύειν sæpe valere *ad unguem perficere*, Plutar. locum sat appositum in lib. adver. Stoicos, qui de scalptoribus Myrmecide, & Callicrate ait: Διατορνεύειν λέγονται ἐν σησάμῳ γράμμασιν ἔπη τὰ Ὁμήρου, quæ vertas mecum, *dicuntur perfectissimis litteris scalpsisse in sesamo quosdam Homeri versus:* neque cures Ælianum V.H. l.1.c.17. id aliter narrantem: Καὶ ἐν σησάμῳ δίσιχον ἐλεγεῖον γράμμασιν ἐπέγραψαν· miror Perizonium de voce τορνεύειν nil adnotasse, cum recitet Plutarchi verba: de binis hisce sculptoribus vide Julianum Augustum or.3.

☼ Pag.52. lin.42. Adeo verum dicas πινάκιον apud optimæ ætatis Græcos non esse tabellam grandioris molis, sed sat brevem, quæ pauca verba scripta præseferebat, ut egregium Platonis locum nactus sim, quo rem omnino firmem: loquitur philosophus de magistratibus eligendis, vid. init. lib. 6. de legib. & edit. Serrani p. 753. Αἵρεσις αὐτῶν ἔστω τοιάδέ τις... Ποιεῖσθαι δὲ τὴν αἵρεσιν ἐν ἱερῷ, ὅπερ ἂν ἡ πόλις ἡγῆται τιμιώτατον· φέρειν δ' ἐπὶ τὸν τοῦ Θεοῦ βωμὸν ἕκαστον εἰς πινάκιον γράψαντα τοὔνομα πατρόθεν, καὶ φυλῆς, καὶ δήμου, ὁ πόθεν ἂν δημοτεύηται· παρεγγράφειν δὲ καὶ τὸ αὑτοῦ κατὰ ταὐτὰ ὅπως ὄνομα· τῷ βουλομένῳ δ' ἐξεῖναι τῶν πινακίων, ὅτι περ ἂν φαίνηται, μὴ καλὰ νῦν αὐτῷ γεγραμμένον, ἀνελόντα εἰς ἀγορὰν θεῖναι μὴ ἔλαττον τριάκοντα ἡμερῶν. Τὰ δὲ τῶν πινάκων κριθέντα ἐν πρώτοις μέχρι τριακοσίων δείξαι τοὺς ἄρχοντας ἰδεῖν πάσῃ τῇ πόλει· τὴν δὲ πόλιν ὡσαύτως ἐκ τούτων φέρειν πάλιν, ὧν ἂν ἕκαστος βούληται, κ.τ.λ. Quæ ita vertit Ficinus: *Hujusmodi magistratuum designatio fiat... comitiaque in templo habeantur, quod præstantissimum civitas ducet: unusquisque autem undecumque venerit, in ara Dei nomen suum, & patris, & tribus, & gentis in tabula scriptum deponat, liceatque cuique, si velit, quamcunque tabulam non recte scriptam suspicabitur, auferre, & in loco publico ponere, ubi minus non quam triginta dies permaneat: trecentasque tabulas sic approbatas universæ civitati magistratus ostendant, quæ quos velit, de istis iterum & accipiat, & rejiciat, &c.* Serranus non Platonis sententiam, sed Ficini servans hujus verba solummodo immutavit, & in extremis omnia turbavit: *Hæc creationis ratio quædam ineatur . . . locus autem is diligitur, qui augustissimus sit, templum videlicet: unusquisque, qui ad suffragia venerit, nomen suum in tabula edito, & ad Dei aram deferto, patris, tribus, generis nomen diserte inscribito: unicuique vero liceto quamcumque tabulam non recte scriptam suspicabitur, de medio tollere, & in foro propalam non minus quam*

per

per dies triginta deponere, ut ab omnibus civibus examinari possit: trecentas tabulas sic approbatas universæ civitati magistratus ostendito: quæ ex earum numero, quas velit, similiter accipiat, & rejiciat pro arbitrio, uti unicuique magistratui placuerit, &c.

Iratus vivo tantis viris, qui non vice simplici de Platone, quem ipse post Homerum deamo, minus attente meriti sunt, uti in hoc opere me conquestum ubique vides: in his etiam verbis multipliciter sibi nimium indulsisse indolesco, tum quod iis non uno in loco affectis medelam minime pararint, quædam aufugerint, quædam etiam ἀπροσδιονύσως verterint. Porro ὁ πόθεν, legendum ᾧ πόπεν· & κατὰ τῶν αὐτῷ, potius sit αὐτῶ· nec non πινάκων restituas πιναχίων· prorsus necesse est, ut ἰδεῖν importunum deleas, ac illinas δεῖν· demum pro πάλιν reponas καὶ ἐλεῖν· inde mecum transfundas κατὰ λέξιν, & si tibi cor Græce sapiat, inspicies, quam longe a Ficini, & Serrani mente diverto, & ad Platonis accedo: *Electio magistratuum talis esto ... ipsa fiat in templo, quod civitas existimet augustissimum: ferat ad Numinis aram unusquisque civis in tabella inscriptum nomen parentis, tribus, & regionis, in qua quidem municeps sit; & sui ipsius nomen cum his similiter adjiciat: liceat, si quis voluerit, ex tabellis, quæ videatur, contra ac ipse senserit, scripta, accipere, ac in foro appendere per dies non minus, quam triginta. Tabellas, quæ probatæ fuerint in magistratuum electione, usque ad trecentas archontas ostendere oporteat civitati universæ; cives autem sic ex ipsis acceptent, vel rejiciant, uti unicuique placeat.* Perlegas rogo, quot voces præteriere Ficinus, & Serranus, ipse contra, secundum medelam iis factam, omnes Latine dedi, & luculentior sententia prodiit. His adversis, vides etiam in Platone πινάκιον esse breve tigillum paucis nominibus scriptum, imo tam parvæ molis, ut trecentas enumeres; quare nemo hinc colligeret Græcos optimi ævi in more habuisse in tabulis scriptitandi, quod sententiæ meæ unum obnoxium esset.

☼ Pag. 76. lin. 6. Scias me immerito Schultingium, & Heineccium castigasse in numeris recitandis orationum Themistii, cum mihi tunc non adhuc nota esset hujus Sophistæ ἔκδοσις Harduini, & Petaviana fruebar. Interea culpandus Heineccius, qui sat confuse loquitur dum ait.... *Ex Themistio orat. 16. & 18. patet, ubi mentio fit* πινακιδίων, καὶ τῦ σιδήρυ, quando or. 18. pag. 221. lit. A. illevit, πινακὶς, καὶ σίδηρ☉, at in or. 16. p. 199. lit. C. vides πινακὶς, & πίναξ, nulla vero mentio est τῦ σιδήρυ, nec πινακιδίων. Quam multa corrogarim de πίναξ, πινάκιον, & πινακίδιον, vide pag. 52. & seqq.

☼ Pag. 78. lin. 6. Propterea quod aperte a me negatum est Græcos ceram scriptoriam, & stilum unquam adhibuisse, quis mihi molestus opponere posset verba Asterii Episc. Amaseæ, quæ ut facilius invisas, reperies in act. 4. concilii Nicæni secundi tom. 8. p. 854. lit. C. edit. Ven. licet inibi inficete versa sint: Δορυφόροι δὲ τῆς ἀρχῆς, καὶ γραπῶται πολλοί· οἱ μὲν τῶν ὑπομνημάτων ὑπογραφεῖς δέλτους φέροντες, καὶ γραφίδας· ὧν θάτερος ἀναρτήσας ἀπὸ τῦ κηρῦ τὴν χεῖρα βλέπει πρὸς τὴν κρινομένην, σφοδρῶς ὅλον ἐκκλίνας τὸ πρόσωπον, ὥσπερ παρακελευόμενος γεγωνότερον λαλεῖν, μὴ κάμνων περὶ τὴν ἀκοὴν, ἐσφάλμενα γράφῃ, καὶ ἐπιλήψιμα, quæ mecum vertas, adjecta parva σιγμῇ ante σφοδρῶς, editiones omnes eam præponunt: *Adsunt satellites proconsulis, & multi milites, atque ὑπομνημάτων Scriptores pugillares, & stilos gestantes, quorum alter, suspensa a cera dextera, martyrem* (Euphemiam) *intuetur, ivacunde totam inclinans faciem, veluti jubens, ut clariori voce responderet, ne auscultando laboraret, & falsa, atque nil curata scriberet.* In Græcanica igitur urbe, dicat quis, pictos vides stilos, & tabellas ceratas, (picturam enim describit Asterius). Verum facile reponam Euphemiam Græcam virginem sub Prisco Rem. proconsule martyrium fecisse Diocletiani Aug. tempestate in urbe Chalchedone, & a me multis præstitum esse Romanos aliquando ceratis tabellis usos, nihil igitur mirum est, si Græcus pictor Romanorum illum

Digitized by Google

lum ſcribendi morem expreſſerit, ut omnem arti ſuæ fidem conciliaret. Hinc potius majus ſententiæ meæ momentum apponitur, qui primus palam feci Romanos perquam raro ceras γραφικὰς adhibuiſſe, veluti ſi quando quid extemporaneum & ſtrictim adnotandum eſſet: quare opportune & cate Aſterius illevit notarios, ſive commentarienſes illos verba Euphemiæ in ὑπομνήμασι exaraſſe; & vel a lexicis tenes ὑπομνήματα eſſe *ſcripta, in quæis capita tantum in rerum memoriam attinguntur*: & Pollux inter nomina ἀδικημάτων, *criminum*, lib.6. c.38. ſegm.181. enumerat merito prius μνήματα, *acta*, inde ὑπομνήματα, *epitomæ*: advertas, quam inficete bina iſthæc Pollucis verba transfudere interpretes, *memòracula*, & *memorialia*. Itaque tantum abeſt, ut Aſterius ſcripturam ceratam contra atramentariam inducat, ut hanc alteram magis firmet, illam Græcos noviſſe ab epiſcopi verbis nemo arguet. De Aſterio ſelecta quædam collegit Fabric. in Bibl. Gr. tom.8. p.607. Pæne oblitus eram hic condocefacere me κεκνομένην jure vertiſſe *martyrem*, nam rogaris, ut legas, quanta aggeſſerim infr. ab pag.301. ad 307. de voce κείσις, *martyrium*, ita ut iſthæc ῥῆσις nova, ſed vera notione nunc donata ſit, & πολυβόητος audiat inter Eccleſiaſticos Scriptores.

☼ Pag. 83. lin. 19. Doctiſſimi quique in Horat. commentarios intexentes non ſolum tabellas ceratas finxere, ſed etiam parietes cera oblitos, in quibus poetæ, ſi quid noctu in mentem veniret, exararent, vades ſiſtentes verſus in princ. ſat. 3. lib. 2.

Dic aliquid dignum promiſſis: incipe: nil eſt:
Culpantur fruſtra calami, immerituſque laborat
Iratis natus paries Dis, atque poetis.

Verum quid facies hominibus, qui a teneris ceram ſcriptoriam didicerunt? nil mirum inde, ſi ea etiam parietes ipſos incruſtarint: ceterum Horatius de cera ne ſomniavit quidem, qui canit, ſe nil ſcribere, eo quod in villa, quo ſe receperat, malos calamos, & domum infeſtam Muſis nactus eſſet, quam ſententiam, qui ἀμέσως ſequuntur, verſus aperte præſtant:

Atqui vultus erat multa & præclara minantis,
Si vacuum tepido cepiſſet villula tecto.

Itaque, dum vates culpat parietem, is ceratus non eſt, ſed ipſæ ædes frigidiuſculæ, & Horatius frigoris erat ſat impatiens: vide quantum ineptiarum effutiere, qui ſeſe ab ceris obnubilari paſſi ſunt.

☼ Pag.50. lin. 26. Pro notione vocabuli *ſublimis*, quæ a me detecta eſt, Plauto, & Prudentio addas Terentium in Adelph. 3. 2. v.18. & cum primis cariſſimum mihi locum in Andr.5. 2. v.20. & 21.

☼ Pag.101. lin.6. Fugit me ob ſcribendi feſtinationem Martialis, qui litteras ad abſentes familiares *chartas* etiam vocat lib. 9. ep.100. *Marcus amat noſtras Antonius, Attice, Muſas, Charta ſalutatrix ſi modo vera refert, &c.* Et lib.14. ep.xi. *Seu leviter noto, ſeu caro miſſa ſodali: Omnes iſta ſolet charta vocare SUOS.*

☼ Pag.117.lin.22. Non ſine animi dolentis ſignificatione, poſtquam firmavi chirographa, ſyngraphas, &c. olim chartis commiſſa, non ceris, oblitus ſum Juſtinianum in præfat. illuſtris Novellæ 73. *calamorum* etiam, & *atramenti* commeminiſſe in contrahentium pactis: inibi ſiquidem imperator interrogatus ab Joanne orientalium prætoriorum præfecto de cujuſdam documenti commutationis fide, poſtquam de veritate conſtitiſſet, hæc mihi appoſitiſſima inter cetera reponit: *Videmus tamen naturam ejus crebro egentem rei examinatione, quando litterarum diſſimilitudinem ſæpe quidem tempus facit: non enim ita quis ſcribit juvenis & robuſtus, ac ſenex & forte tremens; ſæpe autem & languor hoc facit: & quidem hoc dicimus, quando CALAMI, & ATRAMENTI immutatio ſimilitudinis per omnia aufert puritatem, & nec invenimus de reliquo dicere, quanta natura generans innovat, & legislatoribus nobis præbet cauſas, &c.* Inde imperator addit novem ipſa capita de inſtrumentorum cautela ac fide. Quis igitur poſthac ceris inhæſerit, & tutetur id

ge-

genus syngraphas non in chartis exaratas *calamo*, *& atramento?*

⁂ Pag.126.lin.23.Ut exemplis d'Orvillii syllabarum, quæ repetitæ facile omittuntur, noſtratia addam, ſcias circa initium Chron. Vulturn. quod Neapoli in Teatinorum chartophylacio ſervatur, legere eſt *animeæ*, pro *animæ meæ :* licet Muratorius ediderit *animæ meæ* : imo in mentem revoces etiam in marmoribus id erratum me deprehendiſſe, uti in illo Capreis reperto, in prim. verſ. legitur, ΔΑΙΜΟΝΕΣΘΛΟΙ pro ΔΑΙΜΟΝΕΣ ΕΣΘΛΟΙ, conſulas infr. pag. 478. Nunc in mentem venit æterni nominis Salmaſium in Trebell. Poll. cap.2. pag.352. in vit. Divi Claudii, eo quod ante vocem *neceſſariam* πῶ *ne* ob ejuſdem ſequentis ſyllabæ concurſum ab librario omiſſum reſtituit, locum tenebricoſum bona luce donaſſe.

⁂ Pag.131.lin.37. Cum vera notio verbi *aſſidere* ignota antehac ſit potiſſimum medicorum, eorumque etiam, qui ægrotis operam attente navant, plurimæ exemplorum copiæ, quæ attuli, addas quoque bina ex Tacito in vit.Agric. cap.45. *Sed mihi, filiæque præter acerbitatem parentis erepti auget mœſtitiam, quod aſſidere valetudini, fovere deficientem, ſatiare vultu, complexu, non contigit.* Et paullo poſt: *Omnia ſine dubio, optime parentum, aſſidente amantiſſima uxore, ſuperfuere honori tuo, &c.*

⁂ Pag.148.lin.4. Pro luce vocis ἐπήκοος, de qua multa dicta ſunt, addas, quæ offert Almeloveenius in præf. faſt. conſ. p. 35. ſcil. Latinos, quos Deos Græci ſalutabant ἐπηκόους, dixiſſe *exoratos*, recitatque quoſdam lapides : EX. ORAT. *procul dubio eſt una vox, nempe* EXORATO, *quomodo &* Iſis exorata *obvia eſt apud Gruterum pag.* 83. *Et huc quadrat Hercules* ἀνάκεστος *apud eundem pag.*49. *num.* 1. *&* Ἄρτεμις ἐπήκοος *pag.* 40. *num.* 10. *Iſis* ἐπήκοος *pag.* 73. *num.* 1. *&* HERC. EXORATVS *in inſcriptione vigeſima prima earum, quas nunc mitto.* Interea adverte nihil adnotaſſe Almeloveenium in ſaxo, quod affert ex Grut. p. 40. n. 10. a me multis reſtitutum.

⁂ Pag.153. lin.26. Sero memini Lucianum famoſum ἱμάντα Junonis κεστόν appellaſſe p.724.725. edit. Reitzii, vides, quam parum curate poetarum principem lectitabant, inquit ſiquidem ; Ὁρᾷς ὅσων ἀγαθῶν ὁ χρυσὸς αἴτιος, εἴγε καὶ μεταποιεῖ καὶ ἀμόρφους, καὶ ἐρασμίους ἀπεργάζεται, ὥσπερ ὁ ποιητικὸς κεστός, κ. τ. λ. *vides quantorum bonorum aurum cauſa ſit, ſiquidem deformes etiam refingit, & ut poeticus ille ceſtus, &c.* Ne mihi, rogo, prohibeas, quo minus ad Homeri decus patefaciam etiam Themiſtium orat.18. p. 218. edit. Harduini lit. D. appoſuiſſe κεστόν, pro ἱμάντα contra tanti vatis mentem : atque id peccatum recoxerat orat.16. p.209. lit. B. Ποῖον φάρμακον Πολυδάμνας τῆς Αἰγυπτίας ἐγκεκραμένον οἴνῳ κρατῆρσι, ἢ ποῖος κεστὸς Ἀφροδίτης, κ. τ. λ. *Ecquod Ægyptiæ Polydamnæ medicamentum vini crateribus infuſum, aut quis Veneris ceſtus, &c.* Miror hunc ſophiſtam erraſſe quidem in voce κεστός, non autem in voce φάρμακον Πολυδάμνας· quod doctiſſimi quidam vocant νήπενθες, cum ea vox in Hom. ſit ſimplex ἐπίθετόν ipſius φαρμάκου· & uſque iratus ſum Laſenæ noſtrati, qui volumen inſcripſit, *De Homerico nepenthe*, pro, *De pharmaco Polydamnæ :* in eandem ſirtim impegit Jo. Conradus Barchuſenius de medicinæ orig. & progr. qui etiam διατριβὴν ſat longam exaravit, titulumque etiam appoſuit, *De Hom. nepenthe*, quæ ſatis incocta eſt, nec Laſenæ librum meminit.

⁂ Pag.182.lin.9. Oblitus ſum, licet tot exempla pro notione *pædadogi* corrogarim, id quod me docuit Salmaſius H. A. to.1. p.475. dum de Commodi imp. *pædagogo* Lampridio ſermo eſt cap. 1. *Pitholaus* τροφεὺς *Commodi, Latini prædagogum vocant, qui Græcis* τροφεὺς· *atque etiam papatem, cujus vocis frequens occurrit mentio in vetuſtis martyrologiis, Juvenalis : Timidus præguſtet pocula papas.* Vides, quanti decoris & famæ erat *pædagogi* munus, ut hoc honeſtiſſimo nomine ſalutaretur, *papas* ſcil. ſive *pappas*. Idipſum teneo a Mazochio in adnot. in Kalend. p. 628. *Papas, papatis vox Latina eſt, forſitan ex Græca* πάππας . . . *derivata,*

ac

ac pædagogum significat ; gloſſæ Iſidori : Papas, pædagogus, qui ſequitur ſtudentes . . . *At notabilis eſt Juvenalis hanc vocem uſurpantis locus ſat.6.* 632. . . . Timidus præguſtet pocula papas . . . *Ac mirabar equidem, quanam de cauſa hoc vocabulum a Latinis* OMNIBUS *lexicis abſit, eum eo nobilis ſatyrarum ſcriptor uti non dubitarit :* inde ipſe clariſs. Mazochius aſſerit ſe in Rabano feminas παιδαγωγούσας, *papatiſſas* nomine nactum eſſe. Nec præteream Jungermannum in Pollucem lib.4. n.149. qui Meurſium caſtigat emendantem, & convertentem in laudatis gloſſis Iſidori vocem *pappas* in *pappus : Cur enim*, inquit, *mutemus, cum vel Juvenale teſte omni exceptione majore nitatur, qui extrema ſatyra 6.* Timidus præguſtet pocula pappas, &c.

Interea autem ipſe demirari nunquam deſinam tot doctiſſimos viros tam pauca de voce *pædagogus* tum Græce tum Latine commentatos, cum cernas ſat multa, & fortaſſe non contemnenda nos aggeſſiſſe, & quantum præjudicati ab hominum mente deterſiſſe. Conquerendum mihi etiam de Mazochio, qui de *ῥῆσις comes* nihil prorſus adjecit, qui in laud. Kal. de actis SS. Viti, Modeſti, & Creſcentiæ ſanequam erudita appoſuit, nec advertit Modeſtum, & Creſcentiam a Romano *breviario* 15. Jun. ſalutari *comites* Viti; contra vero in Capuano (vid. Kal. Mazoch. p. 628.) is, qui eas ternas *lectiones* confinxit, vocem *comitibus* inficete invertit in *comitantibus ;* ipſe vero multa teſtium vi patefeci idem eſſe *comitem*, ac *pædagogum*. Hic autem te parum reſiſtere jubeo, ut ſuperna Mazochii verba penſites dictantis ſe mirari *a Latinis* OMNIBUS *lexicis vocabulum papas*, ſive *pappas abeſſe :* ſcias autem tanti viri auctoritatem, (quam magni ſemper pendo,) atque παῤῥησίαν id ajentis ſtatim docilem meam ſibi fidem obſtrinxiſſe : verum neſcio, quæ amicitiæ vis, quam neque heri, aut nudius tertius cum diligentiſſimo Jac. Facciolato contraxi, ad hujus politiſſimum lexicon inviſendum impulit, & ſtatim oculis fidelibus ſe obtulit mihi cariſſima vox *pappas*, quam verna linqua probe interpretatur *ajo*, recitatque *notabilem* Juvenalis locum; imo piget me eandem vocem etiam in Paſini minimæ molis lexico inviſere, ut ingentem Ling. Lat. theſaurum taceam; ſed noluiſſem id perquam leve in præclariſſimo Mazochiani Kal. opere advertiſſe; unum doleo, quam vocem *pappas* illuſtrandam ſuſcepit, in ea neminem ex ſupernis eruditiſſimis viris recitaſſe, ne Henricum quidem Stephanum, qui in Theſauro eadem, quæ ceteri, adnotavit. Demum an inflectenda ſit ea *ῥῆσις pappas, æ*, cum Facciolato, an *atis* cum Salmaſio, & Mazochio, inquirant, queis pinguius otium ſuppetit. Hic mihi addere liceat, Sophoclem in Electra inter dramatis perſonas adcenſuiſſe Oreſtis pædagogum ſenem, παιδαγωγὸν πρεσβύτην τροφέα· quænam ſint hujus partes & munus, eas ſcil. quas ipſe definivi, ubique dramatis legere eſt. Etiam in Terent. in Phorm. inviſes munus pædagogi 1. 2. v. 93. atque ibid. Sophronam nutricem παιδαγωγὸν ubique hujus comœdiæ.

☞ Pag.182.lin.25.Appoſui mihi cariſſimum Luciani locum, ſed dimidiatum, nunc totum hic appendam ex præclara, nitidaque Frederici Reitzii editione to.2. p. 446. quem miraberis non advertiſſe affectiſſima quædam verba in Græco καμίνῳ, & Latine dediſſe eadem contra fidem, nec ſententiam concludentia: utrumque fortaſſe non male a me reſtitutum accipies: Ἄξιον τοίνυν ἀναθεῖναι τοῖς θήλεσιν κακοῖς τὴν ἄῤῥενα τῶν παίδων ἀγωγήν. Ὄρθρου ἀναστὰς ἐκ τῆ ἀζύγω κοίτης, ἢ ἐπὶ τῶν ὀμμάτων ἔτι λοιπὸν ὕπνον ἀπονιψάμενος, ὕδατι λιτῷ, καὶ χιτωνίσκον, καὶ χλανίδα τὰς ἐπωμίδας περόναις συῤῥάψας, ἀπὸ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐξέρχεται κάτω κεκυφὼς, καὶ μηδένα τῶν ἀπαντώντων ἐξ ἀναισθησίας προσβλέπων. Ἀκόλουθοι δὲ καὶ παιδαγωγοὶ, χόρος αὐτῷ κόσμιος, ἕπονται, τὰ σεμνὰ τῆς ἀρετῆς ἐν χερσὶν ὄργανα κρατοῦντες, ἃ πρέσβυς κηνὸς ἐνθυμίας κόμην καταλήχειν δυνάμενος, οὐδὲ ἔσοπτρα τῶν ἀναμόρφων χαρακτήρων ἀγράφους εἰκόνας, ἀλλ' ἢ πολύπτυχοι δέλτοι καθῆκεν ἀκολουθοῦσιν, ἢ παλαιῶν ἔρ-

γων ἀρετὰς φυλάττουσαι βίβλοι. Κἂν εἰς Μουσικῆ δέοι φοιτᾷν, ἀμελὴς λύρα· quæ sic versa in Reitzio vides: *Æquum igitur opponere muliebribus istis malis virilem puerorum vivendi rationem. Mane surgens de cælibe lecto, reliquum adhuc in oculis somnum simplici aqua postquam abluit, sacra chlamyde humeralibus connexa fibulis, paterna domo egreditur dejecto vultu, ac neminem eorum, qui ex adverso veniunt, contuitus. Pedissequi autem illum, & pædagogi, decens caterva sequitur, honesta illa virtutis instrumenta manibus tenentes, non secti serra pectinis inciſuras mulcere comam aptas, neque ſpecula, objectarum formarum nec-pictas imagines; sed vel multiplices tabellæ a tergo sequuntur, aut antiquorum operum virtutes servantia volumina; &, si ad Musicum eundum sit, canora lyra.* Corrupta verba χιτωνίτκον, καὶ χλανίδα interpretes sanarunt χιτωνίσκον χλανίδα, & verterunt, *tuniculam lanam*, olim legebatur sat invenuste ἱερὰν χλαμύδα. Sed opus ac labor est in confingendis verbis in utraque lingua, ἀδὲ ἔσοπτρα τῶν ἀντιμόρφων χαρακτήρων ἀγράφους εἰκόνας, quæ neque Reitzius, neque reliqui doctiss. interpr. curarunt: itaque plenus audaciæ, quo quid sententiæ conciliem, aptarem, ἀδὲ ἔσοπτρα, ἀδὲ ἀντιμόρφων χαρακτήρων γραφικὰς εἰκόνας, *neque ſpecula, neque diverſi ſexus pictas imagines*, pueri φυλάκιννες norunt χαράκτηρ in Galeno adnotare etiam *ſexus*, quod a lexicis etiam habes: & nunc mens Luciani palam est, nempe pueros ingenuos ad litteras addiscendas stantes libros secum gestasse, non specula, neque amasiarum pictas imagines: quis sane ferat χαρακτήρων ἀντιμόρφων verti *objectarum formarum?* & voces ἀγράφους εἰκόνας, *imagines non pictas*, quod sane interpretamentum nihil menti ingerit. Ceterum πολύπτυχοι δέλτοι non sunt *multiplices tabellæ*, cum ostensum a me sit tabulas scriptorias omnino ignorasse Græcos, etiam puellos, quare dicas *multiplices libelli*. Sed quod magis instat, advertam, vides pædagogos quanti habitos, ut χόρος κόσμιος salutarentur. Addas pro pag. 509. lin. 39. verbum, φοιτᾷν in notione *eundi ad puerorum ſcholas*. Atque hæc de Luciani καμίνῳ sat tenebricoso, nunc bonam fortasse lucem adepto.

☼ Pag. 187. lin. 37. Miror Casaubonum, sed magis Salmasium, qui in Hist. Aug. to. 1. p. 26. quæsitissima congesserunt de penula, in Paulli epistolam 2. in Tim. 4. 13. ubi ea vox illita est, eamque tantum vexarunt interpretes, ita ut etiam calamariam thecam fuisse quidam cogitarint, nil prorsus adnotasse, imo ne meminisse quidem. Heineccius in exercit. 1. de habitu, & insignib. sacerdot. Apost. to. 2. p. 74. edit. Genevæ 1746. hunc Paulli locum illustrare aggreditur, sed jam occupata recoquit, neque qui penulam *atramentarium* interpretati sunt, legerat.

☼ Pag. 236. lin. 36. Sat obscuro Pausaniæ loco, & a doctis viris contra fidem Græcam Latine dato multam lucem impertitus sum, hos interpretes transversos egit vox βιβλία, *libelli*, quam ipse confinxi *βυβλία*, *chartæ*, inde Pausaniæ verba γνησίῳ nitori reddita sunt: in eaque medela salutes me non hariolum, sed vatem; etenim cum Zonaras Annal. lib. 10. num. 14. p. 497. edit. Paris. fere eadem verba adhibuisset, ab Pausania mutuatum esse fatearis oportet, & mecum conjurans pro ὥστερ βυβλία appositum clarius ὡς χάρτην, legerat igitur βυβλία, non vero βιβλία: ita sane scripsit Cæsaris, & Hirtii militarem dolum narrans, quo Decimum de suo adventu Mutinam certiorem faceret: Μολίβδου λεπτὸν ἄγαν ποιήσαντες ἐλάσμα ἐγράψαν ἐν αὐτῷ, καὶ ὡς χάρτην ὧδε ἐλίξαντες κολυμβητῇ διενέγκειν ἔδωκαν, κ.τ.λ. *in lamina plumbi tenuiſſimi, quid vellent, inſcripſerunt, eamque chartæ inſtar convolutam natatori perferendam dederunt, &c.* rogaris, ut Pausaniæ verba cum his Zonaræ compares, porro non tam ovum ovo simile adstrues.

☼ Pag. 267. lin. 12. Nil suaviter vivo, quod in hac Homerici vasis longiuscula descriptione me, qui in tanti vatis cultu immorior, parum aberrasse deprehendi, & nemo me incastigatum dimittat, qui binas illas icunculas sub Homero adsidentes fe-

cerim

Digitized by Google

cerim viros, cum ſint viragines, ſcilicet Ilias, & Odyſſea; ceterum earum habitus, veſtes, arma & reliqua, quæ a me deſcripta legis, ita ſcalpta, atque ab artifice exhibita ſunt; quoniam autem imagunculæ ſat exiguæ ſunt, pro ſexus diſcrimine, facile intuentium oculos fallunt.

Pag.268.lin.15. Parum me urit, quod in hac dignoſcenda pictura hoſpitem me incuſes, etenim cum non ſat luculento loco pendeat, minutæ quædam partes oculos effugiunt: quare eam horis meridianis intuitus deprehendi non eſſe Apollinem, vel Ariona, ſed Polyphemum, ad ejus enim pedes trunca pinus projecta jacet, ſiniſtra ſat nodoſam, ac ruſticitatis plenam regit lyram: in ejuſque fronte præter binos oculos, paullo ſuperne in medio tertius conſpicitur. Itaque picturam interpretarer Galateam Polyphemo amore furenti pugillarem mittere, in quo vel ficta ἐρωτικά verba ſcripſerat, vel libellum dicas, quo ei monſtroſum corporis habitum exprobraret: vide Theocritum idyll.xi.

P.289.lin.18. Si præterea plura exempla expoſtules de voce πτυχαί in notione *libelli*, ſive δέλτα, exſtant in Euripidis Iphig. in Taur. v.727. δέλτα πολύθρηνοι δίπτυχαί· & v.760. ἐν δέλτα πτυχαῖς· & v.793. παρεὶς γραμμάτων διπτυχάς.

Pag.295. lin. 37. Tot doctiſſimorum Scriptorum choro, qui de priſcis dierum appellationibus turbata omnia dedere, accenſeas magnum Briſſonium init. commentarii de ſpectac. & de feriis, qui candide fatetur ſe Politiani ſententiam ſecutum: quoniam autem & famoſum Dionis locum, uti ceteri, interpretatur, & ad Chriſtianos Scriptores ſolummodo provocat, quo firmet veteres dixiſſe *diem Solis*, *Lunæ*, *&c.* perquam parum me piget tanti viri nomen præteriiſſe. Unum miror τὸν πάνυ Seldenum hunc Briſſonii commentarium non vidiſſe, haud dicere auſim ejus libello uſum eſſe, cum fere eadem veterum Scriptorum loca utrobique inviſerim. Ceterum hanc Briſſonii lucubrationem ſat concinnam adeas, ſi ſcire aveas, quando dies hebdomadis ſalutari cœpti ſint *feriarum* nomine, quod more ſuo συντόμως, & eleganter exſequitur.

Pag.307. lin.21. Ad ſtuporem miratus ſum Tullium non oboluiſſe horum Homeri verſuum νοθείαν, qui in ep.7. lib. 3. ad Q. Fratrem eos recitat, eo quod judices Gabinium abſolverunt, & ait Jovem Romam proluviem immiſiſſe, & vias, publica ædificia, ac tabernas peſſumdatas: itaque dicas hos famoſos verſus longe ante Cic. in Iliada immiſſos.

Pag.312.lin.39. Quo certior ſis ethnicos, qui de Hebræorum rebus locuti ſunt, facile in errores abreptos, conſulas Caſaub. in hiſt. Auſt. to.2. p.351. ubi decumana Trebel. Pollionis σφάλματα, dum de Moſe quædam narrat, aperit.

Pag.313.lin.25. Adeo firmum eſt interpretamentum, Romanos confudiſſe vocem *Sabbatum*, ac *Saturnum*, ut Chaldæi hunc planetam ſalutarint nominibus שבת, שבתאי, שבתי, rogaris, ut ſaltem lexica adeas: & conſtat, necnon a me vice multiplici præſtitum eſt Chaldæos non parvam vocabulorum vim, ac notionem a Græcis, Latiniſque mutuo accepiſſe.

Pag.326.lin.3. Ut hunc famoſum Porphyrii locum, & æneam ſcaphulam melius exornem, adjiciam, quæ mihi præſtat Reimarus ὁ πάνυ in adnot. in Caſſium p. 1160. & ab magno Valeſio mutuatus eſt: „ Epiphanius in Ancyroto Antinoi ſtatuas luſorium navigium adjunctum habuiſſe ſcribit p.503. (p. 109. C. T. II. „ Opp. edit. Colon. fol.) ὁ Ἀντίνοος ὁ ἐν „ Ἀνανόῃ κεκηδευμένος, καὶ σὺν λυσωρίῳ „ κείμενος ὑπὸ Ἀδριανῷ ὕστερον κατεσάγη. „ Cujus rei non ea cauſa eſt, quam putavit Scaliger in notis ad Euſebii Chronicon (p.214. a.) quod ſcilicet Antinous, dum per Nilum navigat, periiſſet; ſed quædam paullo abſtruſior cauſa eſt, quam hic ponam. Ægyptii enim cum dæmones fingebant, eos non „ in ſolido ac ſtabili ſtatuere conſueverant, ſed in navigio. Ita Solem alioſque omnes effingebant, ut ſcribit Porphyrius in libro de antro Nympharum „ in Odyſſea (p. 566.) ubi notat ea re „ indicari, dæmones illos eſſe animas,

Digitized by Google

„ quæ ſupra humidum feruntur, & in „ generationem pronæ ſunt. Idem teſtatur & Clemens Alexandr. lib. V. στρωμάτ. (p. 566. C.) his verbis Αἰγυπτίων „ οἱ μὲν ἐπὶ πλοίων, οἱ δὲ ἐπὶ χροκοδείλε „ τὸν ἥλιον δεικνύουσι. Sed omnium optime Marcianus lib. II. Philologiæ, in „ fine, (p. 43. edit. Plantin. Lugd. B. 1599. „ 8.) ubi eam navim deſcribit Solis, *cui* „ *nautæ VII. præſidebant. In prora felis* „ *forma depicta, leonis in arbore* (ideſt „ malo) *crocodili in extimo videbatur.* „ *In eadem rate fons quidam lucis æthereæ arcanis fluoribus manans in totius* „ *naturæ* (mundi) *luminæ ferebatur.* Vulgo, *felix forma depicta*, legitur menſe: „ huc uſque Valeſius. Vides præter Porphyrium, quem etiam ipſe laudavi, ex reliquis aliorum Scriptorum exemplis ab hoc ſummo viro collectis, numina per aquas vectari. Ceterum unicuique mirum futurum neque Valeſium, neque Reimarum bigam virorum ἑλληνικωτάτων adverti ſſe grandem labem in Porphyrio ὅς τινας ſcil. pro ἀστέρας, quo ſententia nil laboret, & fruſtra ſit.

☼ Pag. 341. lin. 16. Ut conſtet me probe immutaſſe ὀκτώ in ἑπτά in Heraclide loquente de cæleſtibus planetarum orbibus, quos nulluſdum octonos dixerit: (quem latet ſcribas in numeris adnotandis ſæpe hallucinatos, quippe numeros per notas appingebant:) exemplum ἐυκαιρον præſtat Thomas Mangey in nuperrima, ac eleganti Philonis ἐκδόσει Londini 1742. vol. I. p. 505. ubi pro ἕξ jure apponit ἑπτά, vide ibi adnotat. Si vero quis opponat loqui Heraclidem de omnibus cæleſtibus ſphæris, reponam Tullium in ſomn. Scip. novem, non vero octo fuiſſe edicentem; vel ſaltem ad diſtractas tunc temporis philoſophorum opinationes confugiendum.

☼ Pag. 353. lin. 3. Quo firmem urbes a figura nomen adeptas, & præter Clupeam, quæ inſtar clypei exſtructa erat, & exemplum ipſe appoſui, Blaſius Cariophylus de vet. clyp. p. 42. iſthæc mihi præterea præſtat: *Denique nonnullæ inſulæ, & urbes, quoniam clypei Argolici formam exhibeant* Ἀσπίς, *vel Clupea denominatæ; & ne longus ſim, aliquas tantum enumerabo. Libyæ urbs, quædam in promontorio Mercurii Stephano dicitur* Ἀσπίς, *ac Silio Italico Punic.* 3. 244. In clypei ſpeciem curvatis turribus Aſpis, *Plinio vero Clupeæ* 2. *N. H.* 4. *unde in maximo errore verſatur Ptolemæus, qui diverſas fecit urbes. Inter Tejum, & Lebedum jacet quoque Strab.* 14. *p.* 643. νῆσος Ἀσπίς, inſula Aſpis. Ἀσπὶς *etiam urbs Macedoniæ apud Stephanum. Scuto Gallico Cyprum inſulam Hyginus fab.* 276. *comparavit.*

☼ Pag. 354. lin. 8. Si cupias, poſtquam ſat multa de Saturni δρεπάνῳ, ejuſque etymo dicta ſunt, noviſſe, quo ejus falx projecta ſit, poſteris mandavit Pauſanias lib. 7. c. 22. p. 582. in promontorium ſcil. Drepanum prope urbem Bolinam in Achaja: Ἐφεξῆς δὲ ἄκρα τε ἐς αὐτὴν ἔχει τὴν θάλασσαν, καὶ ἐπ' αὐτῇ λέγεται λόγος, ὡς Χρόνος τῆς θαλάσσης ἐνταῦθα ἐρρίφη τὸ δρέπανον, ᾧ τὸν πατέρα Οὐρανὸν ἐλυμήνατο· ἐπὶ τούτῳ δὲ καὶ τὴν ἄκραν Δρέπανον ὀνομάζουσιν. Culpandus Cellarius, qui hunc Pauſaniæ locum oblitus eſt, nec non Mazochius, qui tot de urbibus Δρεπάνοις commentatus eſt.

☼ Pag. 358. lin. 2. Neque ſolummodo cuique mirum fore reor Homerum nunquam digitos, δακτύλους, meminiſſe, verum etiam, ſi centies evolvas ejus divinum opus, neque ἄρθρα, qui κυρίως digitorum *articuli* ſunt, neque *ungues*, ὄνυχας, invenies. Scias, cum in tanto vate ipſe multa divinarim, cur digitos, eorumque partes taciturniſſimus prætereat, quoniam veſtigare non ſatis ſum, me vivos rodere ungues.

☼ Pag. 368. lin. 8. Si aveas noſcere etymon vero propius vocum *Mars*, & Ἄρης, adeas, quæ eruditiſſime, uti ſuus eſt mos, diſputat Perizonius, præter ceteros interpretes, qui ab עָרִיץ, ſive מְעָרִיץ, *violentus, terribilis* educit, eamque bonam originem exquiſitis firmat exemplis, vide adnotat. in Ælian. p. 603. &c.

☼ Pag. 367. lin. 31. Fateor me humana paſſum in voce σάκος, quare parvam in eam vocem adnotationem ab v. 31. ſcil. ad 36. delendam jubeo.

Pag.

Digitized by Google

Pag.370. lin.42. Rogaris, ut binos extremos versus pag. 370. circa Jovis fulmen versantes superiori §. adscribas, in quo de hoc numine fulgeratore sermo est: de hac importuna μεταστάσει typographum incuses.

Pag.378. lin.18. Dictum est Regem in Herculanei ruderibus reperisse mensam ingentis ponderis ex ære argento in quibusdam partibus ἐμπαστικῶς immisso splendidam, quatuor pedibus facili torno effictis nixam, equorum, & avium exstantium capitibus affabre elaboratis in quatuor superioribus angulis elegantem: neque hariolationibus me indulsisse credas, cum assertum sit fuisse sacrificiis addictam; parilem enim tibi præsto ex Boissardi antiquit. tom. 4. pag. 58. quam etiam exscripsit Gruterus in thes. inscript. p. 1076. & in hac siquidem, ut sacrificalem esse certo dicas, vides tripoda impositum cum scypho, & prope adjecta simpulum, lituum, facem, & lucernam, nec non coronam, qua fortasse sacerdotes cingebantur: quod adnotandum ratus sum, inaudieram enim in longe diversas sententias scissos doctissimos cives meos, ut etiam lectisternium confinxerint; rogaris, ut vel Boissardum, vel Gruterum adeas.

Pag.385.lin.35. Ut constet revera me divinasse etymon, & notionem vocis ὑπερφίαλος, *superbus*, adjiciam verba Aristophanis mihi appositissima, quæ piget me oblitum esse, in vespis v.1339.

Ἀλλ' οὐκ ἀποδώσεις, οἶδ' ἢν φιαλεῖς οἶδ' ὅτι,

Ita vertunt:

Verum negabis sat scio; haud facies opus.

Vides igitur verbum φιαλεῖν valere idem, ac *necesse esse*, non vero ut explicat scholiastes ἁπλῶς *opus aggredi*: hujus verba accipias: Φιαλεῖς, τῷ ἔργῳ ἐπιβαλεῖς, Ὅμηρος, Αὐτὸς γὰρ ἐφίπλει πάσδ' ἔργα, ἀντὶ τοῦ ἐπιβαλλεται. Καὶ φιαλῶμεν, πάσχει, τῷ ἔργῳ ἐπιβαλῶμεν, ἐπὶ τοῦτο ὁρμήσομεν. Φιαλεῖν γὰρ τὸ ἄρχεσθαι τοῦ πράγματος, ὁ αὐτὸς Ἀριστοφάνης,

Ἄγε δὴ σὺ παχέως ὅπεχε τὴν φιάλλω, ὅπως
Ἔργῳ φιαλῶμεν δῦξάμενοι τοῖσι Θεοῖς.

Ἄλως, τὸ τῇ φιάλῃ πιεῖν. Νῦν δὲ ἴσως κατὰ κακεμφάτως· quæ sic mecum vertas: Φιαλεῖς, *est*, *opus aggrederis*, *teste Homero*, *Ipse autem aggressus est opera*, *pro eo quod dicitur*, *cœpit facere*. Et φιαλῶμεν, *ideſt*, *opus aggredimur*, *animum appellimus*. Φιαλεῖν *enim est ordiri rem*; *& ipse Aristophanes*:

Age tu cito porrige phialam, ut
Opus aggrediamur orantes Deos.

Aliter, *phiala propinare*. *Hic fortasse & obscœne accipiendum*.

Ipsissima verba recinit Scholiastes in Pace vers. 431. quæ, ne actum agam, missa facio. Addam solummodo, quæ Flor. Christianus in hunc comici locum adnotat, ut advertas, quantum porro ab notione verbi φιαλεῖν discessere ipse, & scholiastes: *Verbum hoc videtur quibusdam ab Aristophane novatum, sed non ita est, nam antiqui usurparunt pro* ἐπιβαλεῖν τῷ ἔργῳ, *cum accingunt se ad opus: Homerus*, Αὐτὸς γὰρ ἐφίπλειν πάσδ' ἔργα· *idem comicus noster in Vespis*, Οὐδὲ φιαλεῖς οἶδ' ὅτι, *etsi illic intelligitur cacemphaton. Grammatici* φιάλην *dictam putant, quasi* πιάλην, *quasi liceat inde* πιεῖν ἄλις· *Ego putem* φιαλεῖν *primum dictum de libatione phialæ, inde traductum ad opus quodlibet, quod qui incipit, videtur delibare*. Primum vides nil novi Christianum nos docuisse, sed quæ dixerat scholiastes, suffuratum esse: deinde eo quod uterque originationem vocis φιαλεῖν ab Hebræo fonte haud didicerant, nil nisi verba sat inficeta nobis propinarunt. Mihi cordi est reperisse in Aristophane τὸ φιαλεῖν esse non *opus aggredi*, sed secundum stirpem Phalegicam valere *agere*, *quod honestum est*, & *quod* τὸ πρέπον *postulat*: hinc ὑπερφίαλος est, *qui contra*, *quod decorum est*, *agit*, uti multis ostendimus, licet obliti binorum Aristophanis locorum, qui & etymon, & significationem apprime firmant; atque inter nugas germanas amandetur Græculorum veriloquium deducentium voces φιάλη, & φιαλεῖν ab πιεῖν ἄλις.

Pag.392.lin.12. Ut etiam atque etiam hanc eximii pretii Herculanensem picturam exteris commendem, & veterum Scriptorum auctoritate magis honestem, in men-

Digitized by Google

mentem nunc venit Pausaniæ locus p. 514. ubi etiam legas astragalorum lusum proprium puellarum fuisse, quocum belle conspirat Herculanensis pictor: adnectam longiusculum κείμενον Pausaniæ sat affectum, ejusque interpretamentum perquam ἄπιστον, & mirum est Kuhnium nihil in eo advertisse: Ἔστι δὲ καὶ Χάρισιν ἱερὸν, καὶ ξόανα ἐπίχρυσα καὶ ἐς ἑσπέρα, πρόσωπα δὲ, καὶ χεῖρες, καὶ πόδες λίθου λευκοῦ· ἔχουσι δὲ ἡ μὲν αὐτῶν ῥόδον, ἀστράγαλον δὲ ἡ μέση, καὶ ἡ τρίτη κλῶνα σμίκρα μέγαν μυρσίνης. Ἔχειν δὲ αὐτὰς ἐπὶ τοιῷδε εἰκάζοι τις ἂν καὶ ἑρπυλλίνα, ῥόδον μὲν, καὶ μυρσίνην Ἀφροδίτης τε ἱερὰ εἶναι, καὶ οἰκεῖα τῷ ἐς κάλλος λόγῳ. Χάρισιν δὲ Ἀφροδίτῃ μάλιστα εἶναι Θεῶν· ἀστράγαλόν τε μειρακίων τε, καὶ παρθένων, οἷς ἄχαρι ἤδη πω πρόσεστιν ἐκ γήρως· ταύτων εἶναι τῶν ἀστράγαλον παίγνιον. Τῶν Χαρίτων δὲ ἐν δεξιᾷ ἄγαλμά ἐστι Ἔρωτος, ἔστηκε δὲ ἐπὶ βάθρου τῷ αὐτῷ· quæ ita versa sunt: *Suum habent & Gratiæ templum, simulacra lignea sunt, veste inaurata; facies, manus, & pedes e candido marmore: earum una rosam, talum altera, myrti frondem exiguam tertia præfert. Quæ sit insignium ratio facile conjiciat, qui attenderit rosam, & item myrtum Veneri sacram, quod stirps utraque eximiam habeat pulchritudinis speciem: Gratiæ vero Veneri præ ceteris Diis attributæ sint: talus quidem adolescentulorum, & virginum lusionem significat, quæ a natu grandioribus aliena, teneræ ætati non indecora est. In eadem basi Cupido Gratiis adstitit a dextra.* Ut stet priscus honos Græco κειμένῳ, & bonis hisce Pausaniæ verbis, librariorum peccata abstergenda sunt: quorum primum sat enorme est ἐκ γήρως pro ἐκ λήρων, facile siquidem fuit λ invertere in γ, atque inde nativa emicat sententia: *Talus lusus adolescentularum est, & virgunculorum, queis non est prorsus indecorum, si ludant, & nugentur:* quæ apposuit Kuhnius nihili sunt, & Græce non exstant, *talus quidem adolescentulorum, & virginum lusionem significat: quæ a natu grandioribus aliena, teneræ ætati non indecora est.* Sane nugari & ludere proprium ejus ætatis est: hinc Phraathes Demetrio a fuga iterato retracto talos aureos donavit, quo puerilem levitatem exprobraret, vid. Justin. lib. 28. c. 9. Alterum peccatum, quod vel tiro noscitat, τὸν ἀστράγαλον παίγνιον, immutes τῶν ἀστραγάλων παίγνιον. Tutemet vides importune versum τὸν κλῶνα σμίκρα μέγαν μυρσίνης, *myrti frondem exiguam*, reponas *myrti ramulum*. Præterea vox Θεῶν ad *Deas* pertinet hic, non ad *Deos*; & μειρακίων dicas *adolescentularum*, non *adolescentulorum*, & ἐπὶ βάθρου αὐτῷ non est *in eadem basi*, sed *in ipsis gradibus*; ascendebatur igitur ad hasce Gratiarum statuas: quas adnotes etiam indutas confictas, cum nudas scalpi, & pingi in more fuisset. Atque hæc διὰ βραχέων de Pausaniæ verborum sententia, & medela.

☼ Pag. 457. lin. 24. Annum Puteolanæ coloniæ longe ante Cic. etiam ipse Mazochius fatetur tum ex Liv. tum ex Puteol. saxo. Hic mihi liceat adnotare Mazochii Vatinianum in Neap. libertatem odium, qui monumentum, quod alterius urbis certum ipsemet fatetur, optaret, ut Neapolitanum esset, & quibusvis illud machinamentis contra urgere adnititur: neque summum virum voces *deducta colonia* ab incœpto deterruere, quando ipse pag. 241. dejerat Neapolim nunquam *deductos* veteranos, seque ab eo odii pleno ῥήματι τῷ *deducere* semper abstinuisse. Accipias ejus disertissima verba, quo mihi præstes fidem, & te consulendi p. 238. fasce levem: *Ut quod res est fatear, certissimum coloniæ Neapolim deductæ tempus esset, si quæ tabula Neapoli in domo Hadriani Guilielmi posita a Grutero p. 107. recitatur, ea Neapoli effossa fuisset: quæ sic incipit:* AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC. N. FVFIDIO N. F. M. PVLLIO. DVO. VIR. P. RVTILIO. CN. MALLIO. COS. OPERVM. LEX. II. *deinde lex* parieti faciundo *bene longa sequitur. Atqui si de colonia Neap. hic ageretur, eam jam ab anno V. C. 558. conditam fuisse oporteret: quid si ab anno 558. annos 90. numeres, incides in annum 648. quo suprascripti consules processerunt. Quo pacto igitur Strabo ab urbibus ἐκβαρβαρωμέναις Neapolim excepisset? Verum hanc pulcherrimam tabulam in agro Putcolano*

Digitized by Google

lano fuisse repertam non est dubium. Pulchre autem tempus deductæ Puteolanæ coloniæ ab Livio signatum cum eo anno, qui hinc colligitur, congruit: de quo vide Pighianos annales. Ita Mazochius. Et quoniam pro tuenda αὐτονομίᾳ opportunæ sunt querelæ adversus magnos viros, conqueror etiam de Reinesio, qui nescio qua mentis vertigine sine vade & teste edicit Neapolim vocitatam esse *coloniam Juliam* pag.98. in Syntagm. inscript.

Pag.485.lin.39. In omni hujus cap. parte 4. ostendere aggressus sum Neapoli unas Græcas epigraphas repertas superioribus sæculis, & mea etiam scribentis ætate multos ejus linguæ lapides erutos, nunquam vero Latiales: consulto præterieram marmor illud, (quod paucis ante annis ante Mariæ Rotundæ prostabat, & quis mihi facile opponere quivisset;) nam vel puer decennis noscitat a Capacio pag. 14. confictum, & miror Gruterum illud in suum thesaurum immisisse p.193.

POSTVMIVS · LAMPADIVS
V · C · CAMP
TEMPLA · CLIVOS · ET · PLATEAS
NEAPOLEOS · RESTITVI · CVRAVIT

Porro vides, etiamsi verum sit hoc marmor, non Neapoli erectum, sed alibi, uti clare ostendit vox *Neapoleos*, quæ sane abundaret, si in hac urbe scalptum esset; quod mihi abunde sufficeret, quo sententiam meam tutarer Latina epigrammata Græcam civitatem nunquam condidisse. Attamen, si Lampadius consularis Campaniæ Neapoli, ea, quæ lapis dicit, restituisset, everteret sane, quod a me firmatum est, urbem nostram Campano consulari nunquam paruisse, sed Græcanicos habuisse magistratus, veluti demarchum, &c. quare cum lapis historiæ monumentis resistat, *νοθείας* certo arcessas. Quis præterea credat Lampadium tot tantaque restituisse? quænam tempestas, vel quænam barbararum gentium illuvies Neapolim invaserat, ut templa, clivos, vias pessum dederit? Præterea, si Capacius inscriptionem confinxerit, haud norat vocem *plateas* pro *vias* esse inficetissimam, neque in lapidibus unquam invenire est: & quis unquam dixerit *clivos restituit*, nam idem valet, ac *valles*, *colles*, *montes restituit*. Ceterum ne te perdiu teneam, scias me millies saxum invisisse, atque adeo derosum reperisse, ut ne privum quidem elementum scrutari satis unquam fuerim: imo constat non heri, aut nudius tertius hanc calamitatem saxo accidisse, sed longe etiam ante Capacium, qui centum & sexaginta ante annis historiam scripserat; etenim ipsemet hæc candide illevit laudata pag. 14. *Ad Neapolitanam rem illud pertinere declarat alter lapis e regione positus, in quo characteres abrasi cernuntur, qui prius hujusmodi legebatur:* POSTVMIVS·LAMPADIVS, *&c.* quisque irarum plenus repeteret a Capacio schedas, vel auctorem, in queis hunc titulum legerat, etenim hoc pacto ac fide pro ea re, quam tutandam quis aggreditur, veteres lapides facile proferret. Sed in mentem revoces nostrum hunc civem Neapolim inter colonias adnumerasse, quare operi suo has offucias immiscere studuit; verum ipsum melioris artificii sollertiam didicisse, nec tam malæ frugis verba confinxisse oportuisset, ut posteris imponeret. Jure igitur conquerendum de Grutero, qui Capaciani lapidis *νοθείαν* haud deprehendit, & de doctis civibus meis, qui hanc epigraphen contra veterem reip. Neapolitanæ libertatem objiciunt.

Pag.502.lin.32. De parente Plutogeniæ Neapolitanæ Sacerdotis sententiam meam clarius aperui pag.713. ubi corruptissimo nostrati saxo multum medelæ feci.

Pag.507. lin.33. Dictum a me est scribendum potius Παλαιόπολις, quam Παλαίπολις, ita etiam Latine est: at oblitus sum id firmare vehementi Capitolinorum marmorum testimonio vid. Grut. p. 297. col. 1. circa med. Q. PVBLILIVS Q. F. Q. N. PHILO. II. ANN. CDXXVII. PRIMVS. PRO. COS. DE. SAMNITIBVS. PALAEOPOLITANEIS. Neque cures nuperas Livii membranas, cum rectam scribendi rationem a

boni

Digitized by Google

boni ævi lapidibus teneas; licet etiam doctissimi ejus interpretes rati sint vocem Palæpolim in Palæopolim immutandam.

⁂ Pag. ead. lin. 38. Si vero in una ex πολυβοήσοις æneis Heracleensium laminis ΝΕΑΠΟΛΙΤΑΣ incisum sit, nam memini, (antequam Carolus Gueguara e ducibus Bovinensium, atque ex primis Neap. patriciis, nunc cum omnimoda potestate Regis D.N. apud Lusitanorum Regem orator, elegantium litterarum, & antiquitatum cultor acerrimus illas sibi compararet, atque liberalissima munificentia incidi accuraret,) in prima hos subscriptos me lectitasse: ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΣΕ ΓΥΙΟΝ ΑΡΙΣΤΟΔΑΜΟΣ ΣΤΜΜΑΧΟΥ ΓΑΜΕΤΡΑΣ ΧΑΙΡΕΑΣ ΔΑΜΩΝΟΣ ΝΕΑΠΟΛΙΤΑΣ, vides ore Dorico has tabulas exaratas, & Doribus mos quidem est O in A invertere, hinc εἴκοσι immutarunt in εἴκαπ· & non priva vice in eodem ære lectitavi vocem τεμαχάτιοι, & huic similes pro τεμαχόσιοι· & Vossius edicit: *Dorice o aliquando vertitur in α·* contra ibidem videre est sæpe α in ο immutatum; ecquis ignorat in quavis lingua ἀμοιβήδην utrumque elementum adhibitum? Quare hujus ope laminæ Messerium excusatum habeas, qui publico nostrati monumento Νεάπολις scalpsit: attamen iterum firmum ratumque esse jubeo urbem nostram scribendam Attice Νεόπολις, cum in sexcentis numismatis ex quovis metallo id nomen ita cusum legamus: grande, & selectum Jo. Carafæ e Nojæ ducibus numismatophylacium, cum quibusvis doctissimis patriciis comparandi adeas, in eoque ingentem Neap. nummorum συλλογὴν volupe est intueri, in quibus est Νεοπολιτῶν, & Νεοπολίτης· cui hac de re gratias habemus immortales, præsertim si eos typis publicæ usuræ fecerit, uti liberalissime spondet: & sane angerer, si summus vir Mazochius in commentariis in has laminas cedro dignis τὸ Νεάπολις, in nostra urbe Attica comprobaret.

Nollem præterea, ut ipse doctissimus Mazochius certo edicat hunc Chæream Damonis filium decempedatorem nostratem fuisse, cum quisque facile, & fortassis etiam jure intercederet ab Neapoli Siciliæ arcessitum, cum si iter mari suscipiendum, Syracusas præ Neapoli Campaniæ Tarentino sinui perquam viciniores reputem: quin intueor nomina *Chæreas*, & *Damon*, certe esse Syracusana, nam Damon a bucolicis Scriptoribus celebratur, & Chæream adolescentem ejusdem urbis συμπολίτην novi in ἐρωτικοῖς διηγήμασι Charitonis, quæ quinis abhinc annis æterno commentario, & luce donavit ὁ πάνυ d' Orvillius; nec alibi gentium ea nomina reperire est: consulas saltem inscriptionum indices: vix in Terentio semel inter tot comicas personas Chæream adolescentem in Eunucho deprehendi. Addas notum esse Syracusanos cum Magnæ Græciæ gentibus peculiarem commeandi, contrahendique facultatem celebrasse; hinc tenemus ab Athenæo lib. 1. c. 24. genus quoddam vitis ex Italia Syracusas advectum· Ἱππίας Ῥηγῖνος τὴν εἰλεὸν καλουμένην ἀμπελον Βυβλίαν φησὶ καλεῖσθαι· ἣν Πόλλιν τὸν Ἀργεῖον, ὃς ἐβασίλευσε Συρακουσίων, πρῶτον εἰς Συρακούσας κομίσαι ἐξ Ἰταλίας· εἴη ἂν ἡ παρὰ Σικελιώταις γλυκὺς καλούμενος Πόλλιος ὁ βύβλινος οἶνος· quam vini speciem meminit etiam Pollux lib. 6. c. 2. n. 16. Italiæ autem nomen primis temporibus, si fides sit Martinerio, qui & ad Bochartum provocat, strictiore notione accipiendum est, pro una Græciæ majoris parte, cum posterioribus temporibus ad Alpium usque juga extensum sit, quare facile quis in animum inducet Chæream γαμέτραν ex Neapoli Syracusarum fuisse, si tanta consuetudo viguerit inter Syracusanos, & Italiotidas Græcanicos, quorum procul dubio primos salutes Tarentinos, & Heracleenses. Accipias Bocharti verba p. 595. quæ Cellarius præterivit: *Hoc ratum & fixum esto ex descriptione veterum priscæ Italiæ fines fuisse valde angustos, neque hoc nomen agro Brutiorum patuisse multo latius; nec satis scimus, qua ratione ex eo angulo sit propagatum usque ad Alpes:* & multa Scriptorum monumenta affert, ut id probet.

Interea minime posthabeam his sat contraria Jac. Gothofredum in doctis adnotationibus in Geographum anonymum, cujus

Digitized by Google

cujus opus inscribitur, Ἐξήγησις ὅλυ τῦ κόσμυ, luculenta hujus Scriptoris nil sordidi auctoritate nixum illevisse pag. 39. *Notatu dignus locus, quo Italia a Calabria, Brittio, Lucania, Campania, appellatione separatur: Italia nempe speciali significatu ea est, quæ a Roma ferme ad Alpes decurrit, quo sane, vel proximo significatu Italiam accipi solitam hac tempestate docebo pluribus ad leg. 6. cod. Th. de annona, & trib.* tantum virum in ea leg. adeas, nam id argumentum docte more suo agitat: verum adversantes pro temporum ratione hasce doctissimorum virorum sententias, si Puteolanam chorographiam exspectes, dummodo quid ingenium mihi suggerat, simul coire satagam. Præterea rogaris, ut advertas ævo circiter harum ænearum tabularum urbem Syracusas mechanicis, & geometricis disciplinis omnium principem floruisse; etenim Archimedem in matheſi virum ἐξοχώτατον 212. ante Christum natum annos obiisse post longiorem senectutem constat: nil mirum igitur si Chæream e Neapoli Syracusarum Heracleam ad Dionysi campos exacte metiendos vel accitum, vel fortuito Heracleæ commorantem dicas. Et haud scio, quo fato accidit, ut Syracusani sæpe invaserint jura nostræ civitatis Neap. uti Sosis apud interpp. Ciceronis, vide infra pag. 454. & Nicon apud Bollan. infra pag. 518. quos Neapoli Syracusanorum ipse multa argumentorum vi restituendos curavi. Non igitur firmum ac certum ducas hunc Chæream γεωμέτρην in Heracleensium laminis nostratem fuisse: imo urgetur potius quisque, ut credat virum Siculum. Porro rem firmarem, si sat vendibilem conjecturam acceptes, nempe vinum βύβλινον vocatum esse a Syracusanis Πόλιον, sive Πόλιον non a Polide eorum rege, sed quod ab urbe Poliio, (uti etiam appellabatur Heraclea, vide geographos,) transvectum est: & quis unquam ignoravit vini genera nomen acquisiviſse ab urbibus, ac montibus, non ab hominibus, aut regibus, qui vites alio convectarint: hinc audire sollemne est, *Chium*, *Rhodium*, *Falernum*, & nunc etiam *Polium* vinum, sive Heracleense: quam conjecturam, inquam, si acceptes, fatendum est inter Heracleenses, & Syracusanos tum amicitiæ fœdera, tum ἐμποεικά negotia intercessisse, & Chæream γαμέτραν Syracusanum lubenter salutandum.

Ne a me quæras importunus pro re nata, quid sibi velint tenebricosa illa ΣΕ ΓΤΙΟΝ præposita nomini Aristodami, sive Aristodemi scribæ, cum id unum exspectemus ab Mazochio, horum αἰνιγμάτων Œdipo ἐξοχωτάτῳ, sicuti notæ reliquæ, quas inspicies in initio unius ex tabulis, scilicet ΑΣ *βότρυς*, *Τίμαρχος Νίκωνος*. ΣΕ *ἀνθεμών*, *Ἀπολλώνιος Ἀπολλωνίω* . . . ΣΕ *τρίπους*, *Φιλώνυμος Ζωπυρίσκω*. ΠΕ *καμύκιον*, *Ἀπολλώνιος Ἡρακλήτω*. ΑΙ *πέλτα*, *Δάζιμος Πύρρω*. ΚΝ *θρίναξ*, *Φιλώτας Ἰσιείω*. ΜΕ *ἐπισύλιον*, *Ἡρακλείδας Ζωπύρω*: illas scio Corsinium virum *ἑλληνικώτατον*, quod unum arduum sane est, divinasse, vel saltem vero proxima vestigasse non unius inscriptionis ope, & longissimæ tabulæ testimonio, in qua etiam Siculorum agrorum fines describuntur, vide ejus immortale volumen de notis Gr. pagg. 3. & 4.

☼ Pag. 510. lin. 17. Hilarissime vivo, quod invenerim apud Gell. lib. 17. c. 19. p. 786. edit. Gronovii Latinos in notione verbi *φοιτᾶν*, *ad ludum litterarium ire*, usos esse simplici *ῥήματι adire*: ait etenim Gellius: *Cum viderat studia quoque, & disciplinas philosophiæ contrectare, & physica* ADIRE, *& meditari dialectica, multaque id genus theoremata suspicari, scisciterique, inclamabat Deum, atque hominum fidem, &c.* Quod verbum docet Gronovius, cum non intelligerent quidam, immutasse contra fidem vetustatis in *audere*, aut in *audire*: inde concludit magnus vir: *Apparet eis ignotum fuisse Græcorum τὸ φοιτᾶν*. Quis non miretur præclarum hunc Gellii locum fugisse duo viros doctissimos Olearium, & Mazochium?

☼ Pag. 520. lin. ult. Quid lucis adspergendum mihi est vocibus *ἀνθυπατον των Ἰλιων*: si revera, dicat quis, τὸ Ἰλιων hic sunt populi *Ilienses* in Sardinia, lapis exhiberet Ἰλιέων, ab genitore Ἰλιεύς, & mihi

objicere posset Pausaniam hanc Sardorum gentem Ἰλιεῖς non semel vocitantem p.838. non vero Ἴλιοι, necnon nummos quosdam in Trojano Ilio cusos præferentes epigraphen ΙΑΙΕΩΝ, non ΙΑΙΩΝ, verum ipse reponam in saxo revera ΙΑΙΕΩΝ scalptum, & ob typographorum peccatum vides ΙΑΙΩΝ in Capacio, in cujus volumine Græca fere omnia marcide edita indolescimus; & ne ab hoc Crepereji saxo discedam, bina sunt σφάλματα in voce ΑΝΤΙΠΑΤΟΝ, neque dubites, quin non sordidus hic nostras historicus illeverit chartis suis ΙΑΙΕΩΝ, etenim ipse Latine dedit *Iliensium*. Præterea meticulosus dicerem, eo quod Neapolitanos ore Ἀττικωπάτῳ usos ostensum est, facile etiam in patrio casu Ἰλιῶν sonuisse pro Ἰλιέων, & nil monstrosum hunc contrahendi ritum dicas, nam tenes etiam a Thucyd. δωριᾶς pro δωριέας, quod etiam longe a contractorum usu exorbitat. Demum neminem fugit gentilia nomina multiplici ratione inclinata, ac terminantia: hinc a Stephano habemus ex urbe Πανδοσία nasci Πανδοσῖνος, & Πανδοσιανός, atque ex Pandosia Thesprotiæ ἐθνικὸν nomen esse Πανδοσιεύς: sunt nummi inscripti ΠΑΝΔΟΣΙΕΩΝ, & lis est inter Harduinum, & Holstenium, cui nam Pandosiæ sint tribuendi; ut taceam ex Ἡράκλεια deduci Ἡρακλεύς, & Ἡράκλειος. Si vero flagites nomina locorum generis ὑδετέου, uti est Ἴλιον, præsto mihi sunt Ἀπάτουρον, atque Ἀγκύλιον, a queis germinant Ἀπατούριος, & Ἀπατουρεύς, Ἀγκύλιος, & Ἀγκυλεύς: de id genus sexcentis vide etiam Steph. quare nil prohibet, quominus etiam ex Ἴλιον binus frutex pullulaverit, nempe Ἴλιος, & Ἰλιεύς. Ceterum vox ΙΑΙΩΝ sive integra, sive affecta alicujus provinciæ gentem nobis exhibet, cum τὸ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ, *proconsulem*, præeat. Attamen sero sapio me hac de voce oppido loquacem fuisse, & sat multa inculcasse, quando qui Stephano Byzant. adnotationes attexuerunt, aperte docent ex Ἴλιον nasci duplex gentile nomen Ἴλιοι, & Ἰλιεῖς, accipias lubens eorum verba: *Gentile* Ἰλιεύς *apud antiquarios Goltzium, & Spanhemium satis frequens occurrit, ut* & Ἴλιος *apud Tristanum, & Goltzium,* ΙΑΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Probe igitur Neapolitani in saxo scalpsere ἀνθύπατον τῶν Ἰλίων, *proconsulem Ilienſium*. Si autem a me dictum sit Trojanum Ilium in pagum abiisse, ne me locutum credas florenti circiter primorum Augustorum ævo, sed quarto post Chr. nat. sæculo, quæ lapidis Creperejani ætas est, quando haud scio an adhuc Ilii Trojani nomen audiebatur.

☼ Pag.531.lin.13. Vocem ΣΕΠΤΟΣ in hoc lapide interpretatus sum σεπτέμβριος, nec me movit, quod incidendum fuisset σεπτεμβρίου, uti in Dion. Cass.p.829. edit. Reim. rebar enim auctorem epigrammatis Latinos imitatum, qui in casu patrio dicunt *septembris;* sane octavo Christi sæculo Græcanicam linguam mirum in modum ἐκβεβαρβαρῶσθαι norunt universi; verum lubens nunc do, si quis contra perstrepat esse ἐπιθετὸν ipsius Theodori Ducis, ac vertat *venerabilis*, cum sciam Scriptores Ecclesiasticos, & quosdam insipientioris ævi Christianos lapides id vocabulum non semel adhibuisse, vide laboris plenum doctiss. Paciaudi opus inscriptum, *Antiquit. Christ. pag.* 28. adeas etiam Hesychium in ea voce. Hic pro nata re abstergendam reor hanc flocci faciendam ῥῆσιν ab eleganti Scriptore Dione Cassio pagg.684. v.27. & 710. v.95. etenim magnus Reimarus jure adnotat e glossa irrepsisse: & fortasse H. Stephanus etiam id adverterat, cum in eo vocabulo ad Dionem non provocet: & forsitan etiam in Plutarcho vocem σεπτώτικος, quam recitat ipse Stephanus, subleſtam dicas.

☼ Pag.570. lin.28. Vides, quam multiplici rationum pondere Herculanei situm firmavi, scilicet ubi nunc dicitur *Resina*, & *Portici;* attamen magnum Mazochium de eo adhuc valde dubitare quisque adstruet, dum isthæc lectitat in epist. dedic. in Eccl. Neap. semper unica pag.5. *Nam quid hac de urbe finitima, Herculaneo, sive quam aliam hanc appellabimus? Nec enim id nunc agimus, loquar?*

☼ Pag.581.lin.23. Præterea lux etiam est Suetonio in Nerone c. 41. narranti hunc prin-

Digitized by Google

principem *Neapoli degentem in gymnasium progressum certantes athletas effusissimo studio spectavisse*, etenim nullus neget in eo historico gymnasium esse ἰδίῳ nomine *Herculis Exedram*, nam in ea Cassius etiam viderat certamina athletarum.

☞ Pag.ead.lin.30.Nemo luculentius præstat gymnasium fuisse γενικόν publicæ exercitationis ædificium, quam Cic.ep. ad fam. 4. 12. ubi Academiam ait esse unum ex gymnasiis: *Ab Athenienſibus locum ſepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione ſe impediri dicerent: neque tamen id antea cuiquam conceſſerant; quod proximum fuit, uti in quo vellemus gymnaſio eum ſepeliremus, nobis permiſerunt: nos in nobiliſſimo orbis terrarum gymnaſio Academiæ locum delegimus, ibique eum combuſſimus, &c.* Idipsum recinit ubique sui operis Pausanias, exempla tutemet legas, veluti lib. 3. c. 13. p. 241. Πεποίηται δὲ καὶ γυμνάσια ἐν τῷ Δρόμῳ, κ. τ. λ. ideſt, *exſtructa ſunt loca exercitationis ergo in Dromo*, sive *ſtadio*.

☞ Pag.599.lin.34. Gratulor me non solummodo reperisse, eo quod fratores sacerdotum munere fungebantur, natos infantes, ac puellas nuptui dandas adnotasse, verum etiam, (quod piget me oblitum esse,) eos, qui naturæ cedebant, ex albo erasisse, hujus rei testem nactus sum σοφῶν maximum Platonem in extrema cera lib.6. de leg. & edit. Jo. Serrani p.785. Βίου μὲν ἀρχὴ πᾶσι παντὸς ἑκάστοις ὁ πρῶτος ἐνιαυτός· ὃν γεγράφθαι χρεὼν ἐν ἱεροῖσι πατρῴοις, ζωῆς ἀρχὴν κόρῳ, καὶ κόρῃ· παραγεγράφθω δ' ἐν πείχῳ λελευκωμένῳ ἐν πάσῃ φατρίᾳ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀρχόντων τῶν ἐπὶ τοῖς ἔτεσιν ἀριθμουμένων· τοὺς δὲ φατρίας ἀεὶ τοὺς ζῶντας μὲν γεγράφθαι πλησίον· τοὺς δ' ἐπεκχωρήσαντας τοῦ βίου ἐξαλείφειν· in queis Platonis verbis tam apertis, licet parum corruptis, ignoro, cur duoviri Ficinus, & Serranus Græce doctissimi tam longe a philosophi mente peregrinati sint: ita enim Latine dedit Ficinus: *Vitæ totius initium primus annus omnibus est, quem in ſacellis paternis, ut vivendi initium tam puero, quam puellæ ſcriptum eſſe oportet: adſcribatur autem in pariete dealbato in unaquaque tribu, ut qui ad magiſtratus idonei ſint, annorum numero conſtet: & cujuſque tribus viventes homines proxime ſcribantur ſemper, & naturæ cedentes ſimiliter deleantur.*

Serranus id interpretamentum parum confingit, sed eandem recoquit sententiam; unum doleo præteriisse voculas ἀεί, & πλησίον. Sed antequam Platonis mentem aperiam, παραγεγράφθω restituas παραγεγράφθαι, præcedit χρεών, *oportet*, & sequuntur γεγράφθαι, & ἐξαλείφειν· præterea τῆς δὲ φατρίας, immutes τὰς δὲ φατρίας, ut verba non sint ἀσύνταικτα. Inde mecum vertas κατὰ λέξιν· *Vitæ quidem totius initium ſingulis eſt primus annus: eſſe oportet in ſacellis paternis vitæ initium tam pueri, quam puellæ: oportet hos adſcribere in pariete dealbato in unaquaque fratria ſecundum ſeriem archontum, a quibus anni enumerantur: necnon fratrias vivos quidem ſemper inſcribere juxta* (archontas) *oportet, demortuos vero delere*. Nisi sim luscitiosus, haud intueor in Græcis verbis jussisse Platonem scribi in albo puellos, ut *qui ad magiſtratus idonei eſſent, dignoſcerentur*; contra perlego jussisse, archontum nomina apponi, quo ætas distingueretur: vides Ficinum, & Serranum non advertisse hic veram vocis ἀρχόντων notionem, ac Athienses suos fastos illorum nominibus, sicuti Romanos consulibus signasse. Ceterum in bonam lucem Platonis κειμένῳ restituto, mea refert, ut noscas fratores præter natorum infantium, ac nuptarum nomina adnotandi, mortuorum etiam delendi curam habuisse in suis fratriis, sive templis, utpote gentem sacram: qui mos triplex inter Christianos adhuc sanctius durat.

☞ Pag.645.lin.3.Cum non pauca de Harpocrate a Neap. culto vestigarim, atque expenderim, peccarem, nisi exteros commonefacerem Regem fortunatissimum brevem picturam invenisse, in cujus medio ara est, quæ ab serpente undique cingitur, qui mala quædam supra aram imposita depascitur: a sinistra intuentium stat Harpocrates habitu nudi adolescentis dextra silentium indicentis, ut moris est, altera manu

nu palmam regentis: sed quod singularem reddit picturam, ipsam litteratam vidi, & paullo post quam e ruderibus extracta est, luculentissime legi in dextera parte, GENIVM HVIVS LOCI MONEO, scil. condocefacit intuentes Harpocrates serpentem illum esse genium loci: piget a docto viro lectum esse GENIVS HVIVS LOCI ET MONTIS, fortasse vicinus mons Vesuvius hujus viri oculis statim se objecit, geniumque Vesuvio addicere placuit. Selecta non pauca de anguibus, locorum geniis corrogavit in amphit. Camp. p.160. magnus Mazochius, quæ serpenti hujus picturæ honestandæ appositissima sunt.

☼ Pag.646.lin.36. Addam tot exemplis, queis tutus sum hunc scribendi elegantem Neapolitanorum morem ἄρξας δέκα ἀνδρῶν ἀρχήν, locum Appiani in Hispanicis, pag.463. vel ex Stephani edit. p.265. Καὶ πατρός ἐστι Τραϊανὸ τε, καὶ Ἀδριανὸ τῶν ὕστερον Ῥωμαίοις ἀρξάντων αὐτοκράτορα ἀρχήν.

☼ P.653.lin.3. Ob scribendi celeritatem, & ab earum rerum elegantia, quæ de Cynæorum fratria a me repertæ sunt, abductus, ægre mihi est non adnotasse templi horum fratorum situm, qui nil mihi dubii est, quin fuerit, ubi nunc visitur sacra ædes Divæ Mariæ Rotundæ cognomento: inibi etenim exstant adhucdum in atrio binæ veterrimæ columnæ, & introrsum multiplices: imo & in atrio ipso insignia antiquitatis λείψανα intuemur, inter cetera mensam marmoream nil rudem, superne excavatam, ubi victimarum cæsarum sanguis recipiebatur, ejus σχῆμα profert Capacius ad fidem scalptum pag. 241. Præterea intus eandem sacram ædem famæ plenus cippus, fratriorum Deorum nomine insignis a me repertus est, quem delineatum dedi p.638. ejusque fatum legere est p. 637. In hujus etiam templi fundamentis non uni cuniculi senos pedes alti, latique binos cum dimidio e nostratibus grandibus, & bene sectis lapidibus elaborati omnibus subire cupientibus patent, & quo tendant, cuique usui fuerant, adhuc ignotum est: hos mihi ostendit, mecumque subiit patriarum antiquitatum amantissimus Theophilus Maurus e primis nostri fori jureconsultis, cujus suavitatem morum demiramur universi: eaque de re gratias habeo. Sed cumprimis durat adhuc sacra in hac æde tum fratorum cœtus, scilicet sacerdotum σύστημα, qui *fratanciarii* vulgo salutantur, & horum rector, veluti fretarchus, eidem Ecclesiæ pro sanctis functionibus addicti, qui vices ethnicorum fratorum subiere: tum fama apud nostrates Scriptores, cujuscumque pretii sint, id templum antiquissimis urbis nostræ semper accensitum. Si vero isthoc templum, licet elegans sit, non tanta majestate fulgeat, dicas ob temporum calamitatem ab illius reliquiis, quod magnificentissime Alexandrini exstruxerant, erectum. Porro quis mecum non objurget pronam, & nil cautam παῤῥησίαν Capacii nostri ibidem edicentis id templum fuisse Vestæ dedicatum, & quo id fulciat, meras gerras venditantis? cum jam multis a me, & certis monumentis ostensum sit in hac regione unos Ægyptiorum Deos cultos; & nunc etiam ajo, eo quod in eodem templo terna numina in cippo scalpta, Bacchum, Minervam, & Vulcanum reperi, ac in eo φρήτορας Θεὰς appellatos, nisi incredulum templum his minime sacrum inficiaturum esse. Et piget me isthæc sat opportuna pro Cynæorum fratria præteriisse.

☼ P.686.lin.12. Dictum a me est vocem *phetrium* Latinos semel usurpasse, uti ex Grutero noveram; verum in hujus thesauro 418.6. in altera epigraphe legere est PHETRIS:

C · HERBACIO · MAEC
ROMANO · DE · MAR . . .
. . . . II · VIRO · AL
. . . . LICIO · QVAEST
CVR · SACRAE · PECVN
CVR · II · FRVM · COMPAR
SE · VIVO · FECIT
QVI · OB · PROMIS · VENAT
PHETRIS · DIVISIT · QVINA
MIL · NVM

Quam utpote mancam, & nil curate exscriptam

ſcriptam avitæ integritati ita reddam:

C · HERBACIO · MAEC
ROMANO · DEMARCHO
NEAPOLI · II · VIRO · AE
DILICIO · QVAEST
CVR · SACRAE · PECVN
CVR · II · FRVM · COMPAR
SEVIRO · EQVIT
QVI · OB · PROMIS · VENAT
PHETRIS · DIVISIT · QVINA
MIL · NVM

Vides nunc ſiquidem aperte omnes C. Herbacii Romani ex tribu Mæc. honoris titulos: fuerat ſane Neapoli demarchus, & in aliqua proxima colonia II vir ædilicius, quæſtor, curator ſacræ pecuniæ, curator iterum frumenti comparandi, & ſevir equitum; qui promiſſam venationem cum exſequi haud quiviſſet, ejus coloniæ ſacris collegiis, ſive phetriis quina millia nummum diviſit, quo & munificentiam nil poſthaberet, & pietatem ſimul oſtentaret. Quoniam marmor *venationis* meminit, vel Campanum dicas, vel Puteolanum, in queis urbibus, amphitheatrum fuiſſe certo ſcimus, eorumque rudera κολοσσικώτατα adhuc exſtant. Quare vox *phetriis* non de Neapolitanis accipienda, Græcanicas enim civitates amphitheatra abhorruiſſe conſtat, quæ theatris ſolummodo delectabantur; & jam adnotavimus etiam *Veſbinium phetrium Auguſtalibus municipii Cæritum dono dediſſe*. Si igitur verum ſit hunc ſilicem, uti vult Panvinius, licet ex noſtratibus Scriptoribus nemo recitet, Neapoli exſtitiſſe, quis dubitet, quin inter peregrinos lapides accenſendus ſit, etiam ex eo, quod in Græca urbe Latiari eloquio ſcalptum videat?

Ne mihi moleſtus ſis, quod SE · VIVO · FECIT immutarim SE VIRO · EQVIT, non enim tam diſpari varietate laborant characteres; ceterum vel tiro novit, quam inficetum, atque ἄτοπον ſit hic illud *ſe vivo fecit*, cum lapis non ſit ζανάσιμος, contra ac *ſeviro equitum* cum ceteris honorum titulis apprime συμφώνει. De *ſeviratu* quæſita, & multa Reineſius aggerit in Syntagm. inſcr. pag. 133. & ſeqq. ſed miror tantum virum *ſevirorum equitum* prorſus oblitum: de hoc magiſtratu pauca nos docet Caſaubonus in Hiſt. Aug. to. 1. pag. 312. Verum id mea unum intereſt advertiſſe aliquando etiam Latinos vocem *phetrium* uſurpaſſe, & ad ſacrum σύσημα adnotandum adhibuiſſe, licet a ſaxis dumtaxat illam nacti ſimus. His animadverſis, in mentem venit recte me adnotaſſe hoc Herbacianum marmor Puteolis ſcalptum, nam Cicero ad Att. ep. 14. lib. 14. in hac urbe *phetrium* fuiſſe ſcribit: *Itaque joca tua plena facetiarum, de hæreſi Veſtorina, & de phetriorum more Puteolano, riſiſſe me ſatis nihil eſt neceſſe ſcribere*, πολιτικώτερα *illa videamus*, &c. tenes luculente Puteolis fuiſſe *phetrium*, licet tot doctiſſimi Tullii interpretes mire eam vocem vexarint, ne Manutium quidem excipias, quam unus Gronovius vidit, ac ita iraſcitur: *Indignum eſt ita hærere viros doctos in re ſatis manifeſta*, ſcilicet in voce *phetriorum*, conſulas editionem Verburgii, teſtemque vocat ſaxum hoc Herbacii, ſed vir ſummus, licet viderit affectiſſimum, nil medelæ attulit. Ecquis non conqueratur de τῷ πάνυ Mazochio de fratriis ἐκ τῶ φανερῶ diſputante, ipſum hæc omnia oblitum eſſe?

⁂ Pag. 716. lin. 23. Lubens fateor me ob μνημονικὸν peccatum dixiſſe pag. 716. Neapolitanos, utpote oris Attici ab voce σύγκλητος, *ſenatus*, abhorruiſſe; ſed inde in mentem venit me Neap. epigraphen pag. 644. appoſuiſſe, in qua ſcalptum eſt δογματι συγκλητου Ρωμαιων · id criminis ne tanti cures indulgentiſſimus, cum ſententiam, quam tueor, minime lædat, aut turbet.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Papyri Philodemi Herculanei repertæ, & ſingillatim cur ſubſcripta ſit.

BOnis conjecturis dictum a me eſt p. 277. lin. 26. ingentem convolutarum papyrorum numerum, quem Rex fortunatiſſimus Herculanei reperit, ad publicum horum

horum oppidorum γραμματοφυλάκιον pertinuisse, & rationum momenta non spernenda prolata sunt: verum accidit, ut, quoniam vir ille, qui Regis munificentia ad eas recludendas accitus est, non exiguam partem unius ex illis codicibus mira, & tædii plena diligentia aperuit, continuo quidam tumidi amari sermonis in populum sparserint mendacem fuisse meam divinationem, atque in atramentario opere me sententiam permutasse, ac non unas membranas refeciſſe: & haud scio, cur ingratissimus hic rumor faciles quorundam aures occupaverit: licet, queis sanius cor est, ea de re saltem ampliandum rati sint. Sed accipias, quæ de revoluta papyro ipsemet vidi: postquam omne id, quod in ea scriptum est, accepit finem, perlegi subscriptum, Φιλοδήμου περὶ μυσικῆς, characteribus, quos ipsi *majusculos* vocitamus, intervallo inde quodam relicto, iterum invisere est verba eadem sed grandioribus litteris exarata: scripturæ contextum percipere haud satis fui, cum nigerrima sit papyrus, & voces nisi longam post horam aucupari quis valeat: fateor siquidem præter non unas ῥήσεις lectu faciles, vocem μυσικὴ sæpe oculis occurrisse. Sed a doctissimis viris, queis liberius otium verba scrutandi datum est, evulgatum subaudio, argumentum esse, musicam reipublicæ officere potius, quam prodesse. Quinam sit hic Philodemus sophista simul, & poeta, & qua ætate floruerit, jam nobis dedit Jo. Fabricius in Bibl. Græca, quem consulas ope indicis. Me valde juvat ex Epicuri hæresi ipsum fuisse, qui pag. 569. probaverim in Herculanei oppidum Epicureorum gregem se recepisse, quos inter certo Philodemum adcenseas, cum inibi ejus scripta Rex beatissimus reperit.

Unum me urget, his intellectis, ut sistam hunc Philodemianum laborem codicem, sive pro publica causa de inter cives contentione libellum esse, inde in reip. Herculanensis chartophylacio servatum: porro mihi sit foret illius σχῆμα non quadrangulum, sed teres esse, hac etenim una figura donatas pro forensibus negotiis, vel jurgiis scripturas testatissimum feci: nunc etiam addixere aves, ut invenerim brevem hanc Philodemi cylindricam opellam non inscriptam suo nomine, sed subscriptam: norunt enim universi priva litigantium acta, ac in judiciis conflictantium membranas subscribi, reliqua scriptorum volumina inscribi, etiam ipsas epistolas in more fuisse; hinc etiam a lexicis philologicis ope indicis tenes voces *subscribere*, & *subscriptio*, sat multis veterum exemplis prolatis, pertinere ad *judicia*, atque illud quidem esse *actionem instituere*, hanc autem *sententiæ lationem*, vel quid simile: imo, quod me valde delectat, ῥῆτορ *subscriptores* accipi pro causidicorum genere, hinc jure Cicero eos vocat *exercitatos*, & *disertos* in divin. in Verr. cap. 15. Neque obliviscendi *subscribendarii* in cod. Theodos. lib. 7. tit. 4. l. 1. de erog. mil. annon. quos *actuarios* etiam vocant, eorumque munus, ac quos subscribebant, libros, publicæ auctoritatis fuisse certum est. Rogaris, ut me onere leves pro harum vocum explanatione leges recitandi, quando has ab indicibus, atque a lexicis facile arripias. Et Jac. Gothofredus de iis loquitur in eod. cod. de cohortal. &c. lib. 8. tit. 4. l. 1. & cum *tabulariis* conjunguntur.

Neque credas me non evolvisse Salmasii caput 21. de subscr. & sign. testam. ubi vir magnus, quot modis accepta sint vocabula *subscribere*, *subscriptio*, & *subscriptores*, colluſtrare aggressus est: verum id negotium tanta eruditionum congerie, & auctoritatum strue confartum ac commixtum reperi, imo tanta bile contra Heraldum conscriptum, ut certam eorum vocabulorum διάγνωσιν internoscere haud potis fuerim: præsertim, cum in id totus sit, ut *adscribere*, & *subscribere* ejusdem notionis esse ostendere contento studio adlaboret, quod ei haud facile quis donet: imo disputandi ardore ita corripi passus est, ut aperte perneget olim sapientiori ævo ullam scripturam vel privatam, vel publicam aliquo nomine fuisse subscriptam, quo ut te illius operis pag. 213. adeun-

adeundi fastidio levem, ejus verba tibi hic appendam: *Dicam primo vocem* subscriptionis *nullos hactenus juris doctores assecutos fuisse, quomodo, & quo sensu antiqui, qua jurisconsulti, qua alii auctores eam usurparint, rumpantur licet ilia inscito Codro* (Heraldo.) *Quod enim putarunt omnes eo vocabulo veteres* subscriptionem *dixisse pro nomine subjecto alicui scripto, certum est antiquos nulli omnino scripturæ, neque testamentariæ, neque chirographariæ, neque syngraphariæ, neque epistolari, non publicæ, non privatæ, nomina sua nuda subjicere, subsignare & subscribere solitos, ut nunc facimus. Nec igitur unquam* subscribere *in ea significatione posuerunt pro nomen suum subjungere, scripto præmisso. Falsum itaque quod in suis lexicis interpretantur*, Chirographum *esse* scripturam privatam manu cujusque subscriptam subsignatamque. *Scriptura privata est cujusque manu facta. Falsum est, quod vir summus, & jurisconsultus maximus Cujacius subscriptiones criminum inde dictas interpretatur, quod accusator libellum sua manu subscriptum contra eum, quem reum peragere coram judice volebat, &c.*

Quo autem isthæc magni Salmasii dicendi vis, ac copia prorsus concidat, opponam nostrum Philodemi teretem libellum, Tullianis temporibus *σύγχρονον*, in quo hujus sophistæ *nudum nomen* subscriptum intueri cuique lubet; & palam est omnibus, quid re vera sit *subscribere*, quo de *ῥήματι* tot turbas civit Salmasius; qui sane si hac distinctione usus esset, nempe quæ publicæ auctoritatis essent libelli, syngraphæ, testamenta, &c. & quæ ad forensia negotia, ac judicialia spectarent, subscripta fuisse; quæ vero privato usui forent, etiamsi grandibus voluminibus constarent, solummodo inscripta, sive titulos, & nomen auctoris præfetulisse, nil confusum ac turbatum nobis dedisset, & Cujacio, atque id genus summis viris dicam non intulisset. Quod autem veteres scriptis operibus suis nomina initio pinxerint, dummodo forensia non essent, vel publicæ auctoritatis, præterquamquod ita inscripta legimus universa, aperte idipsum nos commonefacit Tullius orat. pro Archia cap. XI. *Ipsi illi philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt.* Ut autem contra Salmasium prorsus firmem una acta publica, & syngraphas, & cujusvis generis contractus olim fuisse subscriptos, præter Philodemi papyrum, servavi mihi, veluti certam tesseram, aliud domesticum, & vehemens monumentum, tabulam scilicet Heracleensem, qua de vide pag. XXV. eam siquidem, cum sit *διαθήκη Διονύσω χόρων*, vides subscriptam nudo scribæ, & decempedatoris nomine, in grande æs incisam, & publico loco appensam; optarem ut Mazochius de hac tabularum Heracleensium subscriptione docta quædam more suo in earumdem, quam deperimus, illustratione adjiciat.

Demum servavi mihi cariorem auro Suetonii locum in Tib. cap. 32. in quo luculenter vides, quanti interesset publicas litteras a magistratibus *subscribi*: etenim, cum ii, qui Rhodi degerent, eas subscribere vel obliti essent, vel posthabuissent, Romam ob id incuriæ illos Tiberius evocavit, ut in eos animadverteret, licet inde moderate id tulerit: *Parem moderationem minoribus quoque & personis, & rebus exhibuit: cum Rhodiorum magistratus, quod litteras publicas sine subscriptione ad se dederunt, evocasset, ne verbo quidem insectatus, ac tantummodo jussos subscribere, remisit.* Haud incusem Salmasium hunc locum sententiam suam jugulantem tacuisse, potius eum fugisse dicendum est.

Verum hunc per mihi opportunum Suetonii locum interturbare, ab eoque multum ponderis adimere videtur Dio Cassius, dum eadem de Tiberio narrat pag. 855. edit. Reimari: *Τοσαύτην ἐπιείκειαν ἤσκει, ὥστε ἐπειδή ποτε οἱ Ῥόδιοι ἄρχοντες ἐπιστείλαντές τι αὐτῷ ἐχ ὑπέγραψαν τῇ ἐπιστολῇ τοῦτο τὸ νομιζόμενον εὐχὰς αὐτῷ ποιούμενοι· μετεπέμψατο μὲν σφᾶς σπουδῇ, ὡς δὲ οὐδὲν δεινὸν εἰργάσαντο, ἀλλ' ὑπογράψαντας τὸ ἐνδέον ἀπέπεμψε·* quæ sic vertas: *Tanta utebatur moderatione, ut quoniam*

Digitized by Google

niam aliquando Rhodiorum magistratus quid ei scripserant, epistolæ id, quod sollemne erat, minime subscripsissent, postquam vota ei apprecati essent; continuo illos quidem accivit, quasi male multaturus: cum advenissent, in eos minime desæviit, sed necessaria subscriptione ab iisdem adjecta, dimisit. Porro isthæc Dionis verba, & qui Latine dederunt, & qui in eum adnotationes illeverunt alioqui luculenta tenebris affudere, ajentes Rhodiorum magistratus accitos, quod in litteris vota, quæ pro imperatoris salute in ima cera nuncupabantur, omisissent, ac ita hujus historici verba transfudere, (ne Casaubonum in Sveton. & Reimarum ipsum excipias,) contra fidem Græcam: *data ad eum epistola non subscripsissent formulam consuetam, quæ vota pro ipso contineret*, quando aperte narrat Dio Rhodianos magistratus ea vota addidisse, τύχαις αὐτῷ ποιούμενοι. Neque Tiberius eo quod pauca auguralia verba posthabuissent, Rhodo eos acciviſſet, cum eadem neque sollemnia essent, nec si abessent, publicarum litterarum auctoritati offeciſſent; neque necessario adscribenda, cum tot Plinii epistolas ad Trajanum missas lectitemus fere semper hac votorum formula desertissimas: dicas igitur Rhodianos ἄρχοντας longissimi itineris mulcta ab Tiberio jure damnatos, propterea quod subscriptionis αὐθεντίας oblitissimi, publicas litteras ad imperatorem miserint. Ceterum felicia vota epistolis adscribebantur, easque claudebant, non vero subscribebantur, hinc in Suet. vides bis ῥῆμα *subscribere*, & in Dione ὑπογράφειν. His intellectis, recte simul conspirat isthæc præclarissimorum historicorum biga; & quod intenderam, firmum est ac ratum publicas litteras subscriptas, uti haud unius generis monumentis, testatissimum feci. Interea quisque mecum doctissimos viros de his Dionis verbis, eorumque sententia nil bene meritos, imo tam longe ab ea discessisse ad stuporem demirabitur.

Ut autem ad Græcos etiam provocem, qui fere semper cum Latinis sibi præstant auxiliares manus, reperi apud eosdem τὸ ὑπογράφειν, *subscribere*, in publicis & forensibus negotiis etiam adhibitum; porro in Etymologico, præter ceteras notiones hujus verbi, invisere est etiam βεβαιῶσαι, estque, ut ait Budæus, ac reliquorum lexicorum auctores, *id quod jurisconsulti dicunt, præstare, ut habere liceat ei, cui stipulatione, & sponsione evictionis cautum est:* imo & Pollux lib. 8. c. 6. n. 34. inter δικαστικὰ ὀνόματα, *judicialia verba*, sæpe apponit βεβαιῶν, & βεβαιώσεως δίκη, *confirmationis actio*. Cum igitur τὸ ὑπογράφειν juxta sit, ac τὸ βεβαιῶν, ad fori negotia spectare nemo inficiabitur; neque alia de causa eam διάγνωσιν verbo ὑπογράφειν inditam novimus, quam quod id genus scripturarum subscribi & ὑπογράφεσθαι sollemne erat, quo omnem βεβαίωσιν, *auctoritatem*, nanciscerentur: isthæc autem non vidisse Salmasium his omnino contraria tutantem nemo unus non obstrepet, quem oppido pauca latuisse scimus.

His ita animadversis, haud scio an quis intercedat, quominus hic convolutus Philodemi περὶ μουσικῆς libellus, eo quod & teres, atque *subscriptus*, non vero *inscriptus*, sit hujus prudentis viri responsum pro litigantium pace, & ab magistratibus in publico Herculanensium scrinio servatum: præsertim cum duplicem subscriptionem intueamur, alteram æqualibus scripturæ ipsi characteribus, alteram, injecto spatio, majoribus concinnatam, quam utpote a prima diversis elementis exaratam dicas addidisse chartophylacem, quo & ampliorem auctoritatem conciliaret, & scriptoris nomen luculentius pateret. Porro si quis obsistendi amator Regias hasce papyros Herculanense chartophylacium constituisse perneget nihil ab tot argumentis in opere atramentario a me collectis abductus, is nunquam ostendet, cur Philodemus nomen suum huic libello subscripserit, imo & iteratum legatur: contra si publica auctoritate, & pro forensi negotio exaratum fateatur, omnia κυρίως conspirabunt, & subscriptionis ratio prona erit; præsertim cum adhucdum, (quem morem ab antiquissimis acceptum esse nunc primum novimus,

vimus,) gens togata ſcripta ſua ſubſcribit: e contrario reliqua ſcribentium opera inſcribi cernimus. Adde etiam patefactum eſſe, quare *ſubſcriptores* cauſidici quidam appellati, & *ſubſcribendarii* publico muneri addicti. Et miror ſtatim ac Philodemi nomen in auras prodiit, famam omnium aures gratiſſimam occupaſſe papyrum illam eſſe hujus ſophiſtæ privatum adverſum muſicen ſermonem, & nil difficultatis faceſſiviſſe auctoris ſubſcripti rationem, vel ſaltem quid dubii in eorum animis excitaſſe, quod me non parum exercuit, & jam antea ῥῖμμα hoc *ſubſcribere* magnum Salmaſium ad non exiguum volumen conflandum adegerat, notionemque ejus reperit ſat operoſam, & negotii plenam. Iſthæc autem a me animadverſa ſi comprobes, vides, quanti Regis D. N. munificentia facienda ſit, qui has immenſi pretii antiquitatis gazas in lucem profert, quæ & legum σώμασιν, & toti litteratorum reip. perquam grande emolumentum pariunt.

COMMENTARIUS

In grandem Herculanenſis cimiliarchii picturam nuper repertam, etiam omnibus ſcribendi organis, cum primis atramentario octogono nobilem.

SCias præter Regium atramentarium, Dionyſianum, & Vaſſallianum, terna octogona, felix fauſtumque mihi accidiſſe, ut Rex fortunatiſſimus quartum e ruderibus Pompejorum eodem σχήματι, licet depictum invenerit cum reliquis ſcribendi inſtrumentis, quorum pag. ſeq. rudem imaginem ex ſimplici picturæ intuitu animo conceptam, domi a me ipſe delineandam curavi. Copia mihi ſit ipſam omnem picturam, quoad mens ſuggerit, hic breviter deſcribere, quo te oblecter, & noſcas, quæ invidendæ raritatis pignora & gazas ſervat Regium cimeliarchium. Ex laudata urbe ſumma ingenii ope ſat ingens depicti parietis pars palm. nempe plus minus ſeptemdecim lati, & alti fere quindecim extracta eſt ſextili menſe ann. 1755. in parte ſuprema parietis quaternas æquas diviſiones cernere eſt, quæ trium palm. totius picturæ ſpatium occupant, quod elegans coronis ex plaſtico, elegantique opere intercipit, atque ab inferna parte diſtinguit: porro in prima effictæ ſunt variæ carnium portiones, panes quidam, unumque artocreas, & in medio plures aves roſtris junco inſertæ, atque ab clavo pendentes: in altera multiplex piſcium genus, inque medio enormis magnitudinis mullus, muræna, orata, ſive χρυσόφρυς, cephalus, &c. ac elegans conchylium: in tertia menſam. vidi veluti albo linteo tectam, in qua ingens phiala arcto ore, ac figura quadrangula, & vas alterum ore multo largiore, quam eſt fundus, quo ſuper cochlear grandiuſculum reclinatur: inter bina iſthæc vaſa interjacet lanx patentior ovorum plena; juxta menſæ pedes minoris molis phiala etiam tetragona non quidem ſtans, ſed parum devexa, in una ex hujus faciebus legere eſt ACTIS, & ſubter picta A: demum a clavo alba mappa (Itali dicunt *ſalvietta*) fimbriata, uti hujus ætatis etiam ſunt, pendet. Si a me quæris vocis illius, & adjectæ litteræ interpretamentum, ludens tibi reponerem, valere *potio Athenienſis optima:* pictor enim nil Græcus, ſed græciſſans formavit ACTIS pro AKTIΣ, ſive ATTIΣ, utrumque enim ſcribitur; princeps elementum A, vel eſt vox decurtata ἀρίστη, vel princeps numeralis littera, hinc dices, *potio Attica primi pretii, ſive ſpeciei:* eccui non notum eſt τὸ *græcari* quid in conviviis valeat?


Et haud ſcio, an quem latet, quanti pretii fuerit, ac famæ βότρυς Ἀττική, quam Athenæus l. 4. c. 19. in fin. p. 654. longe commendat. Et fortaſſe nunc docemur, (liceat quid nugari,) cur Herculanei, atque in finitimis locis tandiu celebretur, & longiſſime gentium comportetur vinum, quod populares *Græcum* ſalutant, imo & pars regionis ab eo nomen mutuata ſit: reor enim veteres illos incolas,

Digitized by Google

& Epicureos, queis isthæc loca florebant, (vide in noſtro indice vocem *Epicurei*,) vinariorum delectui indulgentiſſimos Aticas vites ſibi accuraſſe, & propagines tunc temporis Italis cariſſimas, inde grandia, & bene culta vineta paraſſe, & nomen uni ex iis locis etiam factum *Torre del Greco*; & initio quidem ob raritatem liquorem hunc Athenis advectum, & in parvis phialis, inſcripto vini nomine, & pretio, ſervatum. Quoniam autem conjectandi largior mihi ſemita patuit, ex hac etiam pictura divinamus vocem Neapolitanis honeſtiſſimam, quam vulgus antiquitatis tenax inficeta dialecto deturpavit corrupitque, ſcil. *uva glianica*, quæ *γίν-*

σις ſunt ſane cariſſimæ noſtri Atticiſmi reliquiæ, nempe Ἑλληνικά, ſive Ἑλληνική· & ipſe multis oſtendi infr. cap. 5. par. 5. lib. 2. Ἑλληνικός præſertim Neapoli idem valuiſſe, ac Ἀττικός· hinc jure vides in hac depicta phiala vocem Ἀττὶς, ſive Ἀττίς, adeo verum dicas vini Attici vocis deformitatem adhuc perdurare, licet error invaluerit, ut uvam, quæ flava eſt, Græcam appellitemus, cum id nominis rubræ & nigreſcentis proprium ſit, quæ Herculaneum, finitimaſque regiones undique exhilerat, vinumque *μελιδὶς*, & quæſitiſſimum exteris ſtant, atque incolis.

In quarta denique pictura, quæ mea majoris intereſt, vides ſuperne primum num-



morum ex argento, auroque cumulum aggeſtum, alterum ſolummodo aureorum, inque medio e pelle crumenam pluſquam parte media iiſdem nummis gravem, cujus collum laqueolo conſtrictum eſt. Inferne eſt atramentarium octogonum, arctoque ore depictum, & mole æqua huic Regio, quo de tanta commentati ſumus: materies lapidea potius, quam metallica; additum cernis recurvum manubriolum: ſupra os vaſculi jacet calamus ſcriptorius acutus coloris crocei. Inſequitur parum evoluta papyrus dorſum oſtentans, ſuperne ſat albicans, introrſus flaveſcens: a qua titulus litteratus pendet PA XX AN, de quibus characteribus mox dicam. Vides præterea erectum pugillarem, ac bipatentem paucis tabellis compactum, ac ceratum, uti oſtendit luculente ſtilus eidem adhæreſcens: in ambabus faciebus fixi bini ſunt umbilici flavi coloris, & non uni characteres illiti ſunt, a queis nec ſententiam, nec verbum aucupari ſatis fui; dorſumque laqueolis firmum. Demum adjacet clavo appenſa tabella etiam cerata, numeris CCCCXXXX picta, ſcriptionis

βυρο-

βουστροφηδὸν ritu, inde videre visus sum notam sextertiorum HS, reliquæ litteræ fortasse ad ingenium ab hoc nil sordido Herculanensi pictore adjectæ. Atque isthæc brevior quartæ picturæ mihi carissimæ ὑποτύπωσις. Reliqua perquam grandior depicti parietis inferna pars non tanti mihi est, cum veluti terna rubricantia aulæa præsentat inter binas sat exilium columellarum divisiones, in quorum aulæorum mediis brevissimæ quadratæ picturæ visuntur, in uno nympha, vel puella a sene enixe prehensa efficta est, hujus restitantis brachium mordet senex: in duobus extremis pictor formavit veterum ædificiorum rudera, arbores, &c.

Sed sermo redeat ad scriptionis instrumenta, eaque parvo commentario honestemus: in amore hujus picturæ jucundissimus vivo, etenim omnia cum iis, quæ in hoc atramentario opere dicta sunt, suaviter conspirant. Vides siquidem atramentariolum etiam octogonum, uti Regium, Vassallianum, ac Dionysianum; præterquamquod Anthologiæ epigramma, uti jam adnotavi, veluti ἰδίῳ epitheto, voce πολύωλ, *multis præditum faciebus*, id genus vasculorum condecoravit, ut illius breve os præteream. Scias autem quosdam cives, qui ἀρχαιολόγους ab omnibus se salutari jubent, & ventosæ plebis quærunt suffragia, amicorum suorum aures impleviſse a me oleum lusum esse, qui Regium σκευάριον pro theca calamaria venditabam, cum esset purum putumque unguenti receptaculum: cum autem vix hæc pictura in lucem vitalem prorepsisset, miserrimo fato perculsos, & iratissimos expertus sum, quod sibi jam interdicta esset contradicendi voluptas, nec sua odii plena ἔπεα πτερόεντα porro per urbem emissa revocare satis essent: contra vero me felicem turbæ amicorum salutantium, mihique gratulantium plurimum gratiarum agere haud satis fui: neque ea de re ambigas, nam ipse Mazochius antiquariorum lumen τὸ τηλαυγὲς in epist. quam init. προλεγ. appendi, an vascula atramenti olim exstiterint, subdubitat, imo & veterrimum eorum nomen se haud scrutari potuisse palam dictitat. Præterea me jucunde delectat depictum hoc octogonum atramentarium Augusto esse coævum, & fortasse antiquius, quando jam constat Pompejorum oppidum, unde extracta est pictura, sub Nerone terræ motu desedisse.

Inde vides partim revolutam papyrum, sive codicem, in eo siquidem neque bacillum, neque cornua insunt, neque umbilici, neque frontes, & cetera ornamenta, quæ quadrangulorum librorum esse jam ostendimus: pendet dumtaxat brevissimus titulus PA XX AN, quæ elementa libera copia cuique sit interpretandi; ceterum quisque lubens sic extenderet, *papyrus vicesimæ annonariæ*, vel potius, si P pro R parum detrita sit, vel pictor erraverit, legas, *rationes vicesimæ annonariæ*, vel fortasse, *procurator auri vicesimæ annonariæ*; neque alienum ducas viri munus libello adscribi, nam id moris viguisse novimus ex notitia imperii, nam libri inibi depicti sunt magistratuum nominibus inscripti. Neque præteream nunc primum nos edoctos, præter vicesimam ex servis manumissis, & hereditatium, ac legatorum, fuisse etiam vicesimam ex quibusdam annonæ generibus, scil. ex frumento, carnibus, piscibus, ovis, vino, ac liquoribus; atque idcirco pictor Herculanensis isthæc omnia expressit, una cum trapezitæ, sive mensarii instrumentis, ac locupletes nummorum cumulos addidit, veluti satyricum quid, ut suggillaret, quam urens esset hoc vectigal, ac grave, ac fortasse proprium erat Herculanensium, & finitimorum locorum. Atque ex hac pictura luculenter nunc primum patet, cur Cicero contra Rullum cap. 14. Herculaneum laudat ob amœnitatem, & ingentes divitias; hinc senatui ob ærarii angustias illius oppidi, & viæ vectigalia vendere in mentem venerat: *Accedet eo mons Gaurus, accedent falicta ad Minturnas, adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea multarum divitiarum, & magnæ pecuniæ: permulta alia, quæ senatus propter angustias ærarii vendenda censuit, consules propter invidiam non vendiderunt.*

derunt. Nil mirum igitur, si pictor binos ingentes nummorum cumulos, & gravem pecunia crumenam, res vectigali obnoxias, & ipsa mensarii, sive trapezitæ instrumenta nobis præsentaverit. Hic te restitare parumper jubeo, ut advertas, quod a me multis præstitum est rationum, & exemplorum momentis convolutas papyros fuisse vel forenses scripturas, vel publicæ auctoritatis codices in civitatium scriniis servandos: atque nunc etiam vides in pictura trapezitas, sive procuratores annonæ rationes nummarias in hisce teretibus libellis conscripsisse.

Papyrum excipit pugillaris ceratus, uti stilus adjectus ostendit, quem paucis constitisse tabellis intueris: & fortasse nunc primum in lucem prodiit horum pugillarium σχῆμα, suis distinctum ornamentis, binis umbilicis scil. aureis, aurato dorso, & aureis filamentis per extremitates utriusque operimenti circumductis. Habuisse id genus tabellas argentarios, quas etiam *ephemeridas* vocitabant, docet nos Propert. lib. 3. el. 22. v. 19. dum de tabellis suis deperditis canit:

Me miserum! his aliquis rationes scribit avari,
Et ponit duras inter ephemeridas.

His utebantur trapezitæ, ut quid ex tempore adnotarent, & secum etiam ferrent memoriæ causa: numeri ipsi depicti aperte proferunt accepti rationes. Consulas ope indicis quotquot de his pugillaribus, ceratis tabellis, & umbilico quadratorum librorum in hoc atramentario opere a me dicta sunt. Idipsum dicas de hac, quæ proxime depicta est, tabella cera oblita; nempe eidem prompto usui fuisse mensariis.

Atque hæc pauca, & festinanter de tanti mihi facienda pictura scriptoriis instrumentis, & atramentario octogono posteris celebranda; utinam mihi plus temporis datum esset, quo eam & contemplari, & attentius deformes illius characteres perscrutari quivissem, meliora sane protulissem; atque utinam non tam sero in luminis auras exstracta esset, operis contextui opportunius adjectam cerneres, & his meis nugis pondus addidissem: ceterum ex eadem pictura quisque noscitat, quantum sibi constant, secumque conjurant, quæ de cerata, & atramentaria scribendi Latinorum ratione a me multis prolata sunt. Reliquum duco, ut universa res litteratorum publica huic picturæ auro cariori supplodat, quæ antiquitatis amatoribus tam grandem quæstum parit: & Regi D.N. æternales grates rependat, qui ingentem divitiarum vim exhaurit hilarissimus, ut beatæ eversarum urbium reliquiæ, rejectis ruderibus, extrahantur ad artium, & scientiarum incrementum, atque ad nominis sui famam immortalem. Atque hæc διὰ βραχέων de tam mihi carissima Herculanensi pictura.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ

De Sæmilani Campaniæ consularis nuper reperto cippo, atque antiquitatibus Herculanei sat opportuna.

QUam non vice simplici in hoc opere oppigneravi, solvo fidem, & Sæmilani præclarissimum marmor paucis illustrandum aggredior; sed antea lapidis historiam, inde sat parvum commentarium accipies: nam rem longius protrahere possem, cum bene multa, atque quæsita inter schedulas servem: & quoniam etiam hanc epigraphen Mazochio exornare cordi fuit, διὰ βραχέων, ac humaniter, uti meus est mos, tanto viro quædam reponam.

SIGNA TRANSLATA EX ABDITIS
LOCIS AD CELEBRITATEM
THERMARVM SEVERIANARVM
AVDENTIVS SAEMILANVS V. C. CON
CAMP. CONSTITVIT DEDICARIQVE PRECEPIT(sic)
CVRANTE T. ANNONIO CHRYSANTIO V. P.

Legeram hoc epigramma in Fabretto p. 280. n. 173. inde in Mazochio in amph. Camp. p. 170., licet verba quædam corrupta

Digitized by Google

rupta viderentur, atque eo quod marmor ſummi pretii eſt his temporibus, queis Rex ab Herculanei, Pompejorum, ac Stabiarum abditis locis tot præclara cimelia, ac ſigna in gazophylacium ſuum transfert, pallebam amore tantum ſilicem reperiundi; quare accidit, ut quidam, ex noſtratibus marmorariis, (quos omnes ipſe curioſius ſæpe reviſo, ſolent enim ea hominum peſtis pretioſiſſimis reliquiis beatæ antiquitatis inferre cladem,) cippum hunc εὐκαιρότατον appoſita jam ſerra in partes conſcinderet: ſeveriſſimus ipſe prohibui verbis ῥητοῖς, καὶ ἀῤῥήτοις, & non parca pretii ſtipe ſoluta, litteratam cippi partem redemi, ac domum tranſvectandam curavi, mihique feliciter fuit res: verebar enim ne faber ille marmorarius a me edoctus Campanam hanc ſaxi gazam Anglis venderet, ut moris eſt, ſi cunctarer, & deportatam illuc nos diu pœniteret. Interea ſciſcitandi nil lentus fui, quo pacto tam elegantem cippum marmorarius ſibi acquiſiverit, qui repoſuit ſe aram recenti marmore in vico, (quem vulgo dicimus *Fregnano piccolo*,) prope novam Atellam fito fabrefeciſſe, & bonos templi illius Sacerdotes, queis purum cor eſt re quavis antiquaria, pro pretii ἀμοιβῇ cippum hunc quavis gemma cariorem, licet detritum parum, & ſub ipſa ara repertum lubentiſſimos concredidiſſe. Inde tantæ raritatis marmor Joſepho Canartio, qui Herculanenſes ſtatuas in fruſta diſtractas mira arte componit, & veluti in vitam revocat, uti teſtes ſunt, præter ſexcentas, binæ equeſtres ingenii procul dubio Græcanici miracula, tradidi, quo Regi Auguſtiſs. offerret, qui Mazochio accito, & Joſepho Aſſemanio per litteras de epigraphe conſulto, ab his de hujus ſaxi grandi pretio certior etiam factus in cimeliarchion immitti juſſit, eique carum eſt.

Hoc ſane cippi elegantiſſimi fatum; ex eo non pauca, quæ antehac latuerant, didicimus. Ignotus nobis erat hic Campaniæ conſularis, nam Fabrettus appellat *Æmilianus*, & Mazochius confundit cum *Vinio Æmiliano*: imo ejus ætatem novimus, ſcil. ſub Severo. Vides etiam architecti nomen *Chryſantius*, vir certe Græcus, Romanos ſiquidem architectonices nil, vel parum calluiſſe ſcimus. Severi thermas vix meminit Spartianus, ab ſaxo edocemur præterea celebritate ſpectatiſſimas, & innumeris, ac veteribus ſtatuis ſuperbas. Hoc Sæmilani egregium facinus, & munificentiam in principem adeo ſuſpexiſſe Campanos legimus, ut ſtatua, & elogio honeſtandam rati ſint: hinc cuique mirum futurum Spartianum rem memoria digniſſimam minime poſteros condocefeciſſe. Errores Fabrettiani, & verba, quæ Mazochius ex ingenio aptat, deterſi ſunt; etiam locus lapidis, non longe ſcil. a Capua, patuit. Ceterum quod nunc magni refert, atque ad Herculanenſem, & proximas urbes illuſtrandum apprime facit, eſt adeo eas ſignis, & magnificentiſſimis ædificiorum molibus ſpectabiles fuiſſe, ut ex ruderibus tantam ſtatuarum ex ſilice, atque ære vim Romam tranſvectam, ut thermis, quæ inſtar provinciarum exſtruebantur, celebritatem impertitæ ſint: novimus præterea, licet ea abdita cineribus loca olim etiam effoſſa, & quæ ſigna minorem labem paſſa, & elegantioris eſſent artificii educta, tamen adhuc tantæ raritatis ſtatuarum reliquias, ac ingentem cujuſcumque molis numerum, præter reliquas gazas, in dies extrahi, ut Regium cimeliarchium ceteri principes jam invideant, ac fruſtra ſint, etiamſi immenſas opes profundant, ut parile ſibi optent, ac conquirant.

Is unus moleſtiſſimus, qui contendendi mentis morbo calet, nec unquam eo purgatur, inficiabitur *abdita loca* non eſſe Herculaneum, atque urbes finitimas: nam lapis propalam clamitat ad Campaniam ea ſpectaſſe, cum conſulari viro illi in alias regiones nec jus ineſſet, nec imperium: præterea Severi imp. ævo extra ternas has urbes terræmotu, ac Veſuvino incendio afflictiſſimas, reliquæ in Campania, uti Puteoli, Cumæ, Capua, Nola, &c. ædificiorum molibus, ſignis, ceteriſque ornamentis ſpectabilium numero florentiſſimæ, ac integerrimæ decorabantur: quare haud ſperet quis tam

gran-

Digitized by Google

grandem ſtatuarum vim aliunde extrahere Sæmilanum potuiſſe, quam ab ternis urbibus ſub Neronis, & Titi imperio acciſis. Jure Neapolim reliquis laudatis Campaniæ urbibus, quibus vis illa major pepercit, minime accenſui, utpote remp. liberrimam, ſuis legibus utentem, nec Romano conſulari ſubjectam, ſed quæ ab demarcho regebatur, ut adverſus ſummum virum Mazochium multis jam propugnatum eſt. Scias certa veſtigia adhuc ineſſe in iis urbium ruinis ſubterraneis, ſcil. non unas anguſtas ſpecus, quare aperte novimus olim ſtatuas inde evulſas, atque alio translatas. Vides ex hoc lapide, qui veluti oblitiſſimus tum in Fabretto, tum in eo Atellæ vico jacebat, mea noſtratia conquirentis undique monumenta induſtria Herculaneo nunc ob Regis antiquitatum amantiſſimi munificentiam toto orbe celeberrimo quantum lucis adjectum ſit: & quemque mecum angi reor, tum eruditiſsimum Fabrettum in eum nil adnotaſſe, imo ingenue fateri ſe vix percepiſſe, tum Mazochium, cuja maxime intereat, utpote ſaxum Campanum eſt, ipſumque novi veterum epigrammatum Œdipum εὐτυχέστατον, nihil de Herculaneo, ac proximis urbibus cogitaſſe, licet longiuſculo commentario illud condecoraverit.

Locus eſt, uti paullo ante recepi, nunc eruditum Mazochii commentarium paucis expendendi. Vult vir clariſſimus hoc in lapide *conſtituere*, & *dedicare ſynonymos* uſurpari, legique jubet fortaſſe *conſtitui*, (non *conſtituit*) *dedicarique præcepit*; verum ne in ſenis breviſſimis verſibus incuſem παιπαλογίαν, videre videor marmor dicere Chryſantium, cujus id munus fuerat, ſigna conſtituiſſe, ſive erexiſſe, ab aliis vero coronationes ceteraſque ſacras cæremonias perfectas: at id leve. Sed me mordet virum ſummum invertiſſe *Audentium* in *Vinium*, duoſque Camp. conſulares in unum coagmentaſſe: ait enim: *Audentii quoque prænomen*, (an potius nomen, uti Audaſius?) *quod fortaſſe detritum deprehendit, quicunque hoc elogium excepit* VINIVS *fuit, id quod ex altero Campano epigrammate huic conſulari poſito docebitur, cum omnes noſtrates inſcriptiones in unum volumen compingentur*. Mox ad abſtruſiora explananda progreditur vir magnus, nempe verba: SIGNA TRANSLATA EX ABDITIS LOCIS, atque dum ita ardenter Fabrettum caſtigat ingenue ajentem *neſcire, quid ſibi velint, atque epigraphen apponere, ut crucem curioſis figat*, reponit: *Verum ſiculneam, ni potius ſambuceam crucem curioſis fixit vir eruditus* (Fabrettus.) *Legiſſe memini in codice Theodoſiano, quem nunc ad manus non habeo, titulum unum, an plures? de ſignis aliiſque id genus publicorum ædificiorum ornamentis non transferendis: ne contra leges peccatum videretur, additum expreſſe fuit* EX ABDITIS LOCIS, *aut* EX OBSCVRO LOCO. *Nam quis vetitum fuiſſe affirmaverit e vetuſto aliquo, ac ſubterraneo ædificio nullius uſus ejuſmodi ornamenta in alias fabricas transferre? Sed poſtquam fixam a Fabretto crucem refiximus, &c.* Hæc Mazochius.

Primum quidem longe demiratus ſum virum prolixæ lectionis ad cod. Theodoſ. provocare, tituloſque recitare, quorum ne veſtigium quidem in hoc legum ingenti σώματι reperire eſt: imo facile meminiſſe poterat, etiamſi exſtarent, pro hujus Sæmilani elogii luce minime ad eos confugiendum, cum is codex, ut notum eſt, ab Conſtantino M. ad ætatem Theodoſii conſtitutiones complectatur; ſaxum autem Alex. Severi tempeſtatem certam præfert; quare dum in præclariſſimo Mazochii opere iſthæc relego, vix oculis fidelibus præſto fidem. Adde etiamſi non unus, ſed plures legum tituli in quovis codice lectitarentur, quominus ſtatuæ transferrentur, prohibentium, non ideo dicendum ob Mazochianæ rationis momentum expreſſe addita verba EX ABDITIS LOCIS; etenim ea ſigna ad Severi imp. uſum, ejuſque thermarum celebritatem Romam deportata, & quis unquam dicat in leges peccare principem? hinc in commentariis in marm. Oxon. pag. 48. refellitur Caſaubonus, qui in verba iſthæc Spartiani hiſt. Aug. to. 1. p. 612. de Sept. Severo

Digitized by Google

vero narrantis: *Rumore deinde belli Parthici extincto, patri, matri, avo, & uxori priori per se statuas collocavit*, hæc adnotavit: *Jus publice ponendi statuas penes senatum fuit, ac Severus ponit suis istas per se, hoc est sine decreto, vel auctoritate patrum*: refellitur, inquam, Casaubonus, cum summi viri, qui ea marmora illustrarunt, prorsus pernegant penes senatum ea Severi ætate jus statuas constituendi viguisse: ceterum horum longiusculas rationes tutemet legas: mihi sat est novisse a Spartiano *per se* statuas erexisse, utpote a nullis legibus id interdictum, atque iis minime obnoxium: miror hos Scriptores Mazochium non vidisse. Præterea vel tiro novit l. 3. D. de legib. senatusque cons. &c. *Princeps legibus solutus est: Augusta autem licet legibus soluta non est, principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent*. Si vero quæras, cur isthæc verba saxo adjecta sint, quisque reponeret, quo Sæmilani ingenium commendaretur veteres statuas conquirendi, quæ semper majoris pretii habitæ sunt, præsertim Severi ætate, quando scilicet artifices jam longe in iis asfabre confingendis defeciisse constat: vetera ædificia compilandi ardor usque viguit, & posthabitis ejus rei cujusvis ævi testibus, accipias, quæ Cicero opportune de Appio in orat. pro dom. ad pontif. 43. laudat: *Omnia, signa, tabulas, ornamentorum quod superfuit in fanis, & communibus locis tota e Græcia, atque insulis omnibus, honoris populi Rom. causa, deportavit.* Verum hæc satis aperta sunt ac rata: unum iterato addam me nescire, cur Mazochius vir ingenii erectissimi in hujus præclari lapidis commentario nil de Herculaneo, sive de locis, unde signa Sæmilanus Romam transtulit, cogitasse; cum in eo viderit virum hunc Campaniæ consularem; quod unum cumprimis basim reddit carissimam, & Regio cimeliarchio dignam.

Progreditur Mazochius: *Sed postquam fixam a Fabretto crucem refiximus: illud potius scire lubet in eadem inscriptione, cur dictum fuerit* AD CELERITATEM THERMARVM SEVERIANARVM; *leviusculum hoc quidem; sed tamen celeritatem thermarum Titianarum æmulari voluisse Severum crediderim, de quibus Suetonius cap. 7.* Amphitheatro dedicato, thermisque juxta CELERITER exstructis: *de iisdem Titianis puto Martialis*: Hic ubi miramur VELOCIA munera thermas: *verum hæc in transcursu*: hæc Mazochius. Verum isthæc, licet docta, ἄτοπα prorsus dicas, cum in saxo certe scalptum sit *celebritatem*, non *celeritatem*: imo nunc Suetonii locus, quem magnus vir recitat, firmatur, quando antea ambigebatur, legendum esset *celeriter*, an *celebriter*, id cur reticuerit Mazochius, ignoro: præsertim cum Casaubonus edicat in suis omnibus MSS. inesse *celebriter*, quam vocem laudat etiam Gruterus, & plerique omnes, quos recitat Burmannus, quanquam ipse, si hoc Sæmilani marmor vidisset, minime isthæc in Suet. adnotasset: *Quæ voces* (celebriter, & celeriter) *licet centies immutentur, ut diximus ad Ovid. 4. Met. 304. & alibi hic tamen* celeriter *præferendum, & ut jam vidit Domitius Calderinus ad d. Martialis locum*. Etiam in Accio apud Nonium c. 2. n. 161. digladiantur grammatici, an scripserit: *Celebri gradu gressum accelerasse decet*, vel potius *celeri*. Neque quid ponderis addit Martialis versus, cum ἐπιθετὸν *velocia* afficiat *munera*, cujus vocis notionem me docuit ipse Mazochius in eod. volum. p. 79. & 168. Id demum tanto viro haud parcam, ea ætate, qua Camp. Amphit. titulum exornabat, & Campanam viam frequentissimis itineribus celebrabat, facile vicum illum *Fregnano* adire potuisse, atque marmor inquinatissime exscriptum invisere, cum ipse Fabrettus & templum, ubi exstabat, atque vicum ipsum doceat. Hæc porro διὰ βραχέων de tanti pretii ac famæ Sæmilaniano lapide, quem antehac majores nil curarunt, & parum abfuit, quin in frusta a marmorariis scinderetur, nunc sollertia mea id genus vetustatis reliquias undique scrutantis in Regio cimeliarchio primas agit, sancteque servatur, ac fortasse bona luce donatus est.

IN-

Digitized by Google

INDEX I.

Antiquitatum, quæ ex Herculaneo, finitimisque oppidis extractæ sunt, earumque, quæ in Regio cimeliarchio servantur atramentarii operis illustrationi appositissimæ.

Vitreæ phialæ unguentis plenæ. *pag.* 13.

Pictura vivax, elegantissima, & grandior, septem imaginibus distincta, in qua non *Appii Claudii* judicium, sed *Orestis;* eamque Herculanensis pictor ab Æschyli *Eumenidibus* potissimum extraxit: ipsa per omnes suas partes illustratur, & quoddam licet non tam elegans, & tumultuarium ejus πολυβοίτου picturæ exemplar profertur. 34.

Tabellæ cujusdam frusta notis quibusdam scriptæ atramento. 34.

Tabellæ quædam buxeæ numeris distinctæ. 105.

Parva pictura describitur, quæ ternos Genios pharmacopolarum officio fungentes exhibet: bini in torculari, quod graphice describitur, oleum amygdalinum exprimunt, tertius in vase foco impositio quendam liquorem miscet. 143.

Marmori eleganti ab Matth. Ægyptio illustrato diversum interpretamentum adjicitur. 172.

Libri in picturis Herculanei circiter septeni, vel octoni quadrangulæ figuræ; membranæ vero solummodo convolutæ. 240.

Libellus quadrangulus depictus cum umbilici signo. 242.

Statuæ non unæ togatæ e marmore codicem, sive convolutam papyrum manu stringentes, vel propter pedes cistulas iis codicibus refertas habentes. 261.

Vas ex argento, in quo scalpta est Homeri ἀποθέωσις omnium elegantissima, quod exacte describitur, ejusque pretium commendatur, utpote nil præclarius in Regio cimeliarchio. 226. 227.

Non unæ picturæ describuntur obiter, in queis figuræ cum quadrangulis voluminibus. 268.

Sexcentorum voluminum teretium ex papyro, sive codicum longior descriptio, quippe qui atramento illiti sunt Græce, & Latine, ac quidam fortasse Sabinice: characterum forma, magnitudo, & orthographia: eorum longitudo, ac materies: per columellas scripti: verba in quibusdam σιγμαῖς distincta, in quibusdam nullæ distinctionis notæ: nullis ornamentis, scilicet cornibus, umbilico, bacillis, loris, &c. insignes. Multa ab iis docemur, quæ ignorabamus. Quantum scripturæ in unoquoque ex his codicibus inesse poterit, inita etiam ratio: Regis D. N. laudes, qui

Digitized by Google

qui viros mechanicos ad eos explicandos acciverit. Sat vendibile est hos fuisse urbis Herculanei syngraphas, edicta, jussiones, interdicta, constitutiones, facta, & litigantium acta, &c. atque in archio, sive γραμματοφυλακίῳ repertos. Tandem immensi pretii gazam eos esse patefit, & codices appellandos, non volumina ab pag. 271. ad pag. 277.

Tabellæ ceratæ quinæ, aut senæ cum manubriolo describuntur. 273.

Quædam delibantur de picturis, quæ architectura insignes sunt. 277.

Picturæ non unæ, ubi Dii, vel Genii currus moderantur. 355.

Basis e marmore cum μετρικῷ epigrammate obscuritatis pleno, ab nemine intellecto, quæ basis in Herculanense gazophylacium transvecta est, multa luce donatur, Veneriſque laudes complectitur. 372. & seqq.

Vas æneum elegantissimum, & non exiguæ molis, fortasse congius, parvis figurarum protomis, atque argenteis ornamentis etiam fulgens describitur. 378.

Quartarius æneus solita inscriptione nobilis. 378.

Chirurgicæ thecæ cum instrumentis ex variis metallis affabre, & eleganter elaboratis. 378.

Acerræ, gutti, parvæ statuæ æneæ argento ornatæ. 378.

Mensa prægrandis ænea in quatuor angulis animalium capitibus distincta, atque argenteis ornamentis nitens, sacrificiis addicta. 378.

Statua ænea muliebris, cujus vestimentorum fimbriæ, & vitta frontem stringens nobiliore metallo in æs immisso elaboratæ sunt. 378.

Lamella ænea votiva duabus argenteis icunculis Æsculapii, & Hygiæ, variisque flosculis nitens, quæ eadem ipsa arte, ac imagunculæ Regii atramentarii effictæ sunt, describitur. 378.

Panis ὀκτάβλωμος, & litteratus describitur, & obiter illustratur: panis etiam in pictura. 381.

Non unæ parvæ picturæ, in queis varii puellorum lusus exhibentur, præsertim, qui a Polluce dicitur ἀποδιδρασκίνδα. 388.

Tabella marmorea Regi carissima μελανόγραμμος, in qua depictæ sunt quinque puellæ duobus ludis sese oblectantes, longiusculo commentario illustratur ope Pollucis, qui veluti tabellam ipsam describit: in ea insunt Græce nomina puellarum, pictoris, & Deæ, cui dicata est; ejus pretium mire commendatur. 389. 390. 391. Pro ejusdem tabellæ majori luce additamentum. 472. Adeas etiam rogaris. pag. XXI. col. 2. & XXII. col. 1.

Astragalorum ingens numerus, quibus Herculanenses puellæ ludendi gratia utebantur. 391.

Regii cimeliarchii laudes, & ἀνακεφαλαίωσις peculiarium rerum πολυτιμωτάτων, quæ antea ignorabantur. 406.

Minervæ statua e marmore, cui inest vivax gratia, ingeniique plurimum, eratque in quibusdam partibus auro bracteata. 421.

Συλλογὴ sat brevis rerum, quæ Herculanei repertæ sunt, & quantum reipublicæ litterariæ utilitatis attulerunt. 406.

Protome ænea juvenis omnium pulcherrimi summa arte spectabilis cum

Digitized by Google

artificis Athenienſis nomine Græce ſcalpto : exhibet fortaſſe Alcibiadem . 426.

Latini characteres ænei enormis magnitudinis, & elegantiſſimi, utpote feliciori ſæculo fuſi . 426.

Non una grandium marmorum fragmenta ſeptingentorum circiter libertorum, & colonorum, qui fortaſſe a Tito miſſi ſunt, aliqua luce donantur. 441.

Pictura, in qua Helena ab Paride rapitur, & Cupidines volitantes maritales agitant faces. 471.

Binæ e marmore ſtatuæ, juvenis ſcil. nudus adoleſcentulam eleganter indutam ſiniſtra amplectens, ambulantium habitu; fortaſſe Paris, & Helena abeuntes . 471.

Diſtichon Græce mellitiſſimum Neapoli repertum utraque parte mancum ſuppletur, & μετρικῶς Latine datum, patris ſcil. filium ſepelientis. 473.

Saxum litteratum Jovi dicatum profertur. 506.

Binæ ſtatuæ equeſtres Herculanei repertæ elegantiſſimæ artis plenæ commendantur . 541.

Marmor ἐξοχώτατον , quod Rex cariſſimum ſervat , in quo ſcalptum eſt Severum Aug. ex Herculaneo, Pompejis, ac Stabiis opera Sæmilani Campaniæ conſularis, & Chryſantii Græcanici architecti ſigna tranſtuliſſe ad thermarum ſuarum celebritatem. 541.

Bini lapides ſat elegantes operum publicorum in urbe Puteolis effoſſi, & in Regium cimeliarchium invecti. 543.

Brevis theatri Herculanenſis, ejuſque partium deſcriptio , numerus ſedilium, & graduum : ſcalarum ſitus, &c. totius operis menſura, ac unius pylæ tumultuaria ichnographia : & qui eum ex veteribus Scriptoribus commeminere , illuſtrantur . 560. 561.

Herculanei ſitus definitur, & Strabonis de eo verba antehac obſcuritatis ſat plena omnimoda luce donantur, & vindicantur : bina marmora inibi reperta teſtes adhibentur. 562. & ſeqq. In eo oppido nullum fuiſſe promontorium, nec portum oſtenditur . 563. 564. Pauca de Herculanea, & Herculea via. 562. Etyma Phalegica tum hujus oppidi, tum finitimorum locorum, Pompejorum, Stabiarum, &c. 566.

Χάρτης, & γραμματεῖον μολιβδίνου quid. 42. Vox χάρτης in Zonara idem eſt, ac βυβλίον. XVIII. col. 2.
Χειροπέζος quid. 360.
Χόρος pro *cubiculo*. 12. 13.
Χρήσματα in ſaxo Neap. immerito doctiſs. viri Florentini immutarunt in ἐυήσματα. 634.
Χρησός in Strab. de Capreis inſula quid. 479.
Χρίσματα, & ἀλείσματα an differant. 633.
Χρονικός fortaſſe pro χρόνιος in Athen. 163.
Χρόνιον μέλαν quid in Anthol. 162.
Χρυσάμπυξ, Lunæ epitheton. 365. vide ἄμπυξ.
Χρυσήνιος Auroræ tribuitur. 355. epitheton eſt etiam Martis. 367. nova notio hujus vocis. *ib.*
Χρυσοκέρως, Lunæ προσθετόν. 365.
Χρυσόπτερος de Mercurio dicitur. 368.
Χρυσορράπις, hujus vocis nova notio. 368.
Χρυσοσέφανος Venus ſalutatur. 371.
Χρυσᾶσθαι a χρυσοκλίζειν in committendis metallis quo pacto differant. 395. 400. Χρυσᾶσθαι quot modis dixere LXX. ſenes. 402.
Χυτὴς λημῶνα in Anthol. fortaſſe χυτὴς πλεκτῶμα, vel χυδὴν πίνουτα. 217.

Ψ

Ψήφοις, non κήρῳ, ſive *ceratis tabellis* damnabantur rei. 67.

Ω

Ω facile immutatur in ο.
Ὠίκηται reponendum in Strab. pro οἰκῶται. 405.
Οἴκησαι in Philoſtrato pro οἰκῶται. 493. & ſeqq.
Ὤπας, *facies*, falſiſſimus eſt Athenæus, dum interpretatur ὦτα, *aures*. 19.
Ὠ"ος, an denſo ſpiritu ſcribendum. 649.
Ὤ"σπερ, vox ſat inſcite ab librariis tranſpoſita. 53.
Ὠ"ψ, & ὀπή, vide Πολύωψ. Ὠ"ψ, & ἀὸος quantum diſtent. 19.

IN-

Digitized by Google

INDEX VI.

Verborum, & rerum luculentiſſimus, ac uberrimus.

A

ABDITA LOCA, unde Sæmilanus Camp. conſularis innumerabiles ſtatuas extraxit, ac Romam tranſtulit, ſunt Herculaneum, Pompeji, & Stabiæ, quod non vidit Fabrettus, & Mazochius. XXXVIII. *col.* 2.

Academiam Ciceronis cur vocet Auguſtinus *Gymnaſium Neapolitanum*. p. 587. & ſeqq.

Acetabulum, & *acetarium* quid differant. 204. 205.

Achillis Tatii locus affectiſsimus ſanatur. 376.

ACTIS in depicta phiala Herculanei reperta multis expenditur XXXIII. XXXIV.

Actorum S. Theoduli locus vindicatur, & illuſtratur. 696. 697.

Adire aliquando æque eſt, ac φοιτᾷν, *in ludum litterarium ire*. XXV. *col.* 2.

Ægyptii an a planetis dies appellarint. 335. cariſſimi eiſdem *ſcarabei*. 695.

Ægyptii atramento in re ſcriptoria uſi. 29. & calamo. 30. *Numerorum* diſciplinæ nunquam ſtuduere. 342.

Æliani verbis affectiſſimis plurimum medelæ. 64.

Æſchinem puerum atramentum triviſſe narrat Demoſthenes. 32.

Ætna, hujus vocis etymon. 566.

Agarrheenſes, fratria Neap. ex ſaxo patrio nunc primum cognita, quod antehac nemo legit: hujus vocis etymon, & fratriæ ſitus. 630..

Agnanum, vox ævi poſterioris, lacus prope Neapolim. 710.

Alabarches, vel *arabarches* quid. 203.

Alabaſter, vas unguenti, Græcum etymon doctiſs. virorum, & Arabicum, quod cudit Clericus, rejicitur; vox pura putaque Hebræa: an unquam pro *unguento*. 7.

Amygdalinum oleum, vide *oleum*.

Anaglyptum elegantiſſimum medici ſcribentis, non tabellionis per partes illuſtratur. 128. & ſeqq. ejus ætas. *ib.* Cur in eo *bos* cum *popa*, & Dea *Hygia*. 133. Scalptum pro votiva tabella. 146. & ſeqq.

Anaglyptum Homericum omnium elegantiſſimum Græce litteratum Neapoli viſitur, ejus deſcriptio, & certa divinatio. 471.

Anaglyptum ludi magiſtri ſat opportunum pro cerata puellorum ſcriptione. 87.

Annuli ſignatorii antiquiſſimi apud Græcos, & ſat noti. 120. In iis quid moris erat ſcalpere etia m apud Chriſtianos. 695.

Anthologiæ epigramma ſcribendi inſtrumenta omnia complectens multis locis affectum ſanatur, & illuſtratur. 193. & ſeqq. novum interpretamentum ei adjicitur cum variantibus lectionib. 202. In reliqua ſex ejuſdem argumenti epigrammata longiſſimus commentarius. 208. & ſeqq.

Anticatonum, quos Juvenalis meminit, figura quadrangula, non teres. 277. 278.

Antinoo, Hadriani catamito fratriam dedicarunt Neap. 660. ejus adoleſcentis fatum. III. Huic juveni ubique gentium ſtatuæ, & templa erecta, & ſacerdotes addicti. 661. 662.

Antoniæ Aug. Druſi majoris uxoris marmor Neapolitanum. 659.

Antrum pro *lectica matronarum* nimis licenter in Juvenale. 21.

Antrum, quod prope Avernum inviſitur, inſcite *Sibyllæ* fuiſſe dicitur. 222. Nuperrima hujus antri epigraphe. *ib.*

Apes unguibus armantur. 67. Cur favos ſexangulos conſtruant. 732. & ſeqq.

Apex, hujus vocis vera notio, ac etymon, in eamque longiuſcula adnotatio. 366. vide ἄμπυξ· *apere*, verbum quid. *ib.*

Apollinis, ſive *Solis* templum Neapoli, ubi nunc templum maximum, in quo adhuc reliquiæ. 616. 617. 618. In Deli inſula Neapolitani titulum huic numini dedicarunt. 642. In Hom. Deus hic damnoſæ notionis eſt: ejus etymon. 644. 645. Cur triplici nomine in ſaxis. 645.

Apollo non *radiatus*, ſed *laureatus* ludis præfuit. 343. præſes Deus citharædorum. 694.

Apollonius Tyanæus ſeptem annulos ab Jarcha Rege ſeptem planetis inſignes accepit. 310. 702. Quæ ſcripſit. *ib.*

Apragopolis, locus prope Capreas, & nomen vetus *Taurubolæ* divinatur, & ſitus antehac ignotus. 481.

Aquæ Juliæ quæ. 544.

Aquilæ ἔκδοσις ſacror. voluminum laudatur. 166. 167.

Arca fœderis in alterum Hieroſolymitanum templum nunquam invecta. 38. ea de re pictorum errores. *ib.*

Arcarii officium an fuerit Neapoli. 656.

Archia publica, & *grammatophylacia*. 263.

Archigubernus, & *archinavita* qui. 654.

Archimedes quo anno denatus eſt. XXV. *col.* 1.

Areo, hujus vocis etymon. 684.
Ares fluvius, vide in indice Gr. Ἄρης.
Argelitanæ tabernæ Romæ quæ. 252.
Argentum, licet rariſſime, materies vaſculorum unguenti. 14.
Argi fabella ab voce Ἀργεφόντης, quæ pura putaque Phalegica eſt, male intellecta enata. 369.
Aridus, & *ſiccus* quid. 12.
Ariſtæi, fratria Neap. ab longiſſimo patrio marmore antehac nemini intellecto extracta, quod Latine datur, ac illuſtratur. 623. & ſeqq. Marmor eſt ψήφισμα, quo Reip. Neapolit. decora apprime commendantur: quæ in eo continentur, patefiunt. 627. 628. Ab eo aperte colligitur fratores fuiſſe ſacrum collegium, & menſes Attico more a Neap. recenſitos. 628. Eruitur etiam, quo die, & qua ratione uſuræ contrahebantur. 628. 629. Etymon, & ſitus. 629. 630.
Ariſtophanis bina loca tenebricoſa multa luce donantur. 66. & ſeqq. uti etiam in p. 142. Quater etiam comicus illuſtratur. 688. & XXI. col. I. & 2.
Artem cælandi a bolino, ut Itali dicunt, noviſſe veteres conſtat ex Regio atramentario. 405.
Artemiſiæ certamen an fuerit declamatorium. 193.
Artemiſii, fratria Neap. ex ſaxo eruta. 620. in ea Dianæ, ſive Artemidos templum; nummi Neap. cum epigr. APTEMIΣ. 621. Ignotu antehac etymon hujus vocis profertur. *ib.* & 622. Situs fratriæ in hac urbe, & adhuc certa veſtigia. 623.
Arteria, etymon hujus vocis veſtigatur. 382.
Aruales fratres, vide *Fratria*.
Athenæi loci depravatiſſimi reſtituuntur. 5. 380. 385. 387. 392. Quæ de Neſtoris poculo ſcribit, inficete verſa. 383.
Athenienſibus cariſſimæ *cicadæ*. 605.
Aſſeſſura, & *aſſeſſorium* quid in JCtis. 131.
Aſſidere, & *aſſiduus* voces, quæ præcipue ad medentes pertinent. 131. & XVI. col. I.
Aſtrologi in annulis, inque ceteris inſtrumentis planetas ſcalpebant. 701. Romam acciti, & ſæpe ejecti. 702.
Aſtyci ludi qui in Suet. 498. 499.
Atramentarium hoc opus quo pacto diſpenſatum ſit, ejuſque argumentum, ordo, characterum elegantia, &c. cur nullæ ſubjectæ adnotationes: demum ἀπολογητικά quædam, & multiplicis indicis induſtria, &c. VI. & ſeqq.
Atramentarium Regium ubi gentium repertum. I. Quantum laboratum eſt a doctis viris Romæ, & Neapoli, ut ejus vaſculi icunculæ dignoſcerentur. III. & IV. Longior Mazochii epiſtola pro ejuſdem σκευοποίᾳ illuſtratione. IV. & V. huic epiſtolæ reſiſtitur. *ib.* Quomodo id vaſculum ad Regem pervenerit. *ib.* ejuſdem longiuſcula deſcriptio. 3. fuiſſe ſcriptorium vaſculum ex quibuſdam ſimillimis σκάφαις, atque ex multis veterum Scriptorum teſtimoniis ea organa faciebus diſtincta, & icunculis ornata deſcribentium patefit. 15. & ſeqq. Querelæ de tot eruditiſs. ἀρχαιολόγοις, qui nihil de atramentariis organis commentati ſunt, & ne nomen quidem Latiare veſtigarunt. 151. Hujus vaſculi nomen apud Hebræos. 152. LXX. interpp. pro *thecæ ſcriptoris* dedere inficete ζώνα ſapphiri. *ib.* & & ſeqq. confudere Hebræam vocem cum Græca κεστός. *ib.* Sincerum nomen hujus vaſculi dedit Ezech. 155. *Atramentarium ſcriptoris* non recte verſum ab Hieron. 156. 157. Rabbini docent Hieronymum, & Origenem vocem Hebræam, quæ atramentario reſpondet. 155. Nomina hujus vaſculi apud Græcos, vide *Græci*. Quo nomine boni ævi Latini hoc vaſculum ſalutarint, ſcil. *theca calamaria*. 167. & ſeqq. vide *Thecæ*. Atramentarium vocat opportune Clemens Alex. κανών. 191.

Icunculæ, quæ Regium atramentarium exornant, ſunt ſeptem diales planetæ. 293. Quantum lucis id vaſculum rei litterariæ intulerit. 316. De ejus planetis tam γενικῶς, quam ſingillatim, ceteriſque ornamentis fere in omni lib. 2. *Auroræ* icuncula ſingulare reddit hoc vaſculum, vide *Auroræ*. Arte ἐμπυριστικῇ elaboratum eſt. 399. Cur Regium *atramentarium* planetis fulgeat, vide *Planetæ*. Hujus vaſculi poſſeſſorem aſtrologum Neap. fuiſſe multis firmatur. 700. & ſeqq. remotiſſimæ antiquitatis eſſe hoc ſcriptorium organum, collecta multiplici argumentorum ſerie, demonſtratur ab 725. ad 728. Certa hujus vaſculi ætas inquiritur, & bonis conjectationibus inter Auguſti, & Dionis Caſſii ætatem concluditur ab 728. ad 731. Cur Neap. faber Regium *atramentarium* ὀκτάγωνον fecerit, cum ſeptem ſint imagunculæ: probe elaboratum multis documentis præſtatur. 731. & ſeqq. Longiuſculum hujus Regii vaſculi præconium, & bene multa rationum momenta, quibus ejus ſingulare pretium commendatur, 735. & ſeqq.
Atramentarii barbara nomina ab Rabbinis conficta, & quæ in Miſchna reperiuntur. 186. 187. *Atramentarium* Joſephi ſacerdotis quodnam fuerit. *ib.* Ejuſdem vaſculi apud ævi rudioris Græcos nomina. 187. & ſeqq. 203. Κάνιον pro *atramentario* vox barbara, ſicut & καλίκλιον, &c. 191. 203. Barbara hujus σκάφειδις Latina nomina *calamarium*, *atramentale*, *atramentarium*. 204. Cur Romani abhorruerint a voce *atramentarium*, licet amarint *atramentum*. 205. Vaſcula liquorum in *arium* cadentia nulla unquam apud Latinos. 205. 206.
Atramentarium Dionyſii Halicarn. 16.
Atramentarium Vaſſallianum Neapoli repertum. 16.
Atramentarium San-Dionyſianum nullius pretii. 731. 736.
Atramentarium omnium mihi cariſſimum huic Regio ex ære ſimillimum etiam octogonum in Herculanei pictura nuper reperta cum reliquis

Digitized by Google

liquis omnibus ſcribendi inſtrumentis: ejus picturæ exemplum apponitur in eamque longiuſculus, & nil pœnitendus commentarius ab pag. XXXIII. ad XXXVI.
Atramentarium plumbeum fruſtra adſerit Montfauconius. 193.
Atramentum an fuerit ſcribendi materies apud veteres, etiam ab eruditiſſimis noſtri ævi Scriptorib. dubitatum eſt. 27. & ſeqq. ſed antiquiſſimum illud fuiſſe ſat multis documentis patefit. 28. &c. Ægyptii, Græci, & Romani eo uſi ſunt. 31. 32. &c. Quo liquore etiam conſcriptæ innumerabiles papyri Herculanei repertæ. 34. Moſes *atramento* uſus eſt. 39. Hebræa ſcriptoria vocabula ad eundem liquorem pertinent. *ib.* Vox, quæ *atramentum* ſignificat, in Barucho. 47. *Atramento* utebantur Lycii. 60.
Atramenti, & *calamorum* meminit etiam Juſtinianus XV. col. 2.
Attemperare, vide *temperare*.
Attici oris fuiſſe Neapolitanos multis patefit. 498. & ſeqq.
Atticus (*Pomponius*) Neapoli domum ſibi emere concupiverat. 497.
Auguſtini locus de gymnaſio Neapolitano multis illuſtratur. 587. & ſeqq.
Aurora atramentaria deſcriptio. 356. cur face, & flagello armetur. *ib.* & 356. Cur ejus peplus roſis ſplendeat: & quid epitheton ῥοδοδάκτυλος, quod Hom. huic Deæ ſemper tribuit, denotet. 356. & ſeqq. vide in indice Gr. Δάκτυλος. De ejus peplo. 356. *Aurora* pro *Sole* in Regio vaſculo, eo quod artifex Neapolitanus: Neapolitani Homero enixe ſtudebant, qui *Auroram* ubique poematum celebrat, vix orientem Solem meminit. 361. & ſeqq. Hæc icuncula antiquiſſimum oſtendit eſſe Regium atramentarium. 726. imo & Neapolitanorum veterum opus. *ib.*
Aurum, materiam vaſculorum unguenti. 4.
Auſonius vocat litteras, *Cadmi filiolas ſtricolores*. 31.

B

Bacchus a Neapolitanis cultus. 651.
Barbati libri, vide *Liber*.
Baſſareus quinam Deus, hujus vocis etymon. 674.
Bellerophontis fabula illuſtratur. 56. ad Lyciæ regem teſſeræ genus, non libellum attulit. *ib.* ea de re Lucianus notatur. 59.
Bibliothecæ Matthæi de Sarno laudes XI.
Boum ſacrificium pro ægrotis. 133.

C

Calamajo, cur ita *atramentarium* Itali vocitent. 183.
Calamaria theca, vide *Theca*.
Calamariæ thecæ deſcriptio. 1. Non fuiſſe unguenti vaſculum oſtenditur. 3. & ſeqq. vide *Atramentarium*.
Calamarius in Pollucis interpr. vox barbariei plena. 189.
Calamiſter, huic voci multa lux. 45.
Calamus ſcriptorius, de eo vivax epigr. in Anthol. 33. vox eſt Memphitica. 40. Sententia Mazochii de calami ſignificatu ſat obſcura. *ib.* Antiquior ſtilo. 41.
Caligula quid de Homero, Virgilio, & Livio ſenſerit. 546.
Campanæ curiæ Neapolitanæ laudes. 619.
Campani nunquam Græci oris, cur ſcalpſerint marmor δίγλωττον. 437. 438. Eos Neapolitani in urbem exceperunt, ac minima quædam munia tribuerunt. 445. 446.
Caniculavii, & *Caniclini* qui. 203.
Cant. Cant. verba multa luce donantur. 394.
Caprearum inſulæ, elegantiſſimi ſaxi occaſione, decora enumerantur ab 476. ad 486. verum ejus nomen. 477. Civium ſat culta vivendi ratio Græcanica. *ib.* Auguſto cara. *ib.* Errores ab ſaxo deterguntur. 479. 480. *Hypatus* adoleſcens ibi denatus ab Auguſto dilectus. 480. *Capreæ*, vox Phœnicia. *ib.*
Caſſianus martyr cur a pueris ſtilis interfectus. 88.
Caſtorum templum Neapoli, cujus adhuc ingentia rudera, & epigraphe. 618. 619.
Catonium, & *catomidiare* quid. 90.
Cavernas in Apollinare ἀπροσδιονύτως interpretatus eſt Salmaſius. 20.
In cedro, non in *cera* ſcripti libri Plat. de leg. 75.
Celebriter, & *celeriter*, *celebris*, & *celeris*, voces ab libraris ſæpe immutatæ, quantum negotii interpretibus faceſſivere XXXIX. col. 2.
Cenſoris munus quodnam. 414.
Cerarii in ſaxis qui. 104.
Cerarium in Cic. eſt *vectigal* pro ſigillo in ſyngraphis a Verre inductum, non pro *cerata tabella*. 127.
Ceratæ tabellæ Hebræis ignotæ. 42. Contra *ceratam ſcribendi rationem* argumenta. 49. Tabellæ *cera* oblitæ, quæ exſtant, poſterioris ævi ſunt. *ib.* Hebræi, & Græci id genus ſcripturæ nunquam meminere. *ib.* & 50. *Cerata tabella Demarati* quænam fuerit. 60. Quædam barbaræ gentes in *cera* ſcriptitarunt. 61. 63. *Ceratis tabellis* Athenienſes damnaſſe reos inficetiſſime eruitur ex quibuſdam Ariſtoph. locis. 66. & ſeqq. *Cera ſcriptoria*, ſive *malthæ* Demoſtheni a poſteriore manu adjecta. 72. Uni pueri Latini, & puellæ *cerata ſcriptione* utebantur a p. 83. ad 93. 107. 189. Anaglyptum ludimagiſtri pro *cerata puellorum ſcriptione* ſat opportunum. 87. Quando grandioris ætatis homines *ceratas tabulas* adhibebant, nempe vel cum ad præſentes ſcriberent, vel cum aliquid memoriæ cauſa adnotarent ab p. 93. ad 106. hanc certam, & præclaram diſtinctionem oboluit Lipſius, & dubii plenus propoſuit Salmaſius. 101. *Cera* pro *epiſtola* τροπικῶς in Ovid. 100. *Ceram* neque Cic. neque Plin. in

Digitized by Google

ſuis epp. e contrario *chartam* ſæpe meminerunt: Seneca utramque omnino reticet. *ib.* ſed ei ſermo eſt *de codicillis*. 101. Latini compingebant *ephemerides ceratas*. 103. Pandectes nunquam meminit *ceras ſcriptorias*, neque *ſtilos*. 110. 116. In verbis Marciani: *In rationibus, tabulis, ceriſve*, &c. *ceræ* ſunt *ſignatoriæ*. 121. 122. Eadem verba quid in Ulpiano. *ib.* Exempla bene multa, queis *ceræ* τροπικῶς accipiuntur pro *chartis*. 123. *Cerarum* pro *ſcriptura* ſemel meminit Livius. 124. Quid valeat *prima cera*, & *ima cera*: has voces nunquam reperire eſt in omni, quantum eſt, legum σώματι. 125. *Cera* pro ipſa *hereditate*. *ib.* Medicorum ſchedulæ aliquando in *cera* ſcriptæ. 146. ſed de medicis Latinis id dicas. 150. *Horatium* in pariete *cerato* ſcripſiſſe pernegatur xv. col. 1. & 2.

Cereris templum Neap. nunc S. Greg. Armeni. 618.

Ceres Actæa, ſive *Eleuſinia* cur a Neap. culta. 705. 712. *Plutogeniæ Cereris ſacerdotis* ſaxum Neap. affectiſſimum ſanatur, & longiuſculo commentario illuſtratur. 712. & ſeqq.

Ceſtus, *inceſtus*, *inceſtare*, unde ſumpſere Latini. 153.

Chæream in tabulis Heracleenſibus Siculum potius, quam ex noſtratibus Neapolitanis fuiſſe multis patefit xxiv. & xxv.

Charta, vox ἐξωτική, neque ab Hebræa, vel Gr. origine. 40. 42. In ea illinebatur, non inſculpebatur. 41. *Charta plumbea* Neronis eſt *lamina*, uti etiam Græce χάρτης aliquando. *ib.* & 42. *Charta averſa*, & *tranſverſa* quid. 101. *Chartæ* etiam, non ſolum *tabulæ* meminerunt JCti. 112. Cur *Chartæ* nomen rariſſimum in Pandectis, non tam raro in Inſtitut. & Cod. ſemper vero in Novell. in queis etiam *peculiaris charta* tabellionib. præſcribitur. 116. *Chartæ* antiquiſſimæ apud JCtos. 117. *Chartarum* vis immenſa Romæ. 124. *Charta* toti orbi nota etiam ante Alexandrum. 233. *Charta virgo*, *charta trita*, & *horrida duro mento*, *charta ſordida mento*, &c. in Martiale quid. 276. 280. *Charta anus* in Catullo quid. 279. *Altera charta plicetur* quid in Mart. 282.

Chriſtiani olim etiam pro non acceptis beneficiis votivas tabellas appendebant. 149. uni Criſtiani dies appellarunt a planetis, non vero ethnici. 296. 308. eorundem καλοκαγαθίᾳ id tribuendum, ſed cultiores id σοάλμα evitarunt. 312. Ethnicorum errores circa res Chriſtianorum. *ib.* & xix. col. 2.

Chryſantius architectus ſub Severo Imp. ex Herculaneo, & finitimis locis ſtatuas extraxit Romamque tranſtulit xxxviii. col. 2.

Chryſocolla, vide *gluten*.

Chryſographata ſcuta quæ. 394. 395.

Cicadæ Athenienſibus caræ. 695.

Cicero atramento ſcribebat. 32. Locus duplex in epp. ad fam. & orat. contr. Rullum affectiſſimus ſanatur, & multa luce donatur. 452. & ſeqq. 456. 457. Neapoli domum emendam curavit. 497. Ciceronis *Academiam* cur Auguſtinus vocet *gymnaſium Neapolitanum*. 587. & ſeqq. Quodumdam Homeri verſuum νοθείαν non obſtiuit xix. col. 2.

Ciceriones Puteolani haud dicti ab detortis vocibus *circitores*, vel *circerones*. 221.

Cincticulus, *cinctutus*, *ſemicinctium* quid. 288.

Circus quid. 423.

Ciſta, nomen γενικόν, ejus notio ab adjunctis determinatur, uti etiam Græce κίστη, & Hebr. קסת. 156.

Ciſtellaria Plauti quid. 156.

Citharœdi Phœbum præſidem Deum habebant. 694.

Clanius amnis cur dicatur a Lycophr. fluere prope Neap. 680. Ejus etymon Phalegicum. 682. Eſt etiam γενικόν fluviorum nomen. 683.

Claudius Aug. cur contrectari comites puerorum, ac librarios juſſerit. 167. 168. Neap. certamini præfuit, & athletas coronavit. 415.

Claves antiquiſſimis Græcis notiſſimæ, imo elegantiſſimæ ex Hom. 120.

Clementis Alex. locus reſtituitur, & vindicatur. 695. 696.

Codex, hujus vocis vera notio antehac ignota. 255. & ſeqq. 265. cur raro reperiatur in boni ævi Scriptoribus. *ib. Codices eborei* in Pandect. error amanuenſium; & bona medela apponitur. 258. *Codex*, & *codices* ſunt ἴδιως *tabulæ publicæ*, nunquam *privatorum libri*, vel *membranæ*, quod ſat multis exemplis firmatur. 259. & ſeqq. Cur Hermogenis, Theodoſii, Juſtiniani legum συλλογοὶ *codices* vocitentur. 260. *Codex* in Pandect. ſolummodo pro *tabula publica* adhibetur. 260. 261. Cur unæ ſtatuæ togatæ gerant *codices*. 261. Licet eſſent innumerabiles *codices*, cur raro admodum ita appellarentur. 263. 264. *Grandis codex* in Juvenale idem eſt, ac *faſces codicum*. 264. 265. *Codicum* figura teres. *ib.* & 265. Pictores, & ſculptores tum veteres, tum recentiores pro libris quadrangulis *codices* finxerunt. 266. 267. *Codex* pro *libro* generatim barbare dicitur, hinc inficetiſſime audit *codex Mediceus*, *Palatinus*, &c. *Codex Livii*, &c. uti doctiſſimi quique uſurpant. 269. 270. Hujus vocis etymon ignotum, & inficete ab Hebræo fonte educitur. 271. De *codicibus*, ſive *teretibus libellis* Herculanei repertis ab p. 271. ad 277. & vide indicem Herculanenſem. xliii. col. 2.

Codicis, ſive papyri Philodemi ex eadem urbe extractæ, atque evolutæ deſcriptio, & prolixior ἐξήγησις xxix. & ſeqq.

Codicilli, & *pugillares* qui. 101. 159.

Cœnare illuſtri mille animarum in ſaxo nuper eruto quid. 373.

Collapſa in fragmento Neap. tituli requirit *ſigna*. 539. Nunquam ea vox ſolitaria in lapidibus, quod

Digitized by Google

quod festiva exemplorum vi patefit. *ib.* & 540. 541.
Colonia, vide *Neapolitani*.
Columbarium Livianum illustratur. 179.
Comes, hujus vocis notio antehac ignota, est *puerorum custos*, sive *pædagogus*, quod adjecta longa exemplorum serie patefit. 168. & seqq. aliquando de matronis dicebatur. 171. *Comitis* nunus vocabatur *comitatus*. *ib. Comites conductitii*. *ib. Comes* dictus etiam *admonitor*. *ib.* Verbum *frequentare* proprium *comitum*. *ib. Comites* vox male restituta in Pandect. 172. Dei, Deæque *comites* impp. & Cæsarum in nummis. *ib. Comes* quid etiam in marmoribus. *ib.* Hanc notionem vocis *comes* forte ab Hom. sumpta. 173. *Comes* in Martyrum actis antiquioribus non est *dignitatis titulus*. *ib.* Feminæ etiam *comites*, eisque ex officio appositæ nomina. 181. Raphael Archang. Tobiæ *comes*. 182. vide vocem *Pædagogus*. Vide etiam pagg. XVI. & XVII.
Commentum pro *libello*. 65.
Coorum gens cur in nummis angues fingerent. 369.
Compactor librorum, inficetum quid. 249.
Consignatio, vox a margine in verba Pandectes immissa. 122.
Constituere, & *dedicare* statuas an synonymos dictum in Campano saxo. XXXVIII. col. I.
Consulum nomina unde arcessenda. 522.
Conti, & *contacia*, librorum species. 240.
Coqui, & *fabri ferrarii* Vulcanum præsidem habebant. 694.
Corcyra an ab infortunio ἐπαιωπικῷ liberata sit. 350. Insula est recurva falcis instar, contra ac credidit Mazochius. 251.
Cornelia Musa, pientissima matrona Neapolitana in fratores Agarrheenses. 630.
Cornua sunt partes in quadrangulis libris, nempe *anguli*. 243. 244.
Cornua hircina, & *caprina* Jovi tributa. 329. etiam Junoni, quæ ideo *Ammonia* dicta. *ib.*
Coronæ in certaminibus unis athletis dabantur. 417.
Cortex pro *forte* in Ulpiano restituitur, quæ vox idem valet, ac *crusta*, & *emblema*. 397. 398.
Cortices scriptorii nunquam adhibiti. 106. 110.
Corycotæ cur Neapoli degerent. 672.
Cos, & *pumex* confudit Montfauconius 201.
Crispare hastam, quod Hom. dixit πτύσσειν ἔγχος, an probe versum a Marone. 285.
Croceus, & *crocatur* quid. 113.
Crucis Christi titulus an atramento scriptus. 104.
Cryptæ Neap. 448. 711.
Crystallus cur nascatur figuræ sexangulæ. 734.
Cura in saxo an recte interpretetur Mazochius; ejus sententiæ resistitur, & fortasse aliter legendum est marmor. II. III.
Curagendarii qui. III.
Curia Aug. Annianæ qua in urbe fuerit. 431.
Curiosorum officium quodnam fuit. II.
Curis pro *furis* in Jo. Diacono. 633.
Custos dicebatur potius puellarum. 169.
Cynæi, fratria Neap. nuper ex saxo cognita: hujus saxi fatum sat deridiculum narratur. 636. & seqq. Marmor depingitur, & longiori commentario honestatur. 638. & seqq. Difficillimæ ejus notæ divinantur, quæ doctiss. viros latuere. 639. 640. 641. Cur *Cynæorum* nomen sibi acquisiverint, ab *Anubide* scil. 641. 642. *Isidem*, & *Harpocratem* colebant. 644. *Osirim*, *Vulcanum*, *Bacchum*, *Minervam*, & *Serapidem*. 651. Hujus fratriæ situs, & laudes. 652. 653. XXVIII.
Cyprii apposite vocitabant *stramenti vas*, ἀλεκτρύονα, & *magistros*, διφθεραλείφας. 164. 165. ab Hebræis id vocabulum deduxere. 166. Nunquam in *ceris* scripsere. *ib.*

D

Decemvir, quo pacto dixerint Græci Scriptores. 646. 647.
Decemvirales leges. 110.
Declamatorium certamen nunquam celebratum Neapoli, sed *musicum*, & *gymnicum*. 490. & seqq.
Decreta, sive ψηφίσματα bina, quæ Neapolitana facit Capacius, elevantur. 635.
Decuriones nunquam Neapoli, sed *demarchi*. 453. 456.
Delta, sive *Ægyptus* regio ante Hom. ævum. 233.
Delum navigarunt Neapolitani, & Apollini memoriam dedicarunt. 642.
Demarati tabellæ cerata nil officit *scriptioni stramentariæ* Græcorum. 60.
Demarchatus, Neap. magistratus. 453.
Demosthenis loci affectissimi multa medela sanantur. 53. 71. & seqq. ejus orat. 2. κατὰ Στεφάνου plena νοθείας. 72. hujus oratoris verba haud percepit Salmasius. 73. Falsus est scholiastes, & doctissimi viri ajentes oratorem asserere terna fuisse Athenis gymnasia. 579. 580.
Diaconia a Theodoro Neapoli erecta, vide *Theodorus*.
Diaconus, vide *presbyter*.
Dierum hebdomas, vide *Hebdomas*, & *Planetæ*.
Digitorum nunquam meminere Hom. & Hesiodus. 357. imo neque *articulorum*, neque *unguium* XX. col. 2.
Dii erant unicuique opificio præsides. 694. & seqq.
Diogenis Laertii locus affectiss. sanatur. 75.
Dionis loci non unis verbis corrupti restituuntur, & illustrantur. 334. & seqq. 442. 423. 610. 611. XXXI. col. 2. XXXII. col. I.
Dionysii Halic. imago cum theca calamaria octogona. 33.
Dioscorides depictus cum atramenti vasculo. 32.
Dioscurorum templi columnæ, & statuæ, quæ adhuc

Digitized by Google

adhuc Neap. viſuntur, imo & epigraphe. 526. 527.
Diotimus, vide *Mopſopus*.
Diptycha quæ, & eorundem definitio in Heſychio multa luce ſuffunditur. 286. 287.
Diſcus cur de ſole dicatur. 324.
Diſtichon Græcum in nuperrimo Neapolitano lapide exagitatur. 507.
Doctor librarius in ſaxo eſt, qui *libros quadrangulos compingit* contra Reineſium, qui nimis licenter commutat vocem *doctor* in *ſtructor*. 249. 250. *Doctor laniſta*, *ſagittarius*, *&c.* qui. *ib. Doctor librarius* ſat ridicule interpretatur Schoettgenius. 251.
Domitianus Aug. Albana ſeceſſione delectatus. 466.
Draco ſanguine leges conſcripſit. 30.
Drepane, vide in ind. Græco Δρέπανον. Erat recurva. 348. 349. Mazochii ſententia expenditur de duplici hujus vocis etymo Phalegico, eique reſiſtitur. 350. Urbes, & inſulæ hujus nominis a *falcis* figura, non quod terræ *efferuminatæ* ſunt, ut ait ſummus vir, etiam *Sarepta* urbs. *ib.* Verum etymon hujus vocis profertur, & non unis teſtibus fulcitur. 353. 354.
Duſari ſacrum, in ternis quadratis lapidibus ſcalptum, & nuper Puteolis repertum quid. 652.
Duumvirales leges. 110.
Duumviri nunquam Neapoli. 453.

E

Ebora municipium dicta *Liberalitas Julia*. 154.
Edicta impp. in provincias miſſa cur in membranis circumvolutis. 262. 263.
Educator, vox in Pandectis aſſuta. 179.
Efferruminare de quovis metallo dicitur, inde etiam de quavis re, quæ cum alia conjungitur. 404.
Emblemata in vaſis, quæ. 395. & ſeqq. A Cic. huic vocabulo multa lux. 396. 397. In Ulpiano *emblemata argenti* quid. 398.
Empæſtica ars committendi metalla quænam ſit, vide fere omne cap. 4. lib. 2. eaque arte compactum Regium atramentarium. *ib.* Vocabulum *empæſticus*, licet peregrinum, civitate Latina donandum. 405. Eadem ars Regii atramentarii ætatem diſtinguit. 729.
Ephemerides ceratæ. 103. earum σχῆμα ex pictura Herculanenſis theſauri profertur una cum ſtilo XXXIV. XXXVI. col. I.
Epicuri familiares in vaſis imaginem ejus ſcalpebant. 700. Non parvus *Epicureorum* grex Herculanei degebat. 569. XXX. col. I.
EPIDIXIS in ſaxo quid, contra Reineſium. 512. 513.
Epigramma μετρικόν in Veneris laudem nuper Puteolis repertum, obſcuritatis plenum longiuſcula adnotatione illuſtratur. 372. & ſeqq.
Epigramma, quod prope Neapolim viſitur, & rati ſunt αἰνιγματῶδες, explanatur. 374.
Epigrammata ſeptem Anthologiæ ad ſcribendi inſtrumenta ſpectantia longiuſculo commentario vindicantur, illuſtrantur, novoque μετρικῷ interpretamento honeſtantur. 193. & ſeqq. 208. & ſeqq. Primum epigramma diſticho mancum eſt. 210.
Epiſtola Mazochii pro Regii atramentarii illuſtratione expenditur. IV. & V.
Epiſtolæ Demoſth. & Æſchin. νοθείας plenæ. 235.
Epiſtolæ in teretem formam plicatæ mittebantur. 283.
Epiſtolæ latentibus litteris ſcriptæ. 31.
Epomeus, mons Inarimes, ejus etymon Phalegicum. 567.
Errans gladius quid. 108.
Eſdræ volumen cylindricum nil antiquum. 242.
Evangeliſtæ depicti in antiquis libris cum atramentario. 32.
Eugubium urbs laudatur. I.
Eumelidarum fratria Neap. ejus triplex ſaxum illuſtr. 608. & ſeqq. *Eumelum* Parthenopes patrem fuiſſe pernegatur. 615. *Eumelis* in Statio non eſt Parthenope, ut rati ſunt univerſi, ſed fratria *Eumelidarum*. 615. 616. Situs hujus fratriæ in Neap. urbe definitur. 616. Hi fratores Apollinis templum curabant, quod nunc eſt metropolitanum, in quo Chriſti tabula ſat vetus Solis grandem diſcum pedibus prementis. 616. 617. 618. In hac fratria erant & templa Cereris, & Dioſcurorum, quorum adhuc rudera. 618. 619. Hujus fratriæ præconium. 619. 620. Statium in hac fratria, & Menecraten Pollii generum vixiſſe conſtat. 619. 620.
Eumenes, ſcriba Amyntæ, an ſecum ferebat γραφεῖον, & πινακίδιον. 204.
Eumenides an alatas, & ſerpentibus horridas finxerint poetæ. 37.
Eumidæ, fratria Neap. ab ſaxo patrio nunc primum nota: de Fauſtina Aug. benemerentiſſima, cui ſtatuam erexit. 658. Hujus vocis interpretamentum, & fratriæ ſitus divinatur. 661. 662.
Eunoſtidæ, fratria Neap. ab *Eunoſto* adoleſcentulo σωφρονεστάτῳ dicta; ceterarum honeſtiſſima. 662. & ſeqq. Hi fratores erant ἄγαμοι. 664. Ad eorundem φρητεῖον feminas adire nefas erat. 665. Situs in ſuburbio, nomenque adhuc durat. 665. 666.
Eunoſtus, numen Tanagræorum σωφροσύνη illuſtre. 663. & ſeqq. Fratriæ Neap. nomen dedit. *ib.* Gorii diatriba de *Eunoſto* omnino elevatur edicentis fuiſſe Deum piſtrinorum, quod idipſum aſſerere videtur Caſaubonus. 666. & ſeqq. Ea de re veterum grammaticorum σφάλματα. 667. 668. qui quidem *Eunoſtum* feminam reddidere, atque omnia confudere. *ib.* In Gorii gemma non *Eunoſtus* exhibe-

Digitized by Google

hibetur, ſed potius *Pittacus*. 670.
EXORATUS quid in lapidibus. XVI. *col.* 1.

F

Falx Saturni, vide Δρέπανον.
Fata cauſarum pro *facta cauſarum* in Cod. 263.
Fauſtina Aug. de Neap. benemerentiſſima, cui ſtatua erecta. 658. Hujus Auguſtæ nomen ſequioris ævi Neapolitani ab lapide eraſerunt, ſed *Antoniæ Aug.* parſere. 650.
Favus κατ' ἐξοχήν vocatur *figura ſexangula* a Vitruvio. 733.
Figura quid apud jureconſultos. 113. 114.
Folia arborum in ſcriptione nunquam adhibita. 118.
Foramen exiguum Regii atramentarii antiquiſſimam ætatem præſtat. 730. 731.
Forte pro *cortex* in Ulpiano. 397.
Fratores cujuſcumque tribus homines ſcribebant, mortuos vero delebant XXVII. Quatuor Ariſtoph. loci ſat tenebricoſi de *fratoribus* illuſtrantur.
Fratria, vox περιβόητος in Neap. rep. Illam fuiſſe non ὑλικὴν partem urbis, ſed ἱερατικὸν paucorum miniſtrorum ſacrorum corpus nunc primum profertur ab p. 591. ad 606. & 687. Qui illuſtres Scriptores de fratriis commentarios inſtituerunt, quam parum opportune. 592. Eas in unis Athenis, & Neap. reperire eſt. 592. 593. 687. Quid in Hom. ea vox. 593. *Fratores* æquales miniſtri ſacrorum ſunt, ac *orgeones*, & *thiaſi*. 593. 594. Eorum numerus, ſcil. triginta. 594. De eorundem templo, ſacrificiis, ac reliquis ſacris ceremoniis. *ib.* & 595. & ſeqq. Iidem ſunt *fratores*, ac *thiaſotæ*. 597. 598. *Fratorum* princeps dicebatur φρατρίαρχος. 598. Erant ſacri nuptiarum miniſtri. *ib.* & 599. Iidem ac *orgeones*. 599. 600. Hinc Eccleſiaſtici Scriptores dixere *fratores Chriſti*, *fratores veritatis*. 600. Neapoli celebrantur de ſacris miniſtris voces *fratanciæ*, & *fratanciarii*. 600. 690. Conjurant in hanc notionem vocis *fratriæ* etiam lapides loquentes, & origo non Græcanica, ſed Phalegica. 601. 602. *Fratores* una convivebant. 602. Eorum exemplo enati ſunt Romæ *fratres arvales*. 602. 603. Etiam Homerus ſacram rem eſſe hanc vocem docuit, quod non vidit Cic. 603. A grammaticis minime acceptanda vocis *fratriæ* notio, qui omnia turbarunt; neque a Græcis Scriptoribus, qui cum Romanis verſati ſunt. 604. 605. Platonis locus appoſitiſſimus de *fratriis* illuſtratur. 606. De Neap. *fratriis* ſingillatim ab p. 607. ad 671. Earum nomina *Eumelidæ*, *Artemiſtii*, *Ariſtæi*, *Agarrbenſes*, *Panclidæ*, *Cynæi*, *Jonæi*, *Eumidæ*, *Antinoitæ*, *Eunoſtidæ*, vide in ſuis locis in hoc indice. De Pſeudofratriis *Theotadæorum*, & *Eubonitarum*; & an fratria *Phaleritarum* exſtiterit, vide etiam in ſuis locis. Nomina eorum, qui *fratriæ* præerant. 628. Quo die, & ratione δανειστμὸν celebrabant. 629. *Fratoribus* unguenta donata. 633. Firmatur hos fuiſſe σύσημα ἱερατικὸν. *ib.* *Fratores* ipſi civium cauſas decernebant in ἀγοράστημα, quid ea vox, pluribus expenditur. 634. & ſeqq. Joan. Diaconus videtur *fratores* meminiſſe. 633. 690. Latini vocem *fratores* dixere *fretriaci*, ut ex ſaxo eruitur. 662. *Fetrium* quid in Latiaribus ſaxis. 687. XXVIII. col. 2. XXXIX. 688. 689. Neapoli non unis in Eccleſiis hodie *fratorum* ſpecies adhuc durat. 690. *Fratria* a quibuſdam doctiſſimis viris adhibita pro *patritiorum curia*, quod reprehenditur. 690. Cur Neapolitani Attici oris dixerint φρατρία, non φρατρία· & Latini ſcripſerint *fratria*, non vero *phratria*. 691.
Frequens, & *frequentiſſima*, epitheta urbis Neap. propria. 497.
Frequentare in Labeone quid. 171. quod Ulpianus languidius dixit *ſequi*. *ib.*
Frontes ſunt in unis libris quadrangulis. 244. quot numero, & ſæpe auratæ. *ib.*
Frumenti dividundi magiſtratus qui, & quando creatus. 645. 646.

G

Galeni ſententia de vero nomine *Veſuvii*. 418. contra doctiſs. Mazochium defenditur. 510. nec non de *gymnaſio*, licet verba male verſa ſint. 578.
Gemmæ cur naſcantur ſexanguſæ figuræ. 734.
Glaucus quidam efferruminandi metalla gluten invenit. 404.
Gluten, ſive *chryſocolla*, qua efferuminatæ ſunt icunculæ atramentariæ, deſcribitur a Plin. 403. 404. Auctor ejus *glutinis* quis. 404. Proverbium inde enatum. *ib.*
Glutinatores librorum quadratorum. 245. Id *gluten*, niſi exſiccaretur, liber non explicabatur. 247.
Grammaticorum errores de voce *Eunoſtus*. 667. 668.
Græci ceratam ſcribendi rationem nunquam adhibuerunt. 49. *Græca gens* adeo elegans in ſcribendo, ut etiam quodvis genus pelles, ſive membranas reſpuerent. 78. Nulla eis vox a lignea ſcriptione, uti mos eſt Latinis. 81. *Græci* pueri non cerata, ut Latini, ſed atramentaria ſcriptione utebantur. 91. *Græci* nullis unquam vinculis codices colligabant. 120. Clavibus elegantiſſimis, & arcanis vel ab Iliaca ætate uſi, & annulis ſignatoriis. *ib.* Quibus vocabulis thecas calamarias vocitabant, nempe: κίστη μελανδόχος· δοχῖον μέλανος· δοχῖον γραφικὸν μέτρον· ἄντλος φυλάττων μέλαν. μελανοδοχεῖον· ἀλειπήριον· τὸ μέλαν. 161. & ſeqq. Nomina barbara hujus vaſculi. 187. & ſeqq. Carent voce pro notione *vinarii*. 206. Priva voce μέλαν dixere

Digitized by Google

xere *stramentum*, pluribus Latini. 207. Libros confecere semper quadrangulos, nunquam cylindricos. 232. & seqq.

Gymnasium non est peculiaris structuræ ædificium ab p. 573. ad 590. Ithæc definitio doctissimis quibusvis viris adversatur, etiam Vitruvio. 574. & seqq. Est nomen γενικόν, uti *senatus*, *schola*, *palæstra*. 575. ideo vox *gymnasium* in Gruteri ind. operum publ. haud exstat. 576. Quantum aberrarint quique eruditissimi in vestiganda *gymnasii* structura. *ib.* Veterum auctoritates tum Græce, tum Lat. queis constat nullum fuisse ἴδιον ædificium. 577. & seqq. Demosthenis locus appositissimus, licet male versus, ac distinctus. 579. 580. Falsi sunt hujus oratoris scholiastes, & doctiss. viri terna oratorem asserere fuisse *gymnasia* Athenis. *ib.* Hac statuta *gymnasii* notione, obscuris Scriptorum locis multa lux, præsertim Platoni, & Pausaniæ. 582. & seqq. *Gymnasium* est etiam ipsa *exercitatio*. 585. 586. Non igitur Titi Aug. titulus *gymnasio* affixus. 586. Cur Strabo de Neapolitanis dicat habuisse *gymnasia*, non vero *gymnasium*. 587. In Augustino *gymnasium Neapolitanum*, vel legas *Puteolanum* ob librariorum σφάλμα, vel melius loquitur de *Neapoli*, quæ exstructa erat prope Bajas, quæ urbs nova multis exemplis firmatur. 587. & seqq. Quid *gymnasium* in lib. Machab. 590. *Gymnasium* Neap. erat etiam *Exedra* Herculis XXVI. *col.* 1, Quinam locus Athenis. *ib.*

H

Hadriani numismata, vide *Numismata*. *Hadrianus* de Neap. civibus benementissimus, eorumque demarchus creatus. 660.

Harmonia in planetis, quam asserit Cassius, quænam sit. 336. & seqq. de ea recentiorum mathematicorum sententiæ veritati infestissimæ. *ib. Harmonia diatessaron* in planetis non est μουσικὴ συμφωνία, sed quid Pythagoricæ τετρακτύος. 337. 338. Quam male & confuse meriti sunt tum veteres, tum recentiores de voce τετρακτύς. 338. *Harmonia* in Pythagora non est quid musicum, sed quid σύμμετρον. 338. 339. Est etiam in Hom. συνοχὴ, *pactum*. 340. *Harmonia*, Cadmi uxor confusa cum *Hermione*. *ib.* Heraclides fecit unam ex sirenibus. 341. Etiam apud posterioris ævi Græcos non est συμφωνία. 342.

Harpocrates a Neap. cultus, ejus vocis etymon. 644. Ejusdem pictura cum epigraphe Herculanei reperta. XXVII. *col.* 1. XXVIII. *col.* 2.

Hasdrubalem in cera scripsisse ait Gell. & Justinus Hamilcarem. 61.

Hebdomas dierum omnibus gentibus honori fuit. 294. Quando cœptum sit numerari dies per *hebdomada*, Scriptorum adversantes sibi sententiæ proferuntur. 295. XIX. *col.* 1. Uni Christiani, nunquam vero ethnici dies appellarunt a planetis. 296. 307. hujus diversitatis ratio. 312. Dionis locus de dialibus planetis multa luce donatur, & vera sententia extunditur. 308. Dii *hebdomadis* sunt solummodo dierum δεσπόται, & ἔφοροι. 309. Huic sententiæ nihil officit Pseudoplutarchus. *ib.* cujus titulus affectissimus sanatur. 310. Brachmani dies a planetis appellabant. 310. 311. Cur unus Tibullus ex Latinis dixerit *Saturni dies*. 313. Quando cœptum sit dies appellari nomine *feriarum*. XIX. *col.* 2.

Hebdomada dierum initium sumpsisse ab Saturno, non a Sole multis patefit, quod ante Regium atramentarium ignoratum est. 315. & seqq. Neque ea de re curandi Christiani Scriptores. 332. Cur Tullius Solem ducem & principem reliquorum luminum, & Proclus ἑβδομαγέτην salutarint. *ib.*

Hebdomadis dierum ordo cur ab cæli τάξει diversus: hujus rei veterum Scriptorum rationes expenduntur, & rejiciuntur, nova & εὐτιστοτέρα inducta. 333. & seqq. Jos. Scaligeri sententia, & Bedæ exploditur. 333. 334. etiam antiquior Dionis Cassii nil curanda. 335. 336. Quantum ab mente Cassii nostri ævi mathematici exorbitarunt. 337. vide *Harmonia*.

Hebonitæ, fratria Neap. conficta, licet *Hebo* famosum numen Neapolitanum audierit. 673. 674. Hujus vocis etymon peregrinum; numen idem, ac *Bassareus*. 674. Cur cives hunc Deum præcipue colerent. 711.

Hebræi ceratas tabellas ignorarunt. 42. 49. stilo utebantur in scalpendis characteribus in saxis, vel in æneis tabulis. 43. hinc multa lux difficilioribus V. T. locis. *ib.* & 44. Haud jure ligneam, plumbeam, marmoream scriptionem eisdem tribuunt. 46. Cur ævo Augusti dixerint libellum, πιττακίδιον. 103. Queis vocibus appellarint vasculum atramentarium. 152. Docent Origenem, & Hieronymum vocem Hebræam, quæ atramentario respondet. 155, Mutilant ultimum ן in vocibus. 158. Libros cylindricos nunquam adhibuerunt. 228. & seqq. Eorum librariæ voces illustrantur. *ib.* Eorum biblia cylindrica posteriorum sæc. sunt. 232. 242. vide *Liber*. Sabbati cultus apud eosdem. 204. Variis metallis decorabant mulierum ornamenta. 394. Nulla vox apud eosdem, quæ *imaginem* ab *statua* distinguat. 552. 553.

Helenam non omnium mulierum pulcherrimam describit Homerus, ea pulchriorem canit Penelopen. 19.

Heracleæ urbis laudes. I.

Heracleenses æneæ tabulæ quid lucis affertur. XXIV. XXV. Quædam in ea notæ explicantur. *ib.* Cur scribæ, & decempedatoris nomine subscripta. XXXI. *col.* 2.

He-

Digitized by Google

Herculanea via, & *Herculea* quantum differant. 440. 563.
Herculanenſes ſiderum ſcientiæ deditiſſimi. 706. Quæ, & pro quibus rebus vectigalia cum finitimis populis ſolviſſent, ex nuperrima pictura edocti ſumus. xxxv. *col.* 2. Laudantur a Cic. ob *divitias*, & *magnas pecunias*. *ib.* Sæmilanus Campaniæ conſularis ab iiſdem locis ſtatuas quamplurimas extraxit, Romamque tranſtulit, uti conſtat ex nuperrimo litterato lapide, in quem prolixior commentarius. xxxvii.
Herculanenſis regio Neapoli inficete addicta. 440.
Herculaneum colonia deducta poſt Veſuvii incendium ſub Tito. 441. De theatro, promontorio, portu, etymo Phœnicio hujus oppidi, & finitimorum locorum. 566. & vide indicem Herculanenſium antiquit. xlii.
Herculeus, & *Herculaneus* longe diſtant. 440.
Herculis Exedra Neapoli. 492. 497. xxvi. *col.* 1.
Herculis Porticus apud Petronium eſt *Herculaneum*, nunc vulgo *Portici*. 710.
Hermione confuſa cum *Harmonia*. 340.
Heſiodus nunquam ſcriptionis meminit. 29.
Heſychii auctoritas ubique ſubleſta, præſertim in definiendis Homeri vocabulis. 164. 165.
Hieronymus docetur a Rabbino vocem Hebræam, quæ thecæ calamariæ reſpondet. 155.
Hieroſolymorum urbs, quando Romana colonia evaſit. 436.
Hippocrates atramento ſcripſit. 31.
Hirtini, Lucana gens, nunc primum ex ſaxo noti. 505.
Homerus nunquam ſcriptionis meminit. 29. Hujus vatis volumen in purpura aureis litteris. 32. Verſus, in quo ſcripturæ meminit, fortaſſe ſpurius. 50. Bene multi verſus Rhapſodorum culpa haud tanto vate digni, enunciantur. 51. Hujus vatis ἀποθέωσις in marmore Romæ: & anaglyptum ejuſdem legentis: nuperrima elegantiſſimi operis ἀποθέωσις in vaſe argenteo Herculanei reperta, quæ deſcribitur. 266. 267. xviii. *col.* 2. Oſcitanter artifices apponunt in ejus dextera volumen teres pro quadrangulo. 269. Nunquam meminit picturas: neque in eo vox eſt, quæ ſtatuam denotet, licet non ſemel de ſtatuis loquatur. 299. Nunquam *digitos*, licet reliquas vel minimas corporis partes deſcribat, commeminit. 357. imo neque digitorum *articulos*, neque *ungues*. xx. *col.* 2. Non unæ voces in eo ab Hebr. fonte eductæ. 358. & ſeqq. Auroræ ubique poematum meminit, Solemque vix curat. 361. Contra Athenæum, & doctiſs. interpretes defenditur. 383. 384. Quæ de *Hom.* ſenſerit Caligula. 546. Vindicatur. 671. *Homericæ* Iliados, & Odyſſeæ geſta ubique urbis Neap. depicta. 711. *Homerus* in ſcuto Achillis ſeptem planetas appoſuit, quod non videre vel doctiſſimi interpretes. 722. & ſeqq.
Honoratus vir in ſaxis quo ævo cœpit ſcalpi. 433. an exſtet in Pandectis. *ib.*
Horatii, & *Plauti* locus, ubi *vinaria*, vera luce perfunditur. 205. 206.
Horatius cera ſcriptoria minime uſus eſt, contra ac dixere interpretes. xv. *col.* 1. & 2.
Horus a Neap. cultus, hujus vocis etymon. 644. an cum denſo ſpiritu ſcribendus. 649.
Hypatus Capreis denatus adoleſcens Auguſto dilectus, Octaviano, an Tiberio? 480. 481.
Hypodidaſcalus quid. 527.

I

Jarcha rex Appollonio Tyanæo ſeptem annulos dedit dialibus planetis inſignes. 310. 701.
Ilienſes in ſaxo Neap. ſunt Sardiniæ populi. 520. xxv. *col.* 2. xxvi. *col.* 1.
Ilium Trojanum an in pagum abierit. xxvi. *col.* 2.
Imagines auctorum appoſitæ libris. 246.
Imago longe differt a *ſigno*, *illa* eſt pictura, *hoc* ſtatua, quod uberrima exemplorum vi oſtenditur ab p. 544. ad 548. Hinc vox *imagines* in Camp. amphitheatri titulo importune addita pro *ſignis*. 545. Iſthæc diſtinctio ſervatur etiam in legum τύποις. 546. 547. necnon in litteratis lapidibus. 547. Si aliquando *imago* ad *ſtatuæ* notionem extendatur, ἐπιθετῷ aliquo indiget, veluti *aurea*, *argentea*, *ænea*, *ſculpta*, &c. 547. 548. Interdum ſine adjuncto, eſt ſpecies, quam animo ſolummodo concipimus. 549. Doctiſs. virorum, hac diſtinctione non adverſa, ἀδιάφορα. *ib.* vide in indic. Græc. vocum Εἰκών, & Ἄγαλμα.
Imago ſat vetus Chriſti ſervatoris Solem pedibus prementis Neapoli in templo maximo quid. 617.
In omiſſum in Pandect. & deinde appoſitum legem de legato librorum in multam lucem reſtituit. 258.
Inarime, ejus etymon Phalegicum. 567.
Inaurandi metalla ars vetuſtiſſima, & Homeri tempore nota. 400. 301. a Plinio deſcribitur. *ib.*
Incoſtus, & *inceſtare* unde arceſſiverunt Latini. 153.
Incus, *udis*, ejus etymon Hebræum. 394.
Index in libris quadrangulis qui. 244.
Inſcriptio elegans Franc. Serai in Agnelli Vaſſalli tumulum. 15.
Inſcriptiones Neapolitanæ, vide *Neapolitanæ inſcriptiones*.
Inſertæ pro *cruſtæ*, ſive *emblemate* vox inficeta. 397.
Interpretes legum omnes tranſverſi abacti ajentes teſtamenta, & contractus reliquos in tabulis olim conſcriptos. 110. & ſeqq.
Involutus, vox importuna in Ezech. 231.
Jonei, fratria Neapolitana ab ſaxo nota corruptiſſime exſcripto, quod reſtituitur. 653. Ab

Digitized by Google

Jonibus dicta, primis Græcorum omnium colonis. 654. 656. ſitus divinatur. 656.
Jordani (*Lucæ*) Neap. pictoris tabula cum quadratis, & teretibus voluminibus. 268.
Jovis an unquam dixerint *Deum* Chriſtiani. 699.
Iſis Dea a Neapolitanis culta, hujus vocis etymon. 644.
Italiæ nomen an ſtrictiore notione aliquando accipiendum ſit. XXIV. *col.* 2. XXV. *col.* 1.
Judicium eſt duplicis notionis. 304.
Jupiter atramentarius, ejus epitheta præſertim a fulmine, quod geſtat. 370. Homerus, & Heſiodus *Jovi* ſceptrum nunquam tribuerunt, contra ac factitarunt eorum poſteri. *ib.* & 371. Cur ei non adſtet aquila. *ib.* De *Jovis* Olympii ſceptro. 378. 379.
Jureconſulti cur teſtamenta, & ſyngraphas *tabularum* nomine, licet chartis illita appellarint. 110. eiſdem chartæ negotium antiquiſſimum. 117.
Juſſum, *jubere*, & *imperare* ſunt voces ſolemnes medentum pro *recepto*, & *recipere*. 134. vide προσκαγμα· earum vocum exempla bene multa. 139. 140.
Juſtini locus affectiſſimus ſanatur. 62.
Juvenalis verba de lignea ſcriptione affectiſſima ſanantur, & longiuſculo commentario illuſtrantur. 117. & ſeqq.

K

Kalendarium marmoreum Neapolitanum: in eo multa Græcitatis veſtigia. 533.
Kalendarium Trimalchionis, quod deſcribit Petronius, illuſtratur, in quo ſepteni planetæ depicti. 706. & ſeqq. Interpretes univerſi nihil de eo divinarunt. *ib.*

L

Lampadicus curſus an Neap. celebratus ſit. 416.
Lanfranci eximii pictoris *tabulæ*, ubi Evangeliſtæ cum libris quadrangulis, & teretibus. 268.
Lapides electi, materia vaſculorum unguenti. p. 4.
Lapis, & *petra* longe diſtant. 220.
Latinos in arborum corticibus, vel foliis ſcriptitaſſe inter fabelias amandandum. 81. neque officiunt vocabula *codex*, *tabulæ*, *ligna*, *codicilli*, &c. *ib.* *Pueri Latini*, ac *puellæ*, quo ad ſcribendum inſtituerentur, tabellis ceratis utebantur, ejus rei exempla a p. 83. ad 93. *Latini* quo nomine appellarint eleganti ævo atramentarium, vide *Atramentarium*. Hujus vaſculi barbara nomina *Latialia*. 204. & ſeqq. Apud eoſdem liquorum vaſa nunquam cadunt in *arium*. *ib.* Græcos quavis in re imitati. 258. *Latini* ad civitates Græcanicas ſcribentes Latiari lingua utebantur. 448. Neapoli quamvis urbe Græca conſulum nominibus annos ſignabant. 643.
Lecythus, cujus generis vas; Græculi unde etymon traxerint: vox Phalegica. 14. *lecythizare* quid. *ib.*
Leges bene multæ illuſtrantur pro teſtamentorum, &c. ſcriptione in chartis, non vero in ceratis tabellis. 111. & ſeqq. *Lex*, quæ contra quadrangulam Latinorum librorum figuram objicitur. 254. & ſeqq. vide *Pandectæ*, & *Codex*.
Leges tabellariæ. 104. *Legis Juliæ* mentio in Cic. aſſura. 455.
Liber, de hujus vocis notione, & etymo quamplurimæ ſententiæ. 82. eſt βίβλος Latina ex primigeniis. *ib.* educi etiam poſſet ab Hebræo fonte. 271.
Librarius doctor, vide *Doctor*.
Librorum forma apud Hebræos, Græcos, & Latinos quadrata. 226. & ſeqq. *Liber*, quem vidit Zach. erat quadrangulus; & cujus meminere Machab. 228. & reliqui, de queis ſermo eſt in vet. & nov. Teſt. ejuſdem figuræ. 230. & ſeqq. *Scriptus intus*, *& foris* quid. 231. Hebræorum biblia cylindrica poſterioribus ſæculis invecta. 232. *Libri* nunquam meminit Hom. 233. *Libri quadrati* ante Trojæ excidium adhibiti. *ib.* Vox ἄλυμα nil officit *quadrangulis libris*. 234. *Libri* apud Latinos cujuſnam formæ, quadratæ, an cylindricæ. 239. & ſeqq. Anaglyptum ludimagiſtri cum *libro quadrangulo*. 87. 241. & Muſæ. 241. Omnia *librorum ornamenta* externa, & interna enumerantur, & ad unam quadrangulam eorum figuram pertinent. 243. & ſeqq. deſecabantur ad rectos angulos. 246. 247. In capita diviſi. *ib.* *Liber craſſus*, *macer*, *brevis*, *ſpiſſus*, *denſus*. 248. Erat & in *libris ruſticitas*. *ib.* Qui *libros* compingebant, erant Græci, *doctoreſque librarii* dicti. 250. Contra quadrangulam *librorum* Latinorum figuram objecta diluuntur, præſertim leges. 253. & ſeqq. vid. *Volumen*. Livii & Maronis *volumina* in Martiale erant quadrangula. 278. 279. *Libri barbati* in eodem vate qui. 280. *Liber explicitus* & *revolutus* quid. 282. *Libri duplices*, *triplices*, *quincuplices*. 283.
Ligneas Homeri ævo fuiſſe *domos*, uti ter adſtruit Mazochius, pernegatur, contrariis prolatis bene multis ex hoc vate exemplis. 218. 219.
Lignum pro ſcriptura figurate dictum. 110. Ea vox male pro *ſignum*, Salmaſius fruſtra reponit *linum*. 119. Cujacius etiam in Ovid. confingit ἀποστομούτως *ligneis* pro *ceris*. *ib.*
Ligorii (*Pyrrhi*) fides ſubleſtiſſima traducitur. 432. 433. 434. ejus αὐτόγραφον exſtat in Regis noſtri biblioth. 434.
Lino qua ætate teſtamenti tabulas ligari cœptum. 119.
Liquorum vaſcula nunquam in *arium* cadunt. 204. 205.

Liter-

Digitized by Google

Litternum vox Phalegica, denotatque *ad gallinas*. 678.
Litteræ non a לוץ, sed revera a *lino*. 165. Proprium *litterarum* munus est σύρειν φωνήν. *ib.* & 166. 222.
Litteræ pocula quæ. 392.
Liturgia Jo. Chrysostomi in libro cylindrico nil antiqua. 242.
Livium quam parvi fecerit Caligula. 546.
Lora in libris quadratis. 245.
Lucernæ cum planetis dialibus illustratur. 330.
Lucernæ quas scalpturas habuerint. 700.
Luciani locus affectissimus sanatur, & illustratur. XVII. *col.*2. & XVIII. *col.*2.
Lucilius Senecæ carissimus Neapoli philosophiæ studiis vacavit. 497.
Lucullani, sive *Luculli villæ* situs. 590.
Ludimagistri elegans marmor. 87.
Lunæ atramentariæ epitheta a Græcis Scriptoribus collecta, & illustrata, præsertim χρυσόμπυξ. 364. & seqq.
Lunæ via in urbe Neap. & quare ita dicta. 623.
Lycii heroica ætate atramento scribebant. 60.
Lycophronis versus ad Neapolim spectantes longiusculo commentario illustrantur, novumque interpretamentum adjicitur, veteri posthabito vatis sententiæ adversantissimo. 675. & seqq.

M

Machonis noveni versus corruptissimi, ἀτύπτακτοι, & προτροπία laborantes sanantur. 159. & seqq. Hos versus importunissime eruditissimi viri ad Ezechielem illustrandum detorsere. *ibid.* Hujus poetæ ætas expenditur. 160. 161.
Malleatores, artifices librorum quadratorum. 245.
Manceps, & *mancipium*: harum vocum vera notio. 180.
Marciani J. C. lex affectissima sanatur. 121.
Marcus, Aretusiorum Episc. cur stilis a pueris confossus. 89.
Marmor Græce scalptum Card. Passionei longiori commentario illustratur. 207. & seqq.
Marmoreus pollex pro *albo* in Ovid. 24.
Pag. 636. Ob fortunæ noſtræ Neapolitanorum abundantiam repertus eſt lapis fratriæ Cynæorum, quem multa de nocte quidam de tam egregio patriæ momento ſceleſtiſſime meriti furtim vendidere: ſibique impendio liberali redemit Joannes Caraſa Nojæ Dux, cui ob ſingulare hoc pignus, atque exoptatiſſimum cives, & municipes gratulantur libentes merito.

Pag. 679. Legere eſt ſepulcrum, quod ſupra Mergillinæ collem inviſitur, me Virgilio vati eripuiſſe, & libentius tribuiſſe Parthenopæ: accidit autem, ut poſt editum hoc thecæ Calamariæ opus collem cum cariſſimis amicorum adirem, reperi fuiſſe columbarium alicujus proſapiæ: etenim circa quatuor illos ruſticitatis plenos parietes exſtant adhuc plus minus viginti ollaria, in quibus ſervari cineres novimus; quare neque unius viri, neque unius Sirenis dicas conditorium: & mirum eſt tot noſtrates exteroſque ſcriptores id minime advertiſſe, ut me etiam traherent in errorem, quamvis ſim ἀυτόχθων, at ſero ſatis fuiſſe ἀυτόπτην nunc piget,

pœ-

Digitized by Google

pœnitetque. Si quis optet ejus ſepulcri elegantius præ ceteris exemplar externum, internumque ſuis cum loculis, Neapoli degens ſibi accuravit magnus D'Orvillius: inde ei in eruditione compar Petrus Burmannus præfationi operis immortalis *Sicula* inſcripti appoſuit. Quando nam nos pudeat longiſſime gentium viros noſtris vetuſtatis monumentis edendis ſibi laudem honoremque depeculari?

Pag. 723. & ſeqq. Multum lucis allatum a me eſt Homericæ voci τέρ@, atque aliquantulo liberius adſerui ſolitariam reperiri in una Iliade, atque ἅπαξ λεγομένην· at licet rariſſima ſit, piget me ipſam non inviſiſſe in Callim. hymn. in Delum v. 175. ἰσάριθμοι (Τιτῆνες) Τείρεσιν, ἠνίκα πλεῖσται κατ' ἠέρα βόσκολίονται, *numero pares* (*Titanes*) *ſtellis*, *cum plurimæ per cælum paſcuntur*. Mirabitur, mecum quiſque Callimachum poetam cultiſſimum in notione τείρε@ ab Homero fuiſſe degenerem, qui Homerus ad unos planetas ea utitur voce, Callimachus ad ſtellas univerſas denotandas intorquet. Conqueror etiam de Arato, qui v. 604. etiam ab Homerica veritate deflexit, cum nobis confinxit cæli epitheton πολυτειρής, neque curandus Onomacritus, qui in hymn. in Natur. 6. ingeſſit πιλύτειρ@. Optabam ſelectiſſima quæque a Spanhemio in ſuis obſervat. ea de ῥήσει, ſed tacitam omnino compreſſamque reliquit.

Pag. 733. Non pauca dicta ſunt de apum favis; at oblitus ſum verſum 99. Philæ *de animal. propriet. tit. de apib. inertib.* σχήμασιν, ἢ λημμασιν ὀρθογωνίοις, ſi ſcripſiſſet apes compingere favos ὀρδογωνίους, *rectangulos*, ſane erraſſet Phile; etenim figura ſexangula *obtuſos* præ ſe fert angulos; quare etiam ἐπροσδιόνυσος eſt iſthæc adnotatio Cornelii Pawii: *Erunt, quibus* ἰσογωνίοις *pro* ὀρδογωνίοις, *placebit: ſed nullus ego dubito, quin iſta pro ſyronymis hic habuerit auctor; 'rectangula ſcilicet æquiangula ſunt certo reſpectu:* hinc quovis pretio immutarem ἑξαγωνίοις, *ſexagonis*, uti re vera ſunt favi.

Pag. xxxiii. Perbrevem commentarium appoſitum vides in Herculanei grandem picturam, in qua & atramentarii octogoni figura efficta eſt: ſecutis temporibus ab effoſſionibus Pompejorum non minor altera emerſit, atque inter cetera ſcribendi organa, ſcilicet papyrum convolutam, cum ſcriptionis ſignis, pugillar, cujus quaternæ, aut quinæ ligneæ plagulæ, aut eboreæ affabre expreſſæ, & tabellam quandam fortaſſe earum unam, quæ cera oblinebantur, notis quibuſdam inciſis inſignem, cernere eſt thecam calamariam rotundam flavi coloris, quo pictor aurichalcum exhiberet tribus parvis projecturis in ſumma, media, imaque parte cinctam, atque exornatam: in ejus arctum os immiſſi ſunt bini calami, unus præ altero brevior, magnitudo vaſculi æqua eſt huic noſtro octangulo. Verum emittat e viſceribus tot monumentorum vim ingentem fœcundiſſima tellus non ſine ſociis atramentariis thecis vel depictis, vel metallicis, quorum jam dives eſt cimeliarchium ad Regis noſtri famam fortunamque, difficillimum dicas fore, ut aliud σκευάριον paris elegantiæ huic noſtro proferat, quod regio imperio binis voluminibus honeſtatum a me eſt.

Pag. xxxix. Me commoſtraſſe vides contra Mazochium Auguſtos, & præſertim Septimium Severum ſine ſenatus arbitratu ſtatuas tranſtuliſſe; ceteris auctoritatibus jam allatis addenda iſthæc Spartiani de eodem Severo ajentis num. 26. pag. 924. *Statuas ſummorum virorum in foro Trajani collocavit undique tranſlatas.*

Digitized by Google

ΔΙΚΑΙΟΛΟΓΙΑ

Contractiſſima, ac liberalis in actionem ſexcentorum puerilium errorum, quam in me de hoc Atramentario negotio in ſuo libello irrogavit vir quidam transmontanus inoffícioſiſſimus.

Pag. 563. Locum affectiſſimum Strabonis reſtitui, quo verum Herculanei ſitum vindicarem, una litterula appoſita μακράν ἔχον, ſcilicet, pro ἄκραν ἔχον· at neſcio quis rumor per urbem incaluit quendam tranſmontanum ſcriptorem in libello perquam flaccido, & contumelioſo non ſolum in me, ſed etiam in viros in re litteraria principes, veluti alterum Timagenem, qui parſit nemini, petulanter invehi, & præter cetera, quod hanc vocem ἄκραν in μακράν immutarim, obgannitque petulantia plenus ſe Græce ad miraculum doctum nequaquam didiciſſe hunc dicendi morem μακράν ἔχειν, neque ſe uſquam reperiſſe μακράν in hac adverbii vice, atque injurioſus excandeſcit, quod exemplis id tutari non ſatis fui. Verum ipſe contumelias ad corvos amando, at patellarium, & minorum gentium Græculum dico, qui id ignorat; ſi hujus ſyntaxeos exempla poſthabuerim, noveram H. Stephanum bene multa collegiſſe, & turpe mihi ſemper viſum expilare lexica: ex mea autem penu, niſi e re puerili fuiſſet, recitaſſem ab Æſchylo in Supplic. v. 932. Κλάεις δ' μαλ' ἐς μακράν, ab Ariſtoph. in Veſp. v. 107. ἁμῶν τὴν μακράν, ab Eurip. in Phœniſ. v. 913. Οὐδ' ἐ μακράν ἔπεσι, ab Anthолog. lib. 2. cap. 13. epig. ult. αὐτὸς ἐ μακράν φαίνεται· atque etiam ab ſcriptoribus Eccleſiaſticis, uti eſt auctor Anonymus de Paſchate, quem Græce edidit Petavius pag. 214. Uranolog. Οὐ μακράν τῶν Ἀποστολικῶν γενόμενος. Atque etiam in re geographica ſcholiaſtes Sophoclis in Ajace v. 215. ait, Μακράν γὰρ Φρυγίας Σαλαμῖνος. Addere potis fuiſſem iſthæc præterea exempla ab Ariſtoph. in Veſp. v. 451. Ἡμῖν δώσειν ἀκλὴν δίκην ὄχετ' ἐς μακράν. In Ran. 437. Μηδὲν μακράν ἀπέλθῃς. In Avib. Κᾆτ' ἐ μακράν ἄπωθεν, ἀλλ' ἐπαῦθά πε ἦδη ἐστίν. Idipſum teneo ab hiſtoricis caſtiſſime ſcribentibus, uti eſt Dio Caſſius lib. 46. num. 3. pag. 453. edit. Reimari: Μακράν χαίρειν τῷ τε υἱῷ, καὶ ταῖς Ἀθήναις ἐπανῆλθε, loquitur de Tullio, & id genus ὅσα κόνις, idque pueri ſcire debent, imo & pueraſtri. Ceterum, niſi τὸ μακράν reficias in Strabone, is de Herculanei ſitu falſiſſimus audiet.

Ut autem naſutulis quibuſque grammaticaſtris os omnino obſtruatur, ac doceantur tandem, (licet jactitent ſe Græce ſapere ad prodigium) me jure ſummo μακράν ἔχον ſcripſiſſe: proſtat in Ariſtophane in Nubib. v. 211. locus, in quo ſermo eſt de Eubœa, quæ utpote in grandem longitudinem extenditur, ac protrahitur (uti noſtrum Herculaneum) eadem dicendi ratione utitur comicus, quam ego videre viſus ſum in geographo:

. . . . . Ἡ δ' Εὔβοι', ὡς ὁρᾷς,
Ἥδ', παρατέταται μακρὰ πόρρω πάνυ.
. . . . *Hæc Eubœa eſt, ut vides,*
Ea admodum eſt diſtracta in longitudinem.

At licet editiones exhibeant μακρά, non autem μακράν, cum tot exempla, maxime ab ipſo Ariſtophane, ſelegerim, quiſque haud precario reficiet, παρατέταται μακράν πόρρω πάνυ, eo magis, quod ſcholiaſtes hanc ſyntaxin hic adhibeat, παρατέταται τὸ ἐπίμηκες, fortaſſe ævo ſuo μακράν in comico legere erat: etiam eruditiſſimi quique dant Latine *in longitudinem*: vide, quæ hunc in verſum Ariſtophanis ſummus vir Spanhemius in hymn.

in

Digitized by Google

in Delum Callim. verſ. 20. adnotavit, vertitque etiam, *in longitudinem*. Demum fateor me conjecturam hoc de Strabonis loco dediſſe: at doceatur tandem tranſmontanus, quæ magnus Perizonius edicit de affectiſſimis Æliani verbis pag. 441. queis ab eruditiſſimis viris varium medelæ genus appoſitum: *Conjectura hæc eſt, ſed commodi ſenſus, & conjecturis agi oportet, ubi MSti conſpirant, uti hic faciunt, in manifeſtum errorem.*

Pag. 373. Grande pudoris pretium duxi in eleganti Veneris Deæ carmine pateſacere verbum *cœnare* ſumi in notione δοιλγεῖ, atque turpi, uti κοινωνεῖν· uſuſque ſum verbis modeſtiæ plenis, neque exempla corrogavi a Martiale præſertim, qui ſæpe latenter ludit, optatque in *cœna* pulchram puellam, & joculariter τῷ *cacaturire*, & *cœnaturire*, ac id genus fœdis ambiguiſque argutiis abutitur: tranſmontanus ille ſcriptor, caſtus Muſarum ſacerdos, mihi infeſtiſſimus inſperſit chartis ſuis ſe omnem Martialem (quod ei optime vertat) lectitaſſe, at eo in poeta haſce malitioſas urbanitates minime deprehendiſſe. Mihi affatim fuit afferre Suetonii locum, *cœnat adulteria*, cui videtur occinere Plinius in panegyr. in Trajan. cap. 49. num. 8. *Neque enim aut peregrinæ ſuperſtitionis miniſteria, aut obſcœna petulantiæ menſis principis oberrat, ſed benigna invitatio*: quorum verborum bene multa interpretamenta in adnotationibus cernere eſt, ſed fortaſſe ἀπροσδιόνυσα.

Pag. xxxvi. Parvam διατριβήν appoſui, ut egregium Sæmilani Campaniæ conſularis lapidem nova luce donarem, cumque in eo mentio ſit *thermarum Severianarum*, conſulto interpretatus ſum illum loqui de iis, quas Septimius Severus Aug. exſtruxerat, uti me docuit Spartianus num. 19. pag. 630. *Opera publica præcipua ejus exſtant Septizonium, & thermæ Severianæ*. Verum iſte vir tranſmontanus, nomini ejus parcendum reor, licet ipſe quavis fere operæ ſuæ pagina non parſerit meo (neſcio quæ Errinnyes ad id adegerunt) illevit chartulis ſuis me grande peccatum peccaſſe, cum provocarim ad Spartianum, Septimii Severi biographum, quando recitare neceſſum erat Lampridium vitæ Alex. Severi auctorem. At quis non ad ſtuporem demirabitur impetiginoſum hunc criticaſtrum ignoraſſe utrumque Auguſtum thermas exſtruxiſſe, attamen illas Septimii, dictas *Severianas*, at quas excitarat Alexander, *Alexandrinas*? ita aperte teſtatur Lampridius num. 25. pag. 921. *Nova multa* (*Alex. Severus*) *conſtituit, in his thermas nominis ſui, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur*: atque Caſaubonus hanc apponit adnotationem, *Thermas nominis Alexandrinas: vide Urbis deſcriptiones in regione nova*. Cum igitur in Sæmilani marmone ſcriptum ſit *Severianas*, non vero *Alexandrinas thermas*, merito ad Septimium Aug. non ad Alexandrum marmor referendum, vade Spartiano, duxi. Toleranda ſane, licet me mordeat, iſtius audacia cum ſumma mihi, aliiſque maledicendi rabie, atque ὑπερηφανίᾳ conjuncta; at alii, non ego, hanc hominis lepram curent ſtrigile, non bonorum verborum collyriis.

Minime ipſe denegem exſtare pagina xxxviii. col. 2. v. 34. *Alex. Severi* pro *Sept. Severi*, attamen vir tranſmontanus tria ſilentio preſſit dolo malo, qui legibus eſſet vindicandus, primum me in meorum indice errorum refeciſſe *Alex. Severi*: præterea circa medium epiſtolæ, qua opus hoc atramentarium Regi offero, ſcriptum eſt propalam, *Septimium Severum æmulatus*, *&c.* tertium, cum ipſe initio pag. xxxvii. col. 2. v. 4. adnotarim, *Severi thermas vix meminit Spartianus*, ſane quiſque ratum volet me

Digitized by Google

locutum de Septimio, non vero de Alexandro, cum ex verbis paullo ſuperne allatis evidentiſſime patefit Spartianum pauca de Septimii thermis enarraſſe, at plura Lampridium de iis, quæ *Alexandrinæ* audiebant. Demum in extrema pag. XXXVIII. col. 2. iſthæc verba ſcripta a me ſunt, *Spartiani hiſt. Aug.* IO. IO. I. *pag.* 612. *de Sept. Severo*, non autem, *Alex. Severo*, atque ubique ejus diatribæ me ſemper Spartiani, nunquam vero Lampridii commeminiſſe vides. Id genus erratiunculas, quarum indicem fraudulentus poſthabuit, in ſilvam, vel in chaos libelli ſui converrit novus iſte Ariſtarchus, quas expromere grandi vitio vertendi, turbaſque ciendi gratia audaculi, ſimul minuti, & miſerrimi ingenii negotium eſt. Poſthabenda reor quot hic verboſiſſimus tranſmontanus hoſpes, & peregrinus contra me converrit de teretibus libris Herculanei repertis; quæ ipſe de iis ſcripſi, omnia ſubdole perſtringit, & ſcurriliter; meliora negligit, mendacia quæque oggerit, documenta, rationeſque meas, vel mancas profert, vel infringit furunculi nocturni inſtar, qui timore percitus ſtamnea convaſat, quamvis proſtent per ædes domus aurea, & argentea. Quæ de eiſdem papyris ipſe docet, vel in meo leguntur libro, vel quæ protrita jam ſunt, vel impudentiſſima latrocinia; utinam quis, ut deteſtetur hanc tam pravi animi loliginem, parum laboris ſuſcipiat, conferatque per minimum horæ ſpatium, quæ non contemnenda ipſe de Herculanei codicibus commentatus ſum cum iis, quæ hic longe gentium alienigena corraſit (ſi modo in ſuas manus devenerit ejus libelli farrago) ſane detrudet continuo ipſum ad Ceritas, & capite cenſos, cum eundem deprehendat ornatiſſimum eruditionis omnigenæ paupertate, egeſtate, mendicitate. Interea temporis hac parva ſtrena fruatur hic tranſmontanus. His a me iratiſſimo animadverſis, quoniam tranſmontanus homo doctiſſimos quoſque arrodit, & lancinat: gaudendum tamen eſt, quod hos inter me intueor primas agere, quibuſcum minime comparandus ſum, quiſnam me componat cum Comite de Caylus, viro undequaque doctiſſimo?

Opraſſem ab iſta Æſopica vulpecula, qui faſtidioſo deſpicatui habet eas eruditionis opes, quæis ipſe, uti rana plumis, deſertiſſimus eſt, neque ingenioli ſui, licet vafri, ac veteratorii vires aſſequi ſatis ſunt, ut privum illud argumentum elevaſſet, quo nobis Junonem, non nubem daret, quod a me ſexcentis auctorum dictis ſtatutum eſt Græcis, Latiniſque in longa ἱ*ργίσα* pag. XXIX. libros Herculanenſes convolutos, propterea quod ſunt ſubſcripti, non vero inſcripti, ad fori res pertinuiſſe, & publica auctoritate exaratos: nec ſolummodo libellum ſuum turpiſſimis maledictis inferſiſſet, nec calumniis; hinc ab lectore mihi venia ſit, ſi adjiciam alias non paucas veterum Scriptorum auctoritates, & recentium vota, ut quodvis negotium ſcriptum, ſi ſubſcriptum ſit, fuiſſe non privatæ, ſed publicæ fidei, ac ponderis etiam atque etiam firmem, quo fortaſſe os hominis decocti pudoris obſtruatur. Lampridius de Severo Aug. num. 31. p. 933. inquit: *Poſt meridianas horas ſubſcriptioni, & lectioni epiſtolarum ſemper dedit operam, ita ab epiſtolis, & libellis, & a memoria ſemper aſſiſterent*, ſelectiſſimæ eruditionis adnotationem attexuit Salmaſius, qua abunde conſtat has Severi epiſtolas ad regimen imperii ſubſcriptas, in ſcrinioque ſervatas. Vopiſcus de Tacito Imper. num. 8. pag. 606. *Habet bibliotheca Ulpia in armario ſexto librum elephantinum, in quo hoc S. C. perſcriptum eſt, cui Tacitus manu ſua ſubſcripſit*: advertas rogo apertum diſcrimen inter *perſcribere*, & *ſub-*

subscribere. Etiam tyrones in jure citissime docentur edicere Justinianum in Institut. lib. 3. tit. 24. venditionis, & emptionis instrumenta (καταγραφάς) non perfici, nisi sint a contrahentibus *subscripta*. Idipsum habes a publicis Episcoporum libellis, uti adnotavit eruditiss. Mazochius de cultu Sanct. Ep. Neap. pag. 270. *De Clericorum notariorum officiis nihil illis addam, quæ de iis notavi in Comm. ad XXIX. Mart. pag.* 129. *adnot.*75. *hi Græcis vocantur* ὑπογραφεῖς, *aut* ὑπογραμματεῖς, subscriptores, *eo quod epistolis Ecclesiasticis, aliisque id genus monumentis nomen suum subscriberent, eoque modo exemplis a se subscriptis* αὐθεντίαν, *ac robur impertirent, &c.*

E contrario, quod a publica regendorum civium utilitate, atque a forensibus negotiis alienum erat cujuscunque generis volumen, auctoris nomen inscriptum præferebat, præter documenta a me jam allata, ut brevis sim, verba Scholiastæ Thucydidis solummodo adscribam, qui aperte adnotat moris fuisse scriptores initio, κατ' ἀρχάς, operum nomen suum appingere, rationemque etiam nos docet pag. 1. Πάντως μίμνηται τῶ οἰκείω ὀνόματος κατ' ἀρχὰς ἀνταδικασκέλλων ἑαυτὸν τῶν ὁμωνύμων ἐν τοῖς ἔπεσιν, ἅμα μὲν τῆς αὐτῆς αἰτίας ἕνεκεν, ἅμα δὲ καὶ τῶ μὴ ἕτερόν τινα τῶ αὐτῶ σφετερίσασθαι σύνταγμα, quod ita vertendum: *Jure mentionem facit* (*Thucydides*) *sui nominis ab initio, quo se ipse distingueret ab iis, qui erant ea ætate cognomines, & simul ob hanc rationem, simulque ne quis plagiarius opus sibi adscriberet.* Hinc merito magnus Heinsius in lection. Theocr. pag. 69. edit. Oxoniæ, cujus auctoritas plurimi æstimanda, edicit: *Antiqui in omnibus monumentis, & scriptis a nomine suo inchoabant, quod in sacris fere omnibus, profanis autem Herodoto, & Thucydide videmus: sic Herodotus,* Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἱστορίας ἀπόδειξις ἥδε. Quod & imitatus est Horodoti simia, auctor Homeri vitæ, cujus initium etiam est, Ἡρόδοτος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς περὶ Ὁμήρου γενέσιος, κ. τ. λ. Neque hic adulterinus scriptor isthæc eadem verba in Homericæ vitæ fine appingit, quod etiam finxisset, si magnus Herodotus nomen etiam suum extremis Musis subscripsisset, uti mentitus est unus Dionysius Alicarn. aitque, Τὸ γὰρ αὐτῶ προοίμιόν τε, καὶ ἀρχὴ, καὶ πέλος τῆς ἱστορίας (Ἡροδότου) cum omnia hujus principis historici exemplaria etiam veterrima in fine hoc procœmio careant, hinc Dionysii fidem subtestissimam dicas. Ceterum vide, quæ multa hac de Herodoti subscriptione adnotavit Gronovius in extrema pag. observationum in Herod. Possem præterea alia pro librorum inscriptorum, & codicum subscriptorum discrimine exempla inferre, sed piget in re sat nota cujuscunque vel patientissimi iram provocare. Ceterum criticaster transmontanus, si guttam ingenui sanguinis habuisset, constans discrimen τῶ *inscribere*, atque τῶ *subscribere* tot exemplis fultum falsum ostendere debuisset, non vero rem gerere calumniis, & convitiis; præsertim cum ipse sententiam meam ratam voluerim ex eo etiam, quod Herculanei codices invisuntur teretes, quæ unam librorum formam privis publicis libellis aptatam multis ostenderam, reliquis vero quadrangulam: at transmontanus veterator, omnia hæc rationum momenta fraudulentus omisit, quo incautos fascinaret: proferat ipse vel unum saltem argumentum, cur codices illi circumvoluti sint, & simul subscripti, si jam totius antiquitatis, atque eruditionis μονοπωλίαν sibi vindicavit? Ulteriora, in quibus mihi impudenter allatrat, non cogito, procacitatis suæ jam luit pœnas, vide adnotatiunculam in extrema pagella sui libelli in

Gal-

Digitized by Google

Gallicam linguam converſi: neque errorum portenta, queis horret idem libellus patefacienda curo, nam hæc δικαιολογία in grande volumen increſceret, meque averteret a ſtudiis elegantioribus.

Advertas pag. XCIII. *col.*2. *v.* 34. in antica pateræ facie *immutandum* in ſubjecta pateræ parte: *e contrario ibid. v.* 47. in poſtica pateræ parte *reficiendum* in ſuperna pateræ facie.

Digitized by Google

Digitized by Google

VETUS ATRAMENTARIUM EX AERE

A Ginglymus seu uncinus cum injecto clavulo

B Foramen cui pessulus immittitur


C Pessulus exiguus, quo mobile operculum firmatur

D Manubriolum pessuli desuper exertum.


Atramentarij ambitus revolutus cum argenteis imagunculis.




Totius Atramentarij schema clauso minori operimento ad archetypi magnitudinem



Pars inferna torno ducta



Aspectus interior rotundus ad imumusque



Pars superna recluso operculo cum vite aurea

Pars interna inelegantior majoris operimenti haud mobilis

Anton. Baldi delin. et incid. Neap. curante Jacobo Martorellio regio Gr. L. Prof.

Digitized by Google

DE REGIA THECA
CALAMARIA
LIBER PRIMUS

DE ANTIQUIS SCRIBENDI INSTRUMENTIS, QUORUM PRINCEPS SEMPER THECA CALAMARIA, SIVE ATRAMENTARIUM, ET ATRAMENTUM, APUD HEBRÆOS, GRÆCOS, AC ROMANOS.

ATRAMENTARII vaſculi negotium antehac omnibus ἀρχαιολόγοις intentatum adeo mihi jacens atque anguſtum videbatur, ut ad abſtergendam illius obſcuritatem aggredi ſerus, ac pæne invitus animi mentem induxerim; probe enim noveram in re admodum tenui, ne tenuem quidem gloriam adſecuturum. Verum cum etiam in ſcribendo τὸ πρέπον ſectari, & quod valeant humeri pondus ſubire oporteat, ratus ſum tandem illud mihi, qui neque ingenio, neque exercitatione maximarum rerum valeo, nec importunum, nec grave. Id unum ſpondeo, ſi a me nec præclara ſatis, aut quæſitiſſima exſpectanda ſint, quæ ex veterum monumentis, ac trium principum linguarum ſcriptoribus corraſi, omnia ſuis accommodata locis daturum, quo ne ſaltem opus perturbatione laboret: ſcio legentem fore ut minime pœniteat, ſi in ſuſcepto labore in ordine & momento peccatum non ſit.

Regia hæc theca calamaria unde vicinarum gentium Neapolim, & qua fortuna advecta ſit, in προλεγομένοις dictum a me eſt, quæ perlegas te rogatum vellem, ut de ea quid ſummi viri etiam ſenſerint, vel ſcripſerint, antequam noſtra evolvas, veluti in antecœnium habeas.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Regium hoc vaſculum fuiſse unguenti receptaculum bene multis refellitur.

I. *Regii atramentarii ſchema, & deſcriptio.* II. *Eſt revera atramentarium, non autem unguentarium vaſculum.* III. *Unguenta nunquam ſervata in vaſculis æneis, ſed vel in lapideis, vel in vitreis, vel in aureis. Quid ſit ὄνυξ.* IV. *Athenæi locus omnium depravatiſſimus reſtituitur, cui medelam Henr. Stephanus, & Caſaubonus, &c. non fecerunt.* V. *Clauſa unguenta in alabaſtris, etiam Chriſtiano more.* VI. *Ἀλάβαστρος ſuam faciunt ῥῆσιν Græculi: genuinum atque ἄμεσον etymon Phaleſgicum: male Clericus ex voce Arabica extorquet.* VII. *Exempla vaſculorum unguentariorum e vitro. Plauto lux.* VIII. *Vox λίπαρος Homero adeo ſollemnis, ſed tenebricoſa nunc primum illuſtratur: inficete hujus vatis interpretes ajunt peræque eſſe, ac λευκός.* IX. *Quid apud Hom. & Heſiod. ἀμβροσία, & νέκταρ, unguenta melius, quam potiones.* X. *Ambarum vocum Hebræa etyma ab re unguentaria. Nonni verſus reſtituitur.* XI. *Homeri filiorum tam Græcorum, quam Latinorum error ἀμβροσίαν cibum eſſe ajentium. Verſus ab Heſiodo expungitur. Jo. Clericus refellitur.* XII. *Pro vera notione τῆς ἀμβροσίας elegans Anthologiæ epigramma: & ſatis opportunus Galeni locus.* XIII. *Voces μύρον, & μύρα cur non Homericæ.* XIV. *Quid apud Hom. λιπαραὶ θέμιστες, multa lux his vocibus a Latinis ſcriptoribus.* XV. *Quid apud Heſiod. λίπαροι χόροι, res antehac ignota: & quid θάλαμος apud Homerum.* XVI. *Ab Herculanenſibus ruderibus eruta vaſa unguentaria e vitro, & marmore.* XVII. *Quid ἀλάβαστρος apud Epiphan.* XVIII. *Exempla vaſculorum unguenti ex auro, etiam ab Hom.* XIX. *Quid lecythus apud hunc vatem: ejus vocis etymon Græculorum: verum etymon Phœnicium. Raro τὰ μύρα coercita in argento. Iſidorus refellitur.* XX. *Unguentarii σκευαρίου figura apud Muratorium.*

I. CURATUM omni ope a me eſt, ut hoc regium cimelium in æs incideretur ab noſtrate artifice graphices arte cum primis ſubacto, ita ut uno intuitu & vas omne, & in ſuas majores partes veluti diſciſſum propria epigraphe ornatas inſpectari poſſit, omniſque ejus elegantia atque κομψότης ſe proderet. Quare nihil mihi reliquum eſt, quam ut pauca adnotem, quæ ab artifice potuiſſe exprimi, diu mihi deſperatum eſt. Itaque omne atramentarium (hanc vocem ne mihi invideas) ex ære conflatum eſt, atque octogonæ pyramidis inverſæ partem belle refert: majus operculum initio fuſo argento ejus ori adglutinatum, vel tempeſtatis ſpatio, vel hominum injuria diſtractum mihi obtulere. Partem internam rotundam faber ærarius induxit, ne atramentum craſſius angulis adhæreſcens ſe occuleret, atque ablutioni obſiſteret (ne minima quidem poſthabuere veteres) ſicuti pars inferna exterior facili torno ducta in medio introrſum aliquantulum cedit, ut extimum labellum firmius ſolo aſſideat. Peſſulus, & ginglymus adjecti ſunt ex cupro, utpote quod ære mollius metallum, & frangendo non tam obnoxium. Minus operculum mobile tam exa-

Digitized by Google

exacte majori aptatur & quadrat, ut si forte vasculum inverti accidisset, liquor per nullas prorsus rimulas foras obreperet. Durior artificis labor se prodit in septenis icunculis æri imprimendis: & sane prius ferro in unaquaque atramentarii facie tenues surculos duxit, & bonam partem introrsum æs complanando leviter, rudes imagines veluti inumbravit, inde iis partibus, quas inciderat, argentea filamenta, atque admodum tenues lamellas nihil eminentes applicuit; qua autem arte, & glutino firmarit, in extrema hujus operis parte a me accipies. Mox seriem omnium musculorum, capillos, faces ambas, ceteraque Deorum symbola acutissimi cæli aciem circumducendo concinne effinxit, & imagunculas perfecit.

Itaque sic exprimi ab Neapolitano artifice schema nostrum curavimus, ut quod in charta candorem præsefert, id omne argenteum tibi sit. Cum autem sceptra Deorum, flagellum Auroræ, Jovis fulmina, Martis hasta, herbulæ illæ, decussatæque lineolæ sub eorum pedibus ad ingenium incisæ exiles admodum sint, licet argenteæ, albore eas donare haud valuit sculptor: arduum sane fuit, imo ἀδύνατον exacte tenuia omnia filamenta ex argento in charta fingere, quæ in æreos surculos immissa vestes Deorum, Martis thoracem, clypeum, & cassida intuentibus vasculum exhibent; ut taceam tam sexcentas lineolas illas, quæ Veneris peplum exornant, quam flosculos, qui Auroræ vestem exhilarant.

Demum operimentum majus, eo quod patentius, principe metallo honestavit faber atramentarius; ideoque vitem auream cum capreolis, pampinis, racemisque inter duos circulos argenteos curatissime elaboratos, scilicet σκωληκώδεις duarum coronidum instar concluſam apponendam excogitavit: & ita vasculum

Argento partim, partim cælaverat auro,

quod cecinit de Nilei clypeo Ovid. Metam. lib. 5. v. 157. Hæc satis de haud æqua elegantissimi, & χρυσᾶ χρυσοτέρα organi descriptione, quod longe melius in charta emicat, suoque atramento se luculentius depinxit.

Fuisse hoc organum atramenti receptaculum (quod Græci appellitabant μελανοδοχεῖον, & Latini *thecam calamariam*, de qua voce dicam inferne) si quis neget, aut dubius sit, eum sane iratis musis natum dicam, & ingratiis sanctæ antiquitatis vivere, atque ut satis diu ita vivat imprecor.

II. Porro regium hoc σκευάριον ob grandem elegantiam quidam in hac florentissima litteratorum republica, quidam longe gentium vel ad oblectamentum, vel ob cimelia antiqua dignoscendi insciticm non thecam calamariam, sed unguenti vas esse ad ravim usque inclamarunt; pretium laboris mei postulat, ut antequam bene multis, quas corrogavi, auctoritatibus, & Græcis cum primis monumentis firmem esse atramentarium, διὰ βραχέων comprobem non esse unguenti vasculum: & piget in re certa rataque oleum perdere; ceterum etiam minus doctis, & refractariis aliquando indulgendum, & faciendum est satis: reorque ἐμεθοδικώτερον objectis in principio præsto esse, quo deinde oratio liberior & promptior

Digitized by Google

ptior pro atramentarii tutela & ope ſpatietur.

III. Quoniam nullus dum veſtigare ſtuduerit, vel cogitarit in cujuſnam materiei vaſculis ſervarint veteres unguenta, ne ipſe quidem vir doctiſſimus Fortunatus Scacchus in admirandæ eruditionis opere : *Eleochriſmatων myrothecium*, cujus id veſtigare maxime intererat, ut taceam Lazarum Bayfium in *Tract. de vaſculis*, Petrum Servium *De odoribus*, & Uinum *Adpend. triclin.* mihi accurandum fuit, ut id præſtarem, collectis undequaque ex Latinis Græciſque ſcriptoribus exemplis ; ex quibus ſane quam luculenter dignoſces veteres unguenta nunquam adſervaſſe in vaſculis æneis, vel in id genus σκελαξίοις, quæ facile æruginem contraherent teſte Plin. lib. 34. cap. 9. *Et æra quidem exterſa rubiginem celerius trahunt, quam neglecta, niſi oleo perungantur*. Contra vero accluſa legas ſemper in vaſculis ex *auro ;* vel ex *electis lapidibus*, & præſertim ex alabaſtro; vel in *vitreis phialis*, in quibus nihil vitii, vel mucoris ſubire poſſunt, atque unguenti vis ac fides incorrupta diutiſſime viget. Exempla hic mixtim ſubjecta patienter ut legas, te rogatum volo. Videtur ſane auctor Etymologici, ut a vaſculis lapideis incipiam, edixiſſe nil melius, quam lapidea receptacula τὰ μύρα ſervare : Λήκυθον λιθινὴν πρὸς μύρων ἀπόθεσιν, *vaſculum lapideum ad unguenta reponenda*. Agmen ducat inter Latinos Hor. lib. 4. od. 12. v. 16. *Nardo vina merebere: Nardi parvus onyx eliciet cadum :* pueri ſciunt onychem eſſe quæſitiſſimi marmoris genus: hinc Mart. lib. 12. ep. 50. *Calcatuſque tuo ſub pede lucet onyx :* & noſter Statius Syl. lib. 1. de baln. Etruſci v. 35. *Mœret onyx, queriturque excluſus ophites :* aliquando etiam operimentum conchylii ; Dioſcorides lib. v. cap. 10. Ὄνυξ ἐστὶ πῶμα κογχυλίου · nos autem ſcriptorum teſtimonia curamus pro onyche, unguentario marmore. Satis notum epigr. 93. lib. 7. Mart. *Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat : Olfecit poſtquam Papilus, ecce garum eſt*. Catull. de com. Beren. v. 82. *Quam jucunda mihi munera libet onyx*. Propert. lib. 3. eleg. 9. v. 22. *Sit menſæ ratio, noxque inter pocula currat, Et crocino nares murrheus ungat onyx*. Et lib. 2. el. 13. v. 31. *Oſculaque in gelidis pones ſuprema tabellis, Cum dabitur Syrio munere plenus onyx*. Miratus ſum nullibi Græcorum ſcriptorum inveniſſe ὄνυξ in notione vaſis unguentarii, cum contra toties Latini eam vocem celebraſſent, & Pollucem ipſum, qui pluries unguenta, eorumque receptacula meminerit, ὄνυξ minime adnumeraſſe. Verum notum eſt non omnia a Græcis fontibus Latinos derivaſſe. Interea vides jam unguenta adſervaſſe veteres in lapide onyche.

IV. Hic autem ſcio mihi opponi poſſe ex Theſ. H. Stephani ὄνυξ non ſemper eſſe lapidem, ſed aliquando denotare quid ligneum, dicique ξύλινον ποτήριον, vide in voce ὄνυξ, laudatque Stephanus Athenæi locum. Verum cum Dipnoſophiſtas conſuluiſſem, non enim in animum inducere unquam potui, ut quid lapideum monſtroſa mutatione ligneum evaderet; neque me tanti viri auctoritas fregit ; reperi ſane adeo prave & fœde

Digitized by Google

fœdè corrupta Athenæi verba, ut neque oculis fidelibus præstarem fidem; quare danda venia mihi est, si te aliquantulum detineam, fortasse, volupe erit tibi nosse, an in affectissimorum verborum medela navus sim ac industrius. Et quod magis mirum, ignoro Græca ne an Latina vitiosiora sint; imo nec sibi respondent: apponam uti nunc illa in omnibus editionibus jacent, deinde refingam. Enumerat Athen. lib. xi. pag. 494. omne genus poculorum: Οἰνηστήρια· Οἱ μέλλοντες ἀποχείρειν τὴν σκόλλιν, φησὶ Πάμφιλος, εἰσφέρσι τῷ Ἡρακλεῖ μέγα ποτήριον πληρώσαντες οἴνου, ὃ καλοῦσιν οἰνηστήριον, καὶ ἀπειπάντες τοῖς συνελθοῦσι διδόασι πιεῖν. ΟΝΥΞ. Πάμφιλος ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι τὸ ξύλινον ποτήριον ἀποδίδωσι. ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΚΟΝ. Ποσειδώνιος ὁ φιλόσοφος ἐν ἑκτῇ καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν, ὡς ἔτω καλουμένων τινῶν ποτηρίων μέμνηται γράφων ἔτως· ἦσαν δὲ καὶ ὀνύχινοι σκύφοι, καὶ σωδέσεις τούτων μέχρι δικοτύλων, καὶ Παναθηναϊκὰ μέγιστα τὰ μὲν δίχοα, τὰ δὲ καὶ μείζονα. ΠΡΟΑΡΟΝ, ξύλινος κράτηρ, κ. τ. λ. *Oeneſteria. At tonſuri comam, inquit Pamphilus, Herculi magnum poculum vino plenum offerunt, quod* οἰνηστήριον *vocant, & poſt libationem iis, qui convenerunt, bibendum dant. Poſidonius philoſophus libro trigeſimo ſexto hiſtoriarum poculorum meminit, quæ ONYCHINA vocant, his verbis: Adfuerunt, & onychini ſcyphi acervatim congeſti ad eos uſque, duas cotylas, qui caperent, Panathenaica maxima capacia quædam duorum congiorum, & alia majora. PANATHENAICUM, ligneum poculum eſſe Pamphilus ſcribit in Atticis dictionibus. PROARON, ligneus crater eſt, &c.* Quiſquis vel perquam modice in Græcis navus dignoſcit omnia in utraque lingua nec ſententiam concludere, & ſuſque deque appoſita: ſane ξύλινον ποτήριον attributum in Græcis τῷ ΟΝΥΞ vides, in verbis vero Latialibus adſcriptum τῷ PANATHENAICUM; quare facile crimen hoc ſomnicoſis librariis importes. Curatum a me eſt, ut luxata ſuo loco reſtituantur, neque ὄνυχα, qui lapis eſt, lignum etiam fuiſſe poſthac dicas cum Stephano. Apponam verba uti alleverat Athenæus, veramque ſententiam accipies: ΟΙΝΗΣΤΗΡΙΑ, οἱ μέλλοντες ἀποχείρειν τ σκόλλην, φησὶ Πάμφιλος, εἰσφέρσι τῷ Ἡρακλεῖ μέγα ποτήριον πληρώσαντες οἴνου, ὃ καλοῦσιν οἰνηστήριον, καὶ ἀπειπάντες τοῖς συνελθοῦσι διδόασι πιεῖν. ΟΝΥΞ, Ποσειδώνιος ὁ φιλόσοφος ἐν ἑκτῇ καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν, ὡς ἔτω καλουμένων τινῶν ποτηρίων μέμνηται γράφων· ἦσαν δὲ καὶ ὀνύχινοι σκύφοι, καὶ σωδέσεις τούτων μέχρι δικοτύλων. ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΚΑ, μέγιστα τὰ μὲν δίχοα, τὰ δὲ καὶ μείζονα· Πάμφιλος ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι τὸ ξύλινον ποτήριον ἀποδίδωσι Παναθηναϊκόν. ΠΡΟΑΡΟΝ, κρατὴρ ξύλινος, κ. τ. λ. Quæ ſic transfundas: *OENESTERIA, tonſuri comam, inquit Pamphilus, Herculi dicant ingens poculum vino implentes, quod poculum vocant* οἰνηστήριον, *& libantes iis, qui convenerant, præbent bibendum. ONYX, Poſidonius philoſophus in ſexto & trigeſimo hiſtoriarum, poculorum, quæ ita appellantur, commeminit ſcribens: erant & onychini ſcyphi, eorundemque collectiones ad duarum cotylarum capacitatem. PANATHENAICA, ſunt quædam maxima, duorum congiorum*

Digitized by Google

rum cāpacia, quædam etiam majora: Pamphilus inter Atticas dictiones ligneum poculum apponit Panathenaicum. PROARON, crater ligneus, &c. Si parum otii conteras in Athenæi verbis a me ſuo loco non ſine diuturna cura reſtitutis, & advertas, quæ vere majoribus characteribus diſtincta ſunt, ſtatim juraveris probe a me omnia conformata, & amanuenſium ſtuporem demiraberis. Obſerves interea adcenſuiſſe Athenæum inter vaſa lignea, non quidem onychina, ſed panathenaica. Miror ipſe magis Caſaubonum in animadverſionibus in Athenæum doctiſſimis hic nihil vidiſſe, cum ceteroqui non una loca peræque affectiſſima reſtituerit: neque eruditiſſimus Fortun. Scacchus in Myrothecio lib. 1. c. 46. qui hunc Athenæi locum laudat, tantam librariorum incuriam advertere ſatis fuit. Demum adnotandum reor H. Stephanum in Theſ. oblitum eſſe vocis τεμακος-ῆ, licet ad τῦ κειμένυ ſententiam non interſit, monitoſque vellem adoleſcentes φιληλληνικὰς, ut tandem ſentiant minime fidendum vel verſionibus, vel Græcis ſcriptoribus, cum eorum verba ab aliis laudantur. Concludam igitur falſi crimine arceſſendum Stephanum, vel potius librariorum torpore deceptum ajentem vaſa onychina fuiſſe aliquando lignea.

v. Verum ex orbita in viam. Præter onychem ſollemnius erat tum Græcis, tum Latinis, queis & Hebræos addas, in lapide alabaſtro unguenta ſervare. Callimachus in hymno in Pall. lavacr. ver. 13. Κὰ μὴ μύρα, μηδ' ἀλαβάς-ρως Οἵστε. Theocr. Idyl. 15. v. 114. Συείω δὲ μύρω χρύσει ἀλάβας-ρα. Agathias in Anthologia epig. ult. pag. 541. in corp. poetar. Trojæ ruinam deplorans canit:

Πῆ Πκφίης ἀλάβας-ρα, ϗ πάνχρυσ-Θ ἐφες-ίς;
Πῆ δὲ Τεπογενὲς δείκελον ἐνδαπίης;

Et Luciani Aſinus de muliere quadam ait: Κὰ μύρον ἔκ τινος ἀλαβάς-ȣ προχεαμένη τύτῳ ἀλείφεται. Athenæus lib. 15. cap. 10. p. 686. Περιενεγκόντων δὲ τῶν παιδῶν ἐν ἀλαβάς-ροις, ϗ ἄλλοις χρυσοῖς σκάφεσι μύρα, τ Κύκλικον θεασάμενός τε, πολλῷ τῷ μύρῳ τὸ πρόσωπον ἐπέχρισεν. Et lib. 6. Ε"πειτ' ἀλάβας-ρ-Θ ὐθέως ἔξει μύρȣ αὐτόματος. Nec non lib. 15. c. 13. ubi laudat verſus quoſdam ex Alexide: Οὐ γὰρ ἐμυείζετ' ὄζ ἀλαβάς-ρȣ πρᾶγμά τ γιγνόμενον ἀεὶ κρονικόν κ. τ. λ. Ælian. lib. 12. cap. 18. var. hiſt. Α'νθ' ὧν ἡ Θεὸς ἔδωκεν ἀλάβας-ρον αὐτῷ, ϗ εἶχεν αὐτὴ μύρον, ᾧ χριόμεν-Θ ὁ Φάων ἐγένετο ἀνθρώπων κάλλις-Θ. Lucian. in Dial. meretr. p. 751. edit. Græv. Α'λάβας-ρον μύρȣ ἐκ Φοινίκης. Vide etiam Pollucem, qui ſæpe de unguentariis vaſculis meminit, ſcil. lib. 6. fragm. 105. & lib. 10. fragm. 120. ubi legere eſt ἀλαβάς-ια, & ἀλαβας-ροφόρος, & ſatis appoſite ἀλάβας-ροι μονόλιθοι, nunquam vero leges μονόχαλκοι. Adde Theophraſtum *De odorib.* Α'λαβάς-ρȣς ζητῦσι τοιύτȣ λίθȣ. Vide & Suidam in ἀλαβας-ροθήκας. Hinc etiam Eccleſia Græcanica vas, in quo ſacrum chriſma ſervatur, ἀλάβας-ρον dicit, conſule Goar Euchol. p. 509. & adnotationem 41. Venet. edit.

Pauca autem ex Latiali ſermone exempla converramus (amamus enim potius inter Græca verſari) ut a Latinis etiam conſtet unguenta nunquam occlu-

Digitized by Google

occluſa in æneis receptaculis, ſed in lapideis, præſertim ex alabaſtro. Cic. Acad. 2. apud Non. Marceli. 15. 17. *Alabaſter plenus unguenti*. Petronius cap. 60. *Alabaſter unguenti*. Martial. lib. XI. ep. 9. v. 9. *Quod Coſmi* (myropolæ) *redolent alabaſtra, focique Deorum*. Plinius lib. 36. c. 7. *Hunc aliqui lapidem* (onychem) *alabaſtritem vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optime ſervare incorrupta dicitur:* cariſſimus mihi eſt hic Plinii locus, cum aperte edicat unguenta optime & incorrupte ſervari in cavis lapidibus; cui συμφωνεῖ locus alter ejuſdem hiſtorici æque carior ibid. licet de lapide Lygdino loquatur: *Paullum diſtare ab eo* (onyche) *in unguentorum fide multi exiſtimant Lygdinos in Paro repertos*. Quin ab eodem hiſtorico lib. 33. c. 6. ſcimus, cujuſdam alabaſtri cum duo ſint genera mas & femina, probari magis alabaſtrum feminam, & ſtimmi etiam appellari. Demum addam Servium in Virg. Æn. 3. *Ab eo donatus unguenti alabaſtro*. Non mihi obliviſcendi ſunt Hebræi, quos notum eſt ex Matth. 26. 7. & Marc. 14. 10. uſos eſſe in ſervandis unguentis etiam alabaſtro; vide cl. Pricæum in Evang. Matthæi, & præſertim ſæpe laudatum Fortunatum Scacchum; ita ut nuſquam gentium in æneis vaſculis ea incluſa legas.

VI. Quoniam autem ſermo eſt de alabaſtro, liceat ſane quam pauca de hac voce commentari. Eam non ſatis fui reperire in Græcis, ſi Theocritum Syracuſanum excipias, ante Auguſti ætatem florentibus; antiquiſſimam vero fuiſſe noſco ex LXX. interpretibus, qui tenebricoſam vocem צלחת 2. Reg. 21. 13. ἀλάβαστρον reddidere; poſterioribus inde Græcis evaſit celebratiſſima. Curent grammatici, an melius audiat ἀλάβαστρος, aut ἀλάβαστος: vide ea de re plura in adnot. Alberti in Heſychium. De ejus etymo doctiſſimi viri Voſſius, H. Stephanus, Perizonius, & Salmaſius, ut taceam veteres, Etymolog. auctorem, Heſychium, & Suidam, qui univerſi veluti juratiſſimi ab τῷ α στερητικῷ, & λαμβάνω confictum ajunt, quia adeo lenis eſt alabaſter, ut prehendi haud poſſit; vel ab α, & λαβὶς *anſa*, quod anſas non habeat. Verum tantorum virorum venia, lapidum electorum nomina a peregrinis gentibus Græcos accepiſſe ſcimus, neque in Græco ſolo nata, atque αὐτόχθονα, quare illudere videntur, qui detorta, licet pulchra, at non vera præſtant, præſertim ſi Græcanicæ dictiones liquido ab vetuſtiore lingua naſcantur: quare ἀλάβαστρος iiſdem στοιχείοις eſt ab Phœniciis חלב סתר *pinguedinis receptaculum*; חלב autem quanti Hebraice revera valeat, vel ejus linguæ tirones norunt: obluerat ſane Jo. Clericus ἀλάβαστρον exoticam eſſe ῥῆσιν, quare ab Arabicis vocib. אל בצרה, *opobalſamum* extrahit, verum ex elementis quædam deſunt, quædam diverſæ naturæ ſunt: peccatur demum, ſi vetuſtiſſimas Græcas voces ab Arabico ſermone derivemus, qui longe poſterioris ævi eſt, & barbariei plenus. Demum haud ſcio an unquam veteres alabaſtrum pro ipſo unguento acceperint. Atque de ῥήσει alabaſtro ſatis. Si quis alabaſtri figuram intueri optet conſulat Fortun. Scacchum in Myrothecio pag. 240.

VII.

Digitized by Google

VII. Præterea non tantummodo in vasis ex eleganti marmore recondita legimus unguenta; verum & in vitreis, in quibus nunquam alicujus mucoris periculum erat: hinc Petronius cap. 78. *Ampullam nardi aperuit*, neque dubites, quin ampulla sit vasculum vitreum, cum Plin. lib. 20. c. 14. aperte *vitreas* appellet. Non prætermittendus Cic. 4. de fin. cap. 12. *Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla, aut strigilis accedat*; idest vas unguenti vitreum pro balineis. Ita etiam Plautus Pers. act. 1. sc. 3. v. 43. *Cynica esse e gente oportet parasitum probe: Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium, Marsupium habeat, &c.* in hunc Plauti locum Turneb. ait: *Unde & αὐτολήκυθοι a Græcis vocabantur pauperes, qui sibimetipsis ad balneas ampullas ferebant, cum servos ampulligeros non haberent.* Item Plaut. in Merc. act. 5. sc. 2. v. 86. EV. *Nam nec te introducam.* CH. *Tollo ampullam, atque hinc eo.* Ex hoc comici loco discimus peregre proficiscentes oleum, seu unguentum secum comportasse, quo calceos ungerent, ita Hesych. Ἠλείφοντο τὰς πόδας οἱ ἀρχαῖοι, ὑποδήσασθαι.

VIII. Hic in causa mihi est Plautus, ut quædam Homeri nostri ἐπιθετὰ antehac obscura luci suæ restituam, scil. λιπαρός, & ἀμβρόσιος, & νεκτάρεος, ita ut Deorum membra, vel vestes, utpote divinas, νέκταρι, vel ἀμβροσίᾳ inunctas legas: hominum vero calceos, pedesque λιπαρός appellat, in eaque divisione constans, & fidus est divinus vates. Itaque de Agamemnone Il. β. v. 50. canit, & alibi passim de heroibus suis: Ποσσὶ δ' ὑπὰ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα, ubi inconcinne τὸ λιπαροῖσιν reddunt *nitidis*, restitue Latine *unctis*, vel *nitidis unguento*, uti canit Tibul. lib. 1. el. 7. v. 51. *Illius e nitido stillent unguenta capillo*. Et brevia scholia hic facem mihi præbent ajentia: λιπαροῖς, i. e. λιπαροῖς, ἢ ἐυτραφέσιν, ἢ προκλειφομένοις ἐν τῷ ὑποδεδέσθαι, & miror omnibus Homeri interpretibus placuisse quidem τὸ λευκοῖς, & τὸ εὐτραφέσι, *nitidis*, non autem τὸ προαλειφομένοις, *præunctis*, in pejus semper ruimus. Hinc Il. σ. v. 382. Χάρις λιπαροκρήδεμνος est, *Gratia ornata vittis unguento delibutis*, sicuti κεφαλὴ λιπαροπλόκαμος Il. τ. v. 126. quod imitatus est Martial. ep. 29. lib. 2. v. 5. *Cujus olet toto pinguis coma Marcelliano*, idest unguento Marcelli myropolæ. Et Suet. in Neron. c. 20. *Insignes pinguissima coma, & excellentissimo ornatu pueri*, loquitur de Neapolitanis. Adde Tibullum lib. 1. el. 8. v. 9. *Quid tibi nunc molles prodest. coluisse capillos?* i. e. *unguento molles*. Et ibid. 16. *Nec nitidum tarda compserit arte caput*. i. e. *nitidum unguento*: quæ aliter, & longe a poetæ mente viri docti interpretati sunt.

IX. Dii contra ἀμβροσίᾳ inunguntur, Il. ξ. 170. veluti, dum se Venus basilice induit, in paucis versibus pluries utitur Homerus voce ἀμβροσίη, & ἀμβρόσιος.

Ἀμβροσίῃ μὲν πρῶτον ἀπὸ χροὸς ἱμερόεντος
Λύματα πάντα κάθηρεν, ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ
Ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ, τό ῥά οἱ πεθυωμένον ἦεν·

Τοῦ

Τοῦ κ᾽ κινυμένοιο Διὸς προτὶ χαλκοβατὲς δῶ,
Ἔμπης ἐς γαῖάν τε, κ᾽ οὐρανὸν ἵκετ᾽ ἀϋτμή.
Τῷ ῥ᾽ ἧγε χρόα καλὸν ἀλειψαμένη, ἰδὲ χαίτας
Πεξαμένη, χερσὶ πλοκάμους ἔπλεξε φαεινούς,
Καλοὺς, ἀμβροσίους, ἐκ κράατος ἀθανάτοιο.

Et Il. γ. v. 385. leges νεκταρέᾳ ἑανῷ, & Il. σ. v. 25. νεκταρέῳ χιτῶνι, eo quod erant id genus veſtimenta iis odoratiſſimis liquoribus perfuſa. Itaque apud Homerum νέκταρ, & ἀμβροσίη raro potiones ſunt, frequentiſſime vero unguenta, Il. τ. v. 38.

Πατρόκλῳ δ᾽ αὖτ᾽ ἀμβροσίῃ, κ᾽ νέκταρ ἐρυθρὸν
Στάξε κατὰ ῥινῶν, ἵνα οἱ χρὼς ἔμπεδος εἴη.

Etiam Idothea Protei filia, quo Menelaus, & ſocii fœtorem marinarum phocarum ferre poſſent, unguentum ex ambroſia eorum naribus inſtillavit, Odyſſ. δ. v. 445.

Ἀμβροσίῃ ὑπὸ ῥῖνα ἑκάστῳ θῆκε φέρεσα,
Ἡδὺ μάλα πνείουσαν, ὄλεσσε δὲ κήποος ὀδμήν.

Et ἀμβροσία eſſe unguentum, quo Dii ungerentur, ipſe magnus vates aperte me docuit, Odyſſ. θ. v. 365.

Ἔνθάδε μὲν Χάριτες λοῦσαν, κ᾽ χρῖσαν ἐλαίῳ
Ἀμβρότῳ, οἷα Θεοὺς, ἐπευήνοθεν αἰὲν ἐόντας.
Hic ergo ipſam (Venerem) *Gratiæ lavarunt, & unxerunt unguento,*
Quod ſit ex ambroſia, uti mos eſt deorum immortalium.

Quæ verba ſententiam omnino firmant ἀμβροσίην Homericam non tam potum, quam unguentum fuiſſe Deorum. Imo etyma harum vocum a re unguentaria oriuntur, νέκταρ enim iiſdem elementis ab Phœnicio נקטר, *ſuffitus* habemus, & ἀμβροσία accipimus a bina voce חמא פרש, *lacteæ pinguedinis expanſio*, i. e. quod ejus ambroſiæ odor longe lateque extenditur; non curamus ſane Græculos, qui harum Deorum potionum, vel melius unguentorum nomina a ſuo fonte trahunt.

x. Neque curamus Homeri filios, qui ἀμβροσίαν fecere cibum, νέκταρ vero potum a patre ſuo degeneres, qui utramque ῥῆσιν liquidum ac fluidum fuiſſe ſemper occinit, ut ſatis clare Od. ι. v. 359. Ἀλλὰ τοῦδ᾽ ἀμβροσίης, κ᾽ νέκταρος ἐστὶν ἀπορρώξ, *ſed hoc ambroſiæ, & nectaris eſt rivus*, ſermo eſt de vino Ulyſſis. Sic Plato ſapientum Homerus de republ. ut Latinos omnino præteream, ab divini vatis mente diſcedens, quocum in amicitiam coire nunquam voluit, ait: Ἀμβροσίαν ἐδῃ, κ᾽ νέκταρ πίῃ. Ac ſi optes inferioris ævi & ſubſellii ſcriptorum exempla, præſto eſt Nonnus Dionyſ. lib. 10. v. 284. qui ex binis hiſce potionibus unam edulium facit: Οὐ πόσιν ἔλκω Νέκταρος, ἀμβροσίης δ᾽ ὅ δάϊομαι. Et lib. 12. v. 207. Ἀμβροσίῃ, κ᾽ νέκταρ ἐμῷ Διὸς, Ἄμπελε, τίκτεις, hic ſane uva eſt *ambroſia*, i. e. *eſca*, & *nectar* eſt *liquor vini*, ſive *potus*; loquitur poeta de Ampelo in vitem mutato. Hinc ibid. v. 211. Bacchus ait: Εἴδαρ ἐγὼ μερόπεσσι, κ᾽ ὅ πόμα μῦνον ὀπάσσω. Pro re nata mendum in eodem Nonni libro v. 146. ab-

Digitized by Google

ſtergam: Ἄμπελος ὃ τέθνηκε, κὴ εἰ θάνεν, ἡμέροεν γὰρ Ἐς πότον, ὃ γλυκὺ νέκταρ ἐγὼ σέο κῶρον ἀμείψω, quæ ita verſa leguntur: *Ampelus non mortuus eſt, licet obierit, deſiderabilem enim in potum, non dulce nectar ego tuum puellum mutabo*: vides qua Græcis, qua Latinis negari Ampelum vertendum *in dulce nectar*, cum poetæ omnes vitem (ἄμπελον) ſive vinum nectar uſque appellitent: quin & Nonnus ipſe ibid. v. 223. affirmat, Ampelum in nectar converſum: Σὸν δέμας εἰς γλυκὺ νέκταρ ἄναξ ἤμειψε Κρονίων. Quare ut ſibi conſtet poeta in laudato verſu 146. ἐς πότον, ὃ γλυκὺ νέκταρ, particulam ὃ, *non* refinge in ὃν, *cujus*, quod pronum factu erat, oriturque bona & conſtans Nonni ſententia: ἐς πότον, ὃ γλυκὺ νέκταρ, ἐγὼ σέο κῶρον ἀμείψω, *in potum, cujus dulce nectar, ego tuum filium mutabo*: & mirabitur quiſque mecum rem adeo planam & apertam neque interpretes, neque viros doctos advertiſſe.

XI. Piget me Heſiodum nunc primum contra Homeri mentem Theogoniæ v. 640. cum ceteroqui ſemper ſit σύμφωνος, canere: Νέκταρ τ' ἀμβροσίῳ τε, τάπερ θεοὶ αὐτοὶ ἔδουσιν, & mox v. 642. Ὡς νέκταρ δ' ἐπάσαντο, κὴ ἀμβροσίῳ ἐρατεινῷ, quæ verba ex Hom. Il. τ. 347. exſcripſit: & videtur Aſcræus vates ambas voces confundere, atque eſſe eſcas, non potiones; verum ſi Guietus ſecundum hunc verſum inſititium traducit, ipſe potius primum expungerem, cum ἐπάσαντο reddatur, *guſtarunt*, quod potioni etiam convenit, & foret Homero concors Heſiodus. Itaque adjunctum ἀμβρόσιος ſi aptetur vel Deorum membris, ut χάται ἀμβρόσιαι Il. α. v. 529. ne dicas *divinas*, θείας, uti ſcholiaſtæ, ſed *unguento nitidas*, ἀδσμὰς, & Nonnus de pedibus: Καὶ ποδὸς ἀμβροσίοιο μεσέμβρινον ἴχνος ἐτείγων, *pedis unguento odori*. Si vero aptetur nocti, vel ſomno, a dulcedine ſumatur ſignificatio: idipſum dicas de voce νεκτάρεος. Quam Homeri cum Heſiodo ὁμόνοιαν cum perſcrutari non ſatis fuiſſet Jo. Clericus in adnot. in Heſiodum pag. 102. duoviris ſummis vatibus negligentiæ atque ἀκυρολογίας dicam ſcribit. Etenim poſtquam recitaſſet, quæ ἀσύστατα adnotavit de ambroſia, & nectare in Hom. Euſtathius, iſthæc Clericum ipſum effundere haud pœnituit: *Verum multo ſimplicius dixerimus & Homerum, & Heſiodum minus accurate locutos, neque ex ἀκυρολογίᾳ ullum conſectarium eſſe deducendum. Verum tamen eſt, nonnullis veteribus nectar fuiſſe ſolidum cibum, ambroſiam vero potum, quod oſtendit Euſtathius in ſequentibus verbis, ex Anaxandride, Alcmane, & Saphone. Sic parum ſibi conſtant poetæ in meris figmentis*. Optarem, ut id genus viri eruditiſſimi non tam præcipites ſatis longævæ Homeri famæ officerent, & pinguiori otio rem, qua de agitur, prius excuterent, inde ſcita ſua edicerent: haud enim ſcriptorem, qui Homero ſit conſtantior, & κυριώτερος unquam legere ſperandum eſt, & Heſiodo, qui cum eo ſemper conjurat amiciſſime. Adde me reperiſſe in Athenæo lib. 15. c. 8. ambroſiam dictam fuiſſe κρίνον, *lilium*: Προσέοικται δ' ἄνω περὶ δ' αὐτῆς (ἀμβροσίας) ὅτι τὸ κρίνον ὅπως λέγεται. Demum Themiſthi ætate adeo male

male ab Homerica, atque ingenita notione binarum vocum νέκταρ, & ἀμβροσία desitum est, ut hic sophista primam fecerit *fontem*, alteram vero *pratum*, ita ut aqua & herba tandem evaserint divina & electissima unguenta, nescio qua vi urgentur homines, ut sanctæ vetustatis verborum indolem corrumpant, & veluti ἀτιμάζωσιν, Themist. orat. 4. pag. 119. edition. 1618. quam habeo: Ἀλλὰ καὶ ὁ θρόνος αὐτῆ τῆ Διὸς, καὶ ἡ ἀληθινὴ προεδρία, καὶ αἱ πηγαὶ τῆς νέκταρος, καὶ ὁ λιμὼν τῆς ἀμβροσίας.

XII. Miror sane, quo pacto cum Homero conspirans in Antholog. lib. 4. cap. 18. ep. 34. Marianus Scholasticus scriptor infelicioris ævi advertit adjunctum ἀμβρόσιος valere *unguentis oblitus*; quando reliqui sapientissima ætate nati in longe diversam sententiam detorserint, Latini præsertim, quos tuipse legas, cum mihi nec desiderium sit, nec otium invisendi laudandique; apponam Mariani non inelegans epigramma in balneum Veneris.

Μήτηρ Κύπριν ἔλουσεν Ἔρως ποτὲ τῷδε λοετρῷ
Αὐτὸς ἀποφλέξας λαμπάδι καλὸν ὕδωρ·
Ἱδρὼς δ' ἀμβροσίοιο χυθεὶς χροὸς ἄμμικα λιπροῖς
Ὑδασι, φᾶς πνοιῆς ὅσσον ἄνηψεν ἔαρ·
Εἴθεν ἀεὶ ῥοδόεσσαν ἀναζείουσιν ἀϋτμὴν,
Ὡς ἔτι τῆς χρυσῆς λουμένης Παφίης.

Quod sic fere κατὰ λέξιν conversum per otium a me teneas, cum ceteri sententiam solummodo versu aucupentur.

Cyprida Amor matrem dum proluit hisce lavacris,
Fons purus gnati lampade concaluit:
Sudor ab ambrosia fusus cute, mixtus & almis
Undis, o quantum veris ad instar olet!
Exinde & roseos exspirant semper odores,
Aurea adhuc veluti se lavet ipsa Venus.

Vel luscinioſus hic viderit χρὼς ἀμβρόσιος audire *cutis ambrosia inuncta*, cum Marianus in 5. versu clare recinat eam ambrosiam, sive unguentum *rosaceum* fuisse, quod exinde omne balineum perdiu afflaverat. Si vero, ut dictum est, aliquoties ἀμβροσίη in Hom. sit cibus, unguenti naturam non amittit, cum veteres unguenta etiam potasse multis docuerit doctissimus Fortunatus Scacchus in Myrothecio lib. 1. cap. 42. p. 210. quem invisas, grateſque habeo, quod in eo me quocumque labore levarit: verum vir laboriosissimus oblitus est Galeni medentium principis De loc. affect. lib. 4. cap. 9. qui appositissime θηλακήν, qua unguenti simul & potus vice utimur ἀμβροσίαν vocitavit, certissimus juro id ab Hom. dediciſse: profecto in magni nominis, & sapientissimis scriptoribus ejus, quod verum est atque antiquum, reliquiæ sæpe emicant: Ἔδίδαν δὲ καὶ πίνειν αὐτῷ φάρμακα, τήν τε μιτεδάτειον ὀνομαζομένην ἀντίδοτον, ἀμβροσίαν, καὶ θηλακήν.

XIII. Porro rogaris, ut advertas Homerum, & supparem Hesiodum ignorasse celebre apud reliquos scriptores vocabulum μύρον, *unguentum*, & μύρω, *stillo*, quamquam antiquissimum sit, utpote Hebræum; quare ipse conjicerem

Digitized by Google

voces ἀμβροσία, & νέκταρ apud hos principes vates peræque valuiſſe, ac μύρον, cum quiſque noverit veteres electiſſimis unguentis, ſive μύροις impenſe ſtuduiſſe; porro ſi ἀμβροσία, & νέκταρ pro quæſitiſſimis μύροις in iis ambobus vatibus non accipias, ut dictum eſt, unguenta γενικῷ nomine caruiſſent. Et uſque mirari me oportet Homeri poſteros tanti vatis προσθετὰ facile oblitos, ita ut, cum Homerus χαίτας dicat ἀμβροσίας, Meleager Anthol. lib. 4. ἀπὸ χειρωνακτῶν epigr. 6. a tanto patre degener uſus ſit voce μυροβόστρυχος, *unguento-unctas-comas-habens*, quæ vox fugit lexicographos.

XIV. Sed ut illuc, unde abii, redeam, unum mihi reliquum eſt, ut explicem, quid ſit apud Homerum λιπαρὰ θέμιστες, Il. ι. v. 156. & v. 298. quod appoſitiſſime interpretati ſunt ſcholiaſtæ πλουσία, *opulenta tributa*; quod autem λιπαρὸς audiat *opulentus*, nullumdum adnotaſſe memini; ſane Latini facem mihi prætulerunt, qui fere ad tædium homines bene nummatos vocant *unctos* & *pingues*; contra vero, qui egentiſſimi ſunt, & quibus quæſito opus eſt, *ſiccos* atque *aridos*: Catull. ep. 30. v. 44. *Niſi uncta devorare patrimonia*. Et epigr. 10. v. 11. *Cur quiſquam caput unctius referret*, i. e. *ditior rediret*. Adde illud Hor. lib. 1. epiſt. 17. v. 11. quod tonſoribus notum: *Si prodeſſe tuis, paulloque benignius ipſum Te tractare voles, accedes ſiccus ad unctum*. Et epiſt. 15. ib. in fin. *Verum ubi quid melius contingit, & unctius*, i. e. *lucroſius*. Martial. ep. 45. lib. 5. lautiorem cœnam dicit *unctiorem*; tenuem vero, ſive ſiccam, *oſſa cœnæ* appellat: *Antiquæ venies ad oſſa cœnæ*. Eadem notione accipias ἐπιθετὸν *pinguis*: Catul. in carm. nupt. v. 3. *Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas*. Hinc vulgo auditur *pinguis hereditas*, &c. Contra vero *aridus*, & *aritudo* voces ſunt, quæ inopiam, vel meram præſeferunt avaritiam, peræque ac *ſiccus*: Plaut. in Rud. act. 2. ſc. 6. v. 39. LA. *O ſcirpe, ſcirpe, laudo fortunas tuas, Qui ſemper ſervas gloriam aritudinis*. Cic. pro Q. Roſc. *In ruſticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita*. Et pro Quint. c. 30. *Vitam ſemper horridam, atque aridam oppoſuit profuſis ſumptibus*. Et nunc primum novimus, quid ſit in Martiali *ſiccus onyx*, lib. XI. ep. 50. *Nunc furtiva lucri fieri bombycina poſcit, Profertur Coſmi nunc mihi ſiccus onyx*: & alibi contra vocat *pinguis onyx anhelat æſtus*, i. e. vas unguenti vel *vacuum*, vel *plenum*, quod miſere torſit interpretes, & ſexcenta id genus exempla. Unum addere mihi licet locum Suet. in Veſpaſ. c. 16. ne te multis exemplis premam, in quo *ſiccos*, & *humentes* ſimul σκωπτικῶς junctos cernes: *Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret, quibus quidem vulgo pro ſpongiis dicebatur uti, quod & quaſi ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes*.

XV. Demum ſi a me poſtules, quid ſint Heſiodo Theog. v. 63. Muſarum λιπαροὶ χόροι, καὶ δώματα καλὰ, quæ verba inconcinne translata leges, *ſplendidi chori, & ædes pulchræ*, ſtatim reponam, præmiſſa vera notione vocis λιπαρὸς, eſſe *cubicula odorata choreis apta, & pulchræ ædes*; χόρος enim,

Digitized by Google

enim, ut tirones norunt, & *chorea* ipsa est, & locus saltationis, ut Latinis *concio:* neque hæreas, si ædes & cubicula λιπαρά, *odorata* dicantur, cum Hom. Il. γ. v. 383. canat: Κὰδ δ' εἶσ' ἐν θαλάμῳ ἐὐδδεϊ, κηώεντι, *collocavit in* (Paridis) *domo* (θάλαμος Homero *domus* est, nunquam vero lectus, quod non videre neque scholiastæ, neque interpretes) *suaveolente, suffimentis flagrante*. Atque de Homericis προσθετοῖς unguentariis, deque Latinorum elegantiis plura quam exspectabas.

XVI. Nunc mihi ad vitrea unguentorum receptacula redeundum; atque iis, quæ superne dicta sunt, unum addam: adeo verum est in more fuisse in vitris adservasse veteres unguenta, ut ex Herculanei ruderibus non unas grandes solidissimi vitri ampullas rei odoratissimæ plenas effossas invisamus; quæ ab Rege religiose servantur, præsertim quasdam parvas ex electissimo marmore veluti phialas, ita ut materiesne, an opus sit elegantius, ignores.

XVII. Epiphanius, quia sæpius ex vitro fabricari μυροθήκας cerneret, etiam alabastrum Mariæ sororis Lazari fuisse βικίον ὑέλινον, *vasculum vitreum* credidit: & auctor Etymologici ἀλάβαστρον interpretatus est σκεῦός τι ἐξ ὑέλου; quibus addas Synaxarium in fer. 3. majoris hebdom. vide Goar p. 516.

XVIII. Postquam dedi accluſum ab veteribus fuisse unguentum in quæsitissimis lapidibus, atque in vitreis vasculis, διὰ βραχέων addam servatum etiam esse in aureis; & præter Athenæum superne laudatum, testes do Petron. cap. 7. *Pueri capillati attulerunt unguentum in aurea pelve*, & Plutarchum in Alexand. Ὡς δὲ εἶδε μὲν ὅλκια, καὶ κρωσσοὺς, καὶ πυέλους, καὶ ἀλαβάστρους πάντα χρυσᾶ ἠσκημένα περιττῶς ὠδώδει δὲ θεσπέσιον, οἷον ὑπὸ ἀρωμάτων καὶ μύρων ὁ οἶκος. Et eodem loco ait Plutarchus Alexandrum, Dario in fugam misso, inter ceteras divitias reperisse *hydrias, pelves, & alabastros, cuncta auro lita*. Idem Athenæus inquit pag. 198. Καὶ φιάλαι δύο χρυσαῖ κασίας μεσταὶ, καὶ κρόκου, cum pompam Ptolemæi describat, & quisque novit ex casia, & croco confici unguenta πιστικά, sicuti ex nardo, & cinnamomo. Et pag. 203. in eadem pompa fuisse aurea ἄλειπτρα μέγαλα δέκα. Et lib. 4. c. 1. Καὶ νιψάμενοι τὰς χεῖρας ἐστεφανώμεθα, καὶ πάλιν σλέγγιδας ἐλάβομεν χρυσᾶς διπλασίους τῶν προτέρων, καὶ ἄλλο διλήκυθον μύρου, & *manus abluentes, & iterum accepimus urnas aureas duplo majores prioribus, & alios binos lecythos unguenti*. Demum scimus etiam ex Athenæi lib. 5. sub init. adeo sollemnia ex auro vasa unguentaria, ut omnes in gymnasio iis uterentur: Ἐν τῷ γυμνασίῳ πάντες ἐκ χρυσῶν ὁλκίων ἠλείφοντο κροκίνῳ μύρῳ. Atque ex lib. 5. cap. 4. Βασιλικοὶ δὲ παῖδες παρῆλθον ἑξακόσιοι χρυσώματα ἔχοντες· ἔπειτα δὲ γυναῖκες ἐκ χρυσῶν καλπίδων μύρους ἔρρανον εἰς διακοσίας; sunt autem κάλπιδες χρυσαῖ, *urnæ aureæ*. Plura exempla piguit me jam defatigatum aggerere, præsertim cum, quæ allata sunt, non e lexicis, neque indicibus, uti quibusdam moris est, corraserim: πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων sit mihi quibusdam Homeri

Digitized by Google

meri locis rem firmare, qui bis in Od. ζ. v. 79. & v. 215. canit: Δῶκε δὲ χρυσείῃ ἐν ληκύθῳ ὑγρὸν ἔλαιον; & mihi gratulor, quod vel heroicis temporibus non in æneis, sed in aureis ληκύθοις inclusa opobalsama legamus.

XIX. Quid autem sit lecythus, & quantæ elegantiæ in Græcis scriptoribus, præsertim posterioris ævi, vide H. Stephan. in Thes. & Fortun. Scacchum in Myrothec. cap. 45. lib. 1. p. 227. ubi quæsitissima collegerunt, & nosces etiam quid sit lecythizare: mihi satis sit advertere in Homero esse vas γενικὸν, quod ab προσθετῷ determinatur; contra vero Græculi edicunt esse ampullam olearium, dicique quasi ἐλαιόκυθον, scilicet eo quod ἔλαιον κάθει, vide Eustathium. Verum cum apud Hebræos לקט sit *collectio*, & *receptaculum*, nihil prohibet, quin ab eo fonte repetamus; quod etymon facile fuisset Vossio invenire, qui hanc vocem Etymologico non illevit. Ne credas me fugisse coercita τὰ μύρα in vasculis etiam ex argento, verum quam raro id factum sit, ab eo collegi, quod cum non paucos, ut vides, scriptores evolvissem, vix bini loci se mihi obtulere de argenteis unguentariis thecis: Athenæus lib. 4. cap. 1. de puellis unguenta ministrantibus in mensis ait: Ἄλλαι φέρουσαι ληκύθους μύρα ἑκάστη δύο συνδεδεμένας ἱμάντι χρυσῷ, τὴν μὲν ἀργυρᾶν, τὴν δὲ χρυσᾶν κοτυλισκας, καὶ ἑκάστῳ προσέδωκαν. Cui addo Pollucem, lib. 6. cap. 19. fragm. 105. Τὰ δὲ ἀγγεῖα τῶν μύρων, ληκυθος μυρηρὰ, καὶ ἀλαβαστρόν· Φερεκράτης δὲ ἐν Λήροις εἴρηκε καὶ κυάθιον δι' ἀργύρου, ᾧ τὸ μύρον ἐγχέομεν. Contra vero in neminem incidisse, si fides sit, fateor, qui nos etiam in æs injecta unguenta docuerit. Neque me turbavit bonus Isidorus lib. 10. cap. 7. Orig. qui facile definit, lenticulam esse *medium vas æneum*, *vel argenteum*, *quadrangulum*, *in latere apertum*, *quod & lecythum*; *est enim vas olei*: etenim hujus παραρράματα jam viderat Fortunat. Schacchus in Myrothec. p. 63. edit. Hag. Comit. quare mecum conjurans inquit in multis decipi Isidorum, probatque lenticulam fuisse vas rotundum vel ex eo quod ab Hebr. dicitur גלד a rotunditate; inde firmat fuisse ex auro, aitque: *Cumque inter olearia vasa etiam lenticulæ connumerentur*, *has quoque aureas exstitisse certissimum erit*. Igitur mecum fatearis necesse est in æneis receptaculis accluſos solummodo ignobilioris materiei liquores, ut atramentum, &c.

XX. Demum si cui voluptati sit intueri unguentarii vasculi figuram, adeat Thesaur. Inscr. Murator. pag. 508. 1. 2. 3. 4. estque unguentorum nominibus ornatum, quadratæ formæ, atque ex lapide viridi exsculptum. Hæc affatim esse reor, quo importunis quibusdam oblocutoribus obviam itum sit, qui regium nostrum vasculum atramentarium, κειμήλιον singulare inter unguentaria σκεύεσι, quæ ubique gentium prostant, amandarunt: rogatos vellem id genus homines, qui irata Minerva nati contra reliquias sanctæ vetustatis gemmis cariores temere obstrepunt, ut prius vel quædam cimeliarchia invisant, si non tanti sint, ut Græcos scriptores lectitent, vel saltem grande opus Antiquitatum Montfauconii evolvant,

quo

Digitized by Google

quo tirocinia ἀρχαιολογίας addiscant; interea rerum antiquarum pretium, & divinationem servent aliis: & piget me opus ab querelis inceptasse.

CAPUT II.


Esse hoc regium ὄργανον revera atramentarium ex binis simillimis id genus vasculis, atque a Græcis monumentis illud veluti describentibus, ostenditur.

I. *Fuisse vas atramentarium constat ab τῶ μέλανος vestigiis.* II. *Præterea ab simillima theca calamaria Dionysii Halicarnassæi.* III. *Atque ab περιτριλλήτῳ Vassalliano atramentario planetarum signis pertuso.* IV. *Luculentius id ostenditur ex veteri epigrammate.* V. *Vera licet antehac ignota notio vocum* πολιώϟ, & πολίωπος, *nec non* ὦϟ, & ὄπη. *Quid tenebricosa* ῥῆσις *Homerica* ἐνωπῆ. VI. *Athenæus falsus est, cum* ὤπας facies *interpretetur,* ὦτα, aures: *suisque in etymis* ἀσύστατον *non raro se probat:* ὦϟ *vox Phœnicia satis diversa ab* εἶδος. VII. *Constat etiam esse atramentarium ex altero Anthologiæ epigrammate, in quo turpe vides librariorum mendum,* ἄντροις *scil. pro* ἄντλοις. *H. Stephanus notatur.* VIII. *Summi viri Salmasii* παράραμμα. IX. *Clariss. Petavius nihil vidit in hoc epigrammate explanando. Audacissima Juvenalis sententia.* X. *In more fuit librariis* ἄντλος *invertere in* ἄντρον. XI. *Quid* ἄντλος *secundum Hesychium, &c.* XII. *Quid* λυγδὸς γλυπτὴ *in eleganti epigrammate; cujus versio ab Obsopœo concinnata refellitur: & Græca nitori suo restituuntur.* XIII. *Aliquando* γλυπτὸς *reticetur, & eadem est sententia.* XIV. *Præclaro Luciani loco firmatur* γλυπτὸς *esse* imagunculis sculptus. *Non pauca de vocibus* τορεύειν, & τορνεύειν: *quarum veram notionem ex Homero oblitus est non sine culpa Salmasius. Quid* tornatus, tornatilis, & rotundus *apud profanos, sacrosque scriptores.* XV. Γλυπτὸς *esse* icunculis ornatus *demum fortius statuitur ex concinno epigrammate.*

I. Scio neque arduum, neque molestum fuisse, quid hoc σκεύαριον non fuerit, præstitisse: opus laborque reputatur, an certe pro atramenti receptaculo habendum sit, ostendere: verum mihi sane gratulor aperta & paratissima suppetere argumenta, queis id comprobem, ut ne obstinatior quisque repudiaverit. Sane e veteris sepulchri ruderibus ipsum vix extractum, atque immissa aqua ad abluendum, nigerrimam statim defluxisse testatur fide major Pauvius, olim vasculi possessor; nunc etiam, si quis digitis fortius affricare ejus fundum amet, atro colore tinctos inspiciet; teste divite etiam cl. Mazochio in allata in προλεγ. epistola: *Illud*, inquit, *nescio cur prætermiserim, in eodem instrumento haud dubia atramenti vestigia deprehendi, etsi multis partibus studio deterſa fuerint.*

II. Sed refractarius quis & molestus τὸ μέλαν injectum hac tempestate reponere mihi posset; quare ad luculentiora & potiora confugiendum. Bernardus de Montfaucon in Palæogr. Græc. p. 24. imaginem Dionysii Halicarnassæi scribentis ex Codice Chiggiano membranaceo affabre expressam

Digitized by Google



ſam affert, interque cetera ſcriptoria organa exſtat atramentarium ejuſdem figuræ, & octonis faciebus diſtinctum, inque medio operimento admodum arctum foramen eſt, licet nullæ renideant imagunculæ, fortaſſe quod nimia exiguitate laboret, cujus ſchema hic vides, ſed longe grandius archetypo, ad ejus tamen fidem bonam expreſſum: Igitur ſollemne erat olim ejus numeri frontibus vaſa atramentaria conformare. Quanquam vero quis urgeat codicem illum eſſe ſequioris ævi, & pictorem expreſſiſſe atramentarii ſuæ ætatis ſpeciem; verum ipſe adjicere poſſem decimi ſæculi exſcriptorem ex antiquiore membrana Dionyſii imaginem deſumpſiſſe, cum elegantior ſit, quam ferebat decimi ſæculi barbaries.

III. Ne autem otium perdam in conquirendis ex imaginibus, quas appingi mos erat in libris mss. vaſculis atramentariis formæ octogonæ: appono, quod vides ex archetypo e marmore non unius coloris: hoc mihi vaſculum inſperatiſſimum ab amicis etiam archetypis oblatum fuit. Porro calamariam hanc thecam poſſident clariſſima gens Vaſſalliorum Neapolitana, inter quos Agnellus diu mihi amiciſſimus doctrina, conſtantique prudentia admirandus non diu denatus eſt: cumque Franc. Serai noſtri medentis longe gentium notiſſimi longæva conſuetudine frueretur, cippum ab eo cum hoc officii pleno, & elegantiæ epigrammate demeritus eſt:

AGNELLVS · VASSALLVS · HIERONYMI · F
HEIC . SITVS . EST

QVI . TANTVM . IN . FINGENDO . AD . EXIMIAE . HONESTATIS . FORMAM . ANIMO STVDIVM . POSVIT . VT . PRAE . EO . INGENI . DOCTRINAE . ELOQVENTIAE LAVDEM . QVA . PAR . SVMMIS . HABEBATVR . VISVS . SIT . NEGLEXISSE IDEM . IN . PVBLICORVM . NEAPOL . CIVITATIS . NEGOTIORVM . ADMINISTRATIONEM IMPLICITVS . EA . FIDEI . PROBITATIS . ABSTINENTIAE . DOCVMENTA . EDIDIT QVAE . IVGI . COMMEMORATIONE . PER . AETATES . VICTVRA . FACILE . EX . VNIVERSA POSTERITATE . ADMIRATORES . NON . FACILE . AEMVLATORES . INVENIENT

VIXIT . ANNOS . LII . M . X . D . III
E . MEDIO . PVLCHERRIMORVM . FACTORVM . CVRSV
SVBLATVS . EST . PRIDIE . KAL . DECEMBRES . MDCCLI


AMICO . RARISSIMI . EXEMPLI
OPTIMO . QVAM . DVLCISSIMO . INDIVIDVO
FRANCISCVS . SERAVS . SIBI . RELICTVS
MAERORI . SCILICET . DESIDERIOQVE . RELICTVS
PROPINQVITATI . ET . AMICIS . CETERIS . PRAEREPTO . OFFICIO
MONVMENTVM . POSVIT

Hos teſtes locupletes advoco, ne exteri credant a me hoc alterum tam rarum atramentarium monumentum confictum, ſed ut vere audiam horum vaſculorum ſollers ſcrutator, cum antehac nemo ea curarit, & quo huic Regis noſtri σκδαρίῳ pretium increſcat. Porro paucis ante annis

hujus

Digitized by Google

hujus noſtræ urbis aquaria (ὑδραγωγεῖα) quæ millena per ſubterraneos cuniculos, ſive formas mire excurrunt qua familiarum uſu, qua voluptate, perpurgantibus hominibus ὑδροφύλαξι, qui e plebe ſunt, ab iiſdem inter eos cuniculos repertum eſt id marmoreum μελαωοδοχεῖον, ac Vaſſalliis, qui quodam aquarum publicarum munere gaudent, obtulere, iique ſitu deterſo ornandum curarunt, ac primævo uſui dedicarunt. Vides igitur in ipſo octonas facies, in ſummo latiores, arctiores in imo, uti in regio vaſculo, niſi quod in Vaſſalliano recurvæ ſunt, uti in Dionyſiano: in noſtro prorſus planæ: ſeptem quidem pertuſæ, octava omnis æqua eſt, nulloque foramine perfoſſa; quæ quidem varietas admirationi perdiu fuit amicis, donec a me commonefierent ſeptenis illis foraminibus affixas fuiſſe totidem planetarum icunculas argenteas, ut in regio atramentario, quas vel aquariorum virorum ſacra & vehemens avaritiæ detraxit, vel longa ætas decuſſit, ſed ego in primum jurarem: verum de his imagunculis, & foraminibus in altero hujus operis libro, quando de ſeptenis ſideribus ſermo erit, multa commentabimur. Quantam lucem ſibi mutuam præſtent ſeptem aſtris ſplendentia bina hæc vaſcula, nulluſdum non videt; & poſthac Vaſſallii ſuum hoc cimelium carius habeant ac tutentur: vel potius Regi illud offerant, quo gemella iſthæc atramentaria ſupellex juncta ſimul pretium ſibi concilient, & per ævum durent. Igitur ex ambobus certis Dionyſiano, & Vaſſalliano atramentariis quiſque contumax fateri cogitur, vaſculum hoc regium, eo quod ob octogonam figuram, & ſeptenas icunculas cum iis conſpiret & conveniat, etiam pro μελαωοδοχείῳ adhibuiſſe veteres; nihil enim magis ac fortius movet, ac urget animum in re antiquaria, quam exemplorum ſimilium imagines & monumenta.



IV. Præterea in atramentario negotio me non averſa avi natum gaudeo, qui in Græca documenta offenderim (a Græcis optima quæque exſpectanda) quæ regium hoc ὄργανον eſſe calamariam thecam aperte præſeferunt,

& adeo certis signis depingunt, ut res ad τὸ ἀποδεικτικόν accedat : quare tum octogonum σχῆμα, tum icunculas, quid ratum ac proprium horum vasculorum fuisse in animum induxi. Porro lectitanti mihi Anthologiam Græcorum epigrammatum, quorum nunquam satias est, & a queis veluti e penu ditissima, quidquid expetimus, depromere licet, occurrit epigram. 4. lib. 6. edit. Aldi tit. ἀπὸ τῶν ταχυγράφων, ubi legere est Callimenem ταχύγραφον usum esse in scribendo κίστῃ μελαωδόχῳ πολύωπι, *theca atramentaria multis-faciebus-distincta*, id est *octonis*, si etenim pluribus cincta esset, ab perfecto numero, atque ab ὀκτσχήμονι figura desciviisset. Ac primum miror H. Stephanum dictionem πολύωψ lexico suo non illevisse ; deinde qui epigramma in Latinum verterunt, satis inficete adscripsisse, *scriniolum multiforamen*, *atramentum capiens :* miror etiam magis cl. Kusterum eandem Græcam vocem in Suidæ lexico in *multiforem thecam* Latine commutasse . Sane eos deceptos credam ab Homero, qui Od. χ. v. 386. belle vocat rete πολυωπόν, quod προσετὸν revera valet *multisore*, sicuti etiam in epigr. 7. lib. 6. Anthol. ἀπὸ ἀλιάων, allitum est πολυωπὸν λίνον.

v. Verum quantum distent ambæ voces πολύωψ, & πολυωπός vel tirones norunt ; prima pullulante ab ὤψ, *facies*, altera ab ὀπή, *foramen* ; eo quod thecæ calamariæ non unis faciebus, uti vasculum regium, ornabantur, jure πολύωπες audiebant : contra vero, cum retia millenis foraminibus sint pertusa, merito πολυωπά dixere veteres. Quarum vocum διάγνωσιν cum non advertissent interpretes, omnia in Græcis voluminibus convertendis turbarunt ; satis sit quædam in medium afferre a vatum principe, qui cum non semel utatur voce ἐνωπῇ, quæ ab ὀπή, *foramen* deducenda est, & *clanculum* Latine reddenda, omnes oscitanter reponunt, quod oppositum est, scilicet *palam*, rati ab ὤψ, *facies* compositam, uti in Il. φ. v. 510. ubi Jupiter interrogat Latonam vulneratam ab Junone :

Τίς νύ σε τοιαῦτ' ἔρεξε, φίλον τέκος, οὐρανιώνων
Μαψιδίως, ὡς εἰ τί κακὸν ῥέζουσαν ἐνωπῇ ;

si enim quid mali palam fecisset Latona, sanequam Jupiter sciviisset, & frustra id nosse a Dea quæsiviisset ; etenim quæ nescimus, & clanculum patrata sunt, interrogamus : quare ῥέζουσαν κακὸν ἐνωπῇ, bene vertes, *num malum occulte te patrantem?* Eadem legas Il. ε. v. 374. Contra vero scholia brevia in Il. ο. v. 653. εἰσωποὶ ἐγένοντο νεῶν, recte interpretantur, ὑπὸ τὴν στέγην νεῶν ἐγένοντο, *sub tabulatis navium se occultavere* : quarum vocum significationem vel pueri Homerici internoscere satis essent, cum ῥήσεις, quæ ab ὤψ educuntur, ab hoc vate principe diversa ratione inflectantur, veluti ὀρύω, ἑλίκω, κ. τ. λ. Plura in ea re errata interpretum proferre possem, utpote in Homericis deliciis ψιλῶς innutritus, sed longus nimis essem, sat mihi ostendisse, quo pacto ab eorum peccatis cavendum sit. Neque mihi opponas vocem ὀπή scribi cum τῷ ο, contra vero in compositis ab Homero cum τῷ ω, nam reponam sollemnem esse

hanc

Digitized by Google

hanc φωνηέντων elementorum permutationem, ut περμώδυνος, πολυώνυμος, & ſexcenta id genus, quæ enumerat d'Orvillius in Charitonem pag. 785. 786. & Cornelius de Paw in Anacreonte pag. 70. Sæpe etiam ea mutationis ſpecies poſthabetur, ut apud Athenæum extrema cera paginæ 176. δίοπος αὐλός, quod ipſemet Athenæus interpretatur μυτοκόπος ἢ ὑπότρητος, *foramine pertuſa tibia*. Hinc in mentem revoces Opicam gentem ita dici ab Juvenali ſat. 3. v. 207. quod cavernas, ſeu foramina incolerent, ideoque *mures* appellat: *Et divina Opici rodebant carmina mures:* quod jam ab aliis notatum: ſed longe diverſum eſt ejus gentis etymon, vid. noſtrum Mazochium in Amph. Camp. p. 159.

VI. Ex his colligas κίστιον πολύωπα in eo epigram. non eſſe *ſcriniolum multiſore*, ſed *multis faciebus elaboratum*, cum ab ὤψ, non vero ab ὀπή ea vox fruticet; ſane theca calamaria multis foraminibus pertuſa, quo pacto atramentum ſervaret? Si vero quis accuratiorem a me ſedulitatem poſtulet, atque exemplum quærat, quo certo ſuadeam veteres vaſorum facies ὦπας dixiſſe, ajo non diu a me laboratum fuiſſe, quo id reperiſſem: præſto fuit Athenæus in longiori fragmento tom. 2. p. 783. nondum Latine verſo: Καλεῖται δὲ δέπας ἤτοι, ὅτι δίδοται πᾶσι τοῖς ἀσπένδειν βουλομένοις, εἴτε μὴ τοῖς πίνειν· ἢ ὅτι δύο ὦπας εἶχε (ταῦτα δὲ ἂν εἴη τὰ ὦτα·) τὸ δὲ ἄλεισον, ἢ ὅτι ἀπὸ τοῦ ἄγαν λεῖον εἶναι, ἢ ὅτι ἁλίζεται ἐν αὐτῷ τὸ ὑγρόν, *Vocatur autem* δέπας *quidem, quod præbetur ſacrificare, & bibere volentibus; aut propterea quod duabus faciebus ornatum eſt,* (*eæ autem facile eſſe poſſunt aures, ſive anſæ*) ἄλεισον *autem dictum eſt, eo quod ſit valde lene, aut quia in ipſo condiuntur ſale liquores*. Ecce tibi δέπας δύο ὦπας ἔχον, ſcilicet cum vas duas anſas, ſeu aures præferat, anteriorem, ac poſteriorem faciem habere dicitur. Neque te turbet, quod Athenæus ὦπας interpretetur ὦτα, *aures*, in eo enim falſiſſimus eſt, atque inficete in animum induxit vaſorum ὦπας eſſe aures: quis unquam, vel felicioris ævi, vel nequioris, ſi modo vigilet, dicat *aures* eſſe *facies?* Neque miror Athenæum deceptum eſſe in notione dictionis ὤψ, *facies*, interpretantem τὸ οὖς, *auricula*, quando præſtat nobis etyma ſatis ἀσύστατα vocum δέπας, & ἄλεισον, vide ſuperna ejuſdem verba; videtur enim vocum δύναμιν, ac originationem parum penſitaſſe, & in qua ἰδιότητι Græci antiquiores vocabula acceperint. Si autem ſincerum ejus vocis ὤψ etymon extundendum ſit, Phœnicium ſe prodet, iiſdem enim binis litteris *facies* eſt אף ubique ſacrorum codicum, unde ἀμέσως tractum ὤψ vides. Verum de utraque voce Hebræa, Græcaque in illuſtratione Homerici elegantiſſimi anaglypti plura ſervo, cum dicendum mihi ſit Helenam non omnigena venuſtatis forma deſcripſiſſe divinum vatem, imo longe majorem ipſi Penelope tributam legas, cum de prima ὦπα laudaverit, de altera τὸ εἶδος, atque ἐπιθετά utriuſque matronæ ab hoc poeta principe appoſita longe melius τὸ κάλλος alterius, quam primæ commendant. Igitur, ut omnia recte colligam, ſi πολύωψ ſit *id, quod non*

Digitized by Google

unis conſtat faciebus, ut bene multis oſtenſum eſt, non vero *undique pertuſum*, & veteres κίστα μελάνδοχοι formarentur πολύωπες, nemo poſthac, qui verum amet, negaverit hoc regium vaſculum, cum etiam πολύωψ ſe prodat, quin ſit κίστη μελάνδοχος, *theca calamaria*.

VII. Age vetus teſtimonium proferamus, quod adſtruat, præterquamquod atramentaria ſpecie πολύωπι fabrefierent, etiam imagunculis honeſtarentur. Sane niſi cœpti operis amor me mirifice fallat ex epigr. 3. ibid. luce clarius id eruo: inibi enim legimus, Philodemum ταχύγραφον inter cetera artis ſuæ ἀναθήματα obtuliſſe Mercurio Καὶ χρόνιον γλυπτοῖσι μέλαν πεφυλαγμένον ἄντροις, & *vetus in ſculptis atramentum ſervatum antris*: ſed quid ſibi velit *ſculptum antrum* pro atramentario, cum ignariſſimis ignoro; quis unquam vas illud ſatis parvum *ſpecus* atque *antri* nomine donare ſomniaverit? adde ſpecum illam fuiſſe ſculptam, γλωπτήν, quo nihil inſolentius nihilque inconcinnius. Verum inſignis hæc amanuenſium corruptela facile detergetur, ſi pro ἄντροις reponas ἄντλοις, quam vocem iiſdem librariis tanquam ἐξωτικωτέραν in notiorem & vulgarem, ſententiæ parum ſolliciti, commutarunt: *Vocabulum enim quo rarius, eo magis corruptelæ exponitur*, inquit Jungermannus in Pollucem to. 2. pag. 1214. Viſum eſt H. Stephano haud tolerandum in hoc Paulli Silentiarii epigrammate atramentarium dici ἄντρον, verum nullam medelam affectæ voci attulit, & inſolens vocabulum etymo haud tanto viro digno tutari aggreſſus eſt, illudque individuum in partes miſere diſſecuit: inquit enim vaſculum atramentarium vocatum ἄντρον, eo quod ἄνω τέτρηται, ſcilicet quod *ſuperne perforatum eſt*.

VIII. Neque pro re nata me virorum ſummi Salmaſii auctoritas turbat *in jus Att. & Rom. pag.* 501. ajentis Sidonium Apollinarem carmine 17. vocaſſe *cavernas* arctos loculos illos, queis diſtinctus erat abacus, atque ubi quaſi defoſſa paria vaſorum reponebantur, ne facile deciderent & colliderentur:

Non tibi gemmatis ponuntur prandia menſis,
Aſſyrius murex nec tibi ſigna dabit:
Nec per multiplices, abaco ſplendente, cavernas
Argenti nigri pondera defodiam.

Etenim venia tanti viri longe diverſa eſt Sidonii ſententia, ſiquidem *cavernas* hic accipit non pro parvis loculamentis vaſorum, ſed pro grandibus argenti fodinis: itaque dicit Sidonius: *Non defodiam per multiplices terræ cavernas pondera argenti, quo abacus, ſive menſa reſplendeat*, ſicuti antecedenti verſu dixerat *non quærendum muricem ab Aſſyriis*. Atque ita locutum Latinorum principem Tullium reperi 2. de nat. Deor. cap. 60. *Nos ex terræ cavernis ferrum elicimus*. Quare Salmaſii auctoritas haud ſatis eſt, ut ἄντρον in hoc Silentiarii epigrammate pro parvo vaſculo ſit.

IX. Poſthabenda jubeo, quæ illevit in notis in Themiſtium pag. 592. edit. Pariſ. 1618. ſummus vir Petavius in eos Silentiarii verſus, nihili enim

ſunt,

Digitized by Google

sunt, & ἀπροσδιόνυσα, qui & hic nihil immutavit, legitque etiam ἄντροις. Præterea subiraſcor Juvenali, propterea quod lecticam matronarum divitum grandi mole laborantem poetica libidine appellarit *antrum*, & ob ſæculi indolem ei parcendum duco, ſat. 4. v. 20.

.... Magnæ ſi miſit amicæ,
Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.

Quis igitur etiam ferat, vaſculum molis ſatis exiguæ, uti atramentarium, ἄντρον vocitari? gerras audis germanas. Quare quovis pignore in epigrammate pro ἄντροις refinge ἄντλοις.

x. Quid ſi hanc meam medelam bonis conjecturis innixam ſat firmis momentis radicitus firmem? Reperi ego in admirandis poſt homines natos adnotationibus Jo. Alberti in Heſychium ſollemne fuiſſe ſomniculoſis librariis invertere ἄντλος in ἄντρον, quod accidiſſe credas, vel ob ſoni affinitatem, vel ob vocabuli frequentiorem uſum. Itaque Alberti vir magnus monet in Euryp. Troade v. 686. male appoſitum ἄντρον pro ἄντλον· & Georg. d'Arnaud in Nicandri Theriac. v. 546. (non vero 547.) ex ſcholiaſte pro ἄντρῳ reſtituit ἄντλῳ, quod & notaverat Kuſterus, & Salmaſius de Hyl. Jatr. cap. 48. in fin. Quare tantorum virorum auctoritate & votis, nemo mihi non ſuffragatur, a me in epigrammate Anthologiæ probe factum, ut, evulſo τῷ ἄντροις, vera vox ἄντλοις reflorescceret: & miror laudatiſſimos hos viros eundem errorem amanuenſium in Anthol. quæ eorum manibus deterebatur, minime abſterſiſſe: ex uberrima ab ipſis collecta eruditionis meſſe exiguos manipulos mihi reliquerunt, quo magis de re atramentaria demererer.

xi. Reſtat, ut nunc ſtabiliam vocem ἄντλος valere, præter notas omnibus ſignificationes, etiam genus vaſculi admodum parvi, quod piget tot doctos noſtri ævi lexicographos minime adnotaſſe, & in re protrita paucis te teneam: omnium inſtar ſit mihi Heſychius, qui Silentiario epigrammatis auctori pæne σύγχρονῳ ait ἄντλον eſſe τὸν κάδον· quis autem ignorat κάδῳ adnumerari inter exiguas vaſculorum ſpecies tum Græce, tum Latine? hic tibi lexica inviſere in voce κάδῳ per me liceat, quæ etiam ex Athenæo ῥῆσιν inde ortam, ſcil. ἀντληπήρ, apponunt, & inter ipſos cyathos adnumerant. Vide etiam Heſych. qui ἀντληπήρ vocat κάδος ναυτικός.

xii. His animadverſis, nemo mihi neget auctorem epigrammatis deſcripſiſſe atramentarium imagunculis, uti noſtrum, inſculptum & ornatum, præſertim cum addat γλυπτοῖς, quæ vox de imaginibus accipienda eſt dubio procul. Si autem quæ lexica de hac ῥήσει adnotarunt non ſatis eſſe quis credat, cum id genus librorum jam ſordeſcant, & revera veteres ſcriptores minime lectitantium ſunt perfugium, ſufficiam exempla ex Anthol. lib. 7. ep. 22. ex Ald. edit. ubi legere eſt λυγδὸς γλυπτή, *lapis lydius ſculptus*; ideſt *in quandam ſtatuam apte conformatus*; ita etiam fas eſt accipias γλυπτοὶ ἄντλοι, *vaſcula icunculis ſculptis elegantia*; hinc neceſſe eſt, ut a te ipſe impetres & fatearis olim thecas calamarias, uti regiam, imagunculis cælari

lari consuesse, quod luce clarius προσθετὸν hoc γλυπτοῖς ostendit.

Quoniam autem politissimum illud epigram. 22. librariorum ignoratione, atque interpretum pigritia corruptissime editum indoleo, nitori suo restituere parum diu mihi laboratum est:

Αὐτοὶ τὴν ἁπαλὴν Εἰρήνιον εἶδον ἔρωτες
Κύπριδος ἐκ χρυσέων ἐρχόμενοι θαλάμων,
Ἐκ τεγχὸς ἄχρι ποδῶν ἱρὸν θάλος, οἷά τε λυγδὸς
Γλυπτὴν παρθενίων βεβρομένην θαλάμων·
Καὶ πολλὰς τότε χερσὶν ἐπ' ἠϊθέοισιν ὀιστὰς
Τόξα πορφυρέης ἧκαν ἀφ' ἁρπεδόνης.

Quod ita legas transfusum ab Obsopœo in libell. adnot. in epigramm. pag. 507. quam unam versionem invisere mihi otium fuit.

Ipsi teneram Irenion viderunt cupidines
Veneris ex aureis venientes thalamis,
A capillo usque ad pedes sacrum germem, tanquam Parium lapidem
Sculptum virgineis gravatum thalamis:
Et multas tunc manibus in juvenes sagittas
Arcu purpurea miserunt a pharetra.

Quem non pigeret licet parum Græce imbutum hos carminum veterum flores intuentem tam misere squalere in utraque lingua? quare repone pro ἐρχόμενοι veram vocem ἐρχομένῳ, Irenium etenim puellam tanta pulchritudine & venustate circumfluentem esse oportuit, quæ cum Venere antea versata est, ab eaque mox discedentem intuitos esse cupidines, quod planum est. Λυγδοῦ facile inductum pro λυγδόν, ut cum eo adjunctum γλυπτήν conveniat. Παρθενίων θαλάμων βεβρομένην inficentissime dictum, quare vel tiro deleret θαλάμων, & χαείτων illineret: quod fortasse non Manutii σφάλμα fuit, sed typographorum: cumque hujus mutationis plura exempla habeam, ex Anthologia unum do appositissimum ex festivo scitoque epigr. 89. edit. Ald. ejusd. lib. quod legas rogo: Οὔπω σοὶ καλύκων γυμνὸν θέρος, οὐδὲ μελαίνει Βότρυς ὁ παρθενίης πρωτοβολῶν χαείτας, κ.τ.λ. loquitur Philodemus epigram. auctor de Lysidicæ pulchritudine, ubi vides παρθενίης χαείτας, non θαλάμους, quæ vox in epigr. de Irenio puella est omnino ἀσύστατος. Miror sane quo pacto in mentem Obsopœi venerit, ut ἁρπεδόνη sit *pharetra*, quæ valet *funiculus*. Detersa igitur tanta labe ab optimo carmine, per otium fere κατὰ λέξιν, ut Græcæ linguæ decus, quoad fieri possit, servetur, convertendum curavi:

Ut teneram Irenem turba ipsa inspexit amorum,
Cypridis auratis dum redit a thalamis,
Vertice ad usque pedes vivax quæ gratia! Lygdus
Sculpta velut, quantus virginitatis honos!
Tunc crebras dextra in juvenes torsere sagittas
Arcus vi, & tincti murice funiculi.

Scias præterea adeo obscuram visam esse quibusdam doctis viris vocem γλυπτήν

Digitized by Google

πτήν in hoc epigrammate, ut contra fidem veterrimarum membranarum eam mutarint in λεπτήν, quos inter piget adcenſere H. Stephanum in Theſ. voce λυγδός (quam immerito ἀῤῥενικήν etiam facit) & λυγδὸς λεπτή, *marmor tenue* nihil prorſus eſt. Hic jure Kuſterus in adnotat. in Suidam voce λύγδινα nos admonuit: *Locum hunc ex mss. Pariſ. emendavi, qui in prioribus editionibus male ſic legebatur.... λεπτήν.... Cum mss. conſentit Anthologia epigr.....unde fragmentum hoc Suidas excerpſit.* Atque advertas animum rogo, quamnam καταστροφήν binæ voces ἄντλος, & γλυπτός mihi cariſſimæ ſubierint, quás inficete converſas ſæpe legimus in ἄντρον, & λεπτός.

XIII. Hic adnotandum reor ſæpe ſcriptores reticere vocem γλυπτός, præſertim poetas, & apponere ſolummodo λυγδός, atque illud quidem adjunctum animi mente ſupplendum, ut in lepidiſſimo ac terſo epigram. libri 7. circ. fin. quod nullis maculis fœdum fortunæ potius tribuo, quam exſcribentium ſtudio.

Νῦν μοι χαῖρε λέγεις, ὅτε σῆ τὸ πρόσωπον ἄπελθεν,
Κεῖνο τὸ τῆς λυγδῆ, βάσκανε, λειότερον·
Νῦν μοι προσσαίζεις, ὅτε τὰς τρίχας ἠφάνικάς σε,
Τὰς ἐπὶ τοῖς σοβαροῖς αὐχέσι πλαζομένας·
Μήκετί μοι, μετέωρε, προσέρχεο, μὴ δὲ σιωπάντα,
Ἀντὶ ῥόδε γὰρ ἐγὼ τὴν βάτον ἃ δέχομαι.

Quod ita tranſtulit Urſinus ſententiam curans melius, quam vim verborum:

Nunc tua cum periit facies ingrata, ſalutas,
Illa quidem Lygdo terſa nitenſque magis:
Nunc ultro arrides, poſtquam cervice ſuperba
Olim quaſſatæ deperiere comæ:
Ne mihi nunc, elata, veni, neve obvius ito,
Horrida decerptis quo mihi ſpina roſis?

Ne mihi veni, dictum eſt ἀστωτάκτως & invenuſte, pro *ad me:* τὸ *obvius* de puella turpiter oblivioſum traducit Urſinum. Quare epigrammatis nitori, atque omnium verborum ordini conſulendum duxi, cum mea magni interſit, quoad fert linguæ Latiaris mendicitas, verborum diſpoſitio, nam Græca mundities deſperanda: ita converſum accipe:

Nunc mihi ſalve a te eſt, decoxit cum decor oris
Ille tuus lygdo, perfida, ſplendidior:
Nunc mihi blandiris, ſenior quando abripit ætas
Per tua inerrantes colla ſuperba comas:
A me ſis, elata, procul, nec & ante recurras
Carpo roſam, haud ſpina eſt excipienda mihi.

Addam præterea diſtichon Arabii Scholaſtici, quod eſt ἀντίστροφον, i.e. quod in ſe convertitur, Anthol. lib. 6. c. 4. ep. 4. Ἔπλασε Πραξιτέλης Δαναΐδα, καὶ φάρεα νυμφῶν Λύγδινα, καὶ πέτρης Πάνα με Παυταλικῆς. Scias in more eſſe poetarum

tarum comparandi multam muliebrem pulchritudinem ſculptis marmoribus, ſeu ſtatuarum venuſtati, ut Euryp. in Ecuba act. 3. v. 560. dum canit de Polyxena:

Μαστὸς τ' ἔδειξε, στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος
Κάλλιστα.

hic quidam reponunt melius ἀγάλματα, locus enim διττογραφεῖται. Eurypidi συμφώνει pæne iiſdem verbis diſtichon ſat elegans, quod in Suida reperi voce λύγδινα,

Χὴν στέρνοις ἔτι κεῖνα τὰ λύγδινα κώνια μαστῶν
Ἔστηκεν, μίτρης γυμνὰ περιτροχάδος.

vel potius περιτροχάδος, ut emendavit Kuſterus. Neque putes me Latinos minime curare, quos in hac ſententia audaciores video, do teſtem Ovid. Metam. lib. 13. v. 746.

.... Et lacrymæ vocem impediere loquentis,
Quas ubi marmoreo deterſit pollice virgo,
Et ſolata Deam eſt.

Et ne poetas uſque celebremus, oratores etiam homines pulcherrimos ſtatuis affabre ſculptis compararunt: Dio Chryſoſt. orat. 28. pag. 289. de Melancomæ Neapolitani pugilis admiranda pulchritudine inquit: Ἦν δὲ ὁμοῖος τοῖς ἀνδριάσι τοῖς ἀκριβῶς εἰργασμένοις.

XIV. Verum miſſis, quæ ad rem parum ſpectare fortaſſe quis conqueritur, cum dicendum ſit de voce γλύφειν, atque an reperire ſit eam veteres vaſis appoſuiſſe, quo firmem ἄνθλος γλυπτὸς eſſe *ſculptum vaſculum*, ideſt *icunculis ornatum*; ſane haud mihi moleſtum fuit e Plutarcho exemplum δίκαιον nanciſci in Apopht. circa init. Σκύθη ποτὲ κεράμεα κομίσαντος ξένῳ ἄθραυστα, καὶ λεπτὰ πιθανῶς δὲ, καὶ περιττῶς εἰργασμένα γλυφαῖς πυκναῖς καὶ τορείαις· quid ſit γλυφή, & τορεῖα, vide Salmaſium in Solinum p. 735. ubi labore improbo, quæ de τῷ γλύφειν, τορεύειν, & τορνεύειν dici & aggeri poſſunt, inibi περιττῶς & δαψιλῶς exſcripſit; licet eum fugerit hic Plutarchi locus; definitque ſummus vir γλύφειν eſſe *cælare*; inde totus eſt, ut diſtinguat τορεύειν ab τορνεύειν, negatque primum ῥῆμα de torno dici poſſe, inde contendit libros omnes in ambabus his vocibus mendaces eſſe ob librariorum noxam, qui miſere eas confuderunt; quod an bene præſtiterit, e mea re futurum exiſtimo ſilere magis, quam tanto viro dicam inferre; id ſane optaſſem, ut oſtendiſſet, quid ſit apud Homerum tum Il. ψ. v. 255. τορνεῦν σῆμα, *tornare ſepulchrum*:

Τορνώσαντο δὲ σῆμα, θεμείλιά τε πρόβαλοντο
Ἀμφὶ πυρήν· εἴθαρ δὲ χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔχυσαν.

tum Od. ε. v. 249. τορνεῦν ἔδαφος νηός, *tornare fundum navis*,

Ὅσσον τίς τ' ἔδαφος νηὸς τορνώσεται ἀνὴρ
Φορτίδος, ἀρείης.

Verum virum undequaque doctiſſimum latuere bina hæc principis poetæ loca, quod maxime miror, utpote qui longiſſimam inſtituit de ea voce dia-

Digitized by Google

diatribam, & nemo ignorat ab Homero ſcriptorum parente repetendam eſſe vocabulorum poteſtatem; quæ quidem loca ſi vidiſſet Salmaſius, non tam cito ediciſſet τὸ τορνεύειν, ſeu τορνᾶν de tornandi arte ſolummodo dici, cum in Homero ſit vox γενικωτέρα, & ſepulchra etiam, & naves τορνῶνται. Ac probe inquit bis Athenæus, dum Ptolemæi Philadelphi pompam graphice deſcribit p. 199. ad Homeri imitationem *imagines tornatæ*, i. e. *affabre elaboratæ*, ζῶα τετορνευμένα, non ut vertit Delecampius, *torno ſculptæ*. Hinc etiam ad hujus vatis ſtilum Horat. de art. v. 441. dicit *verſus male tornatos*, i. e. *male elaboratos*, quam vocem non ſine injuria refingit Bentlejus in *ter natos*, cum ῥῆσις *tornatus* valeat juxta ac *rotundus*, quod ἐπιθετὸν ſummæ laudis eſſe ſcimus: hinc *os rotundum*, et *vir totus teres*, *atque rotundus*, &c. Hebræis ipſis pro *re perfecta*, vel *pulchra* ſollemnis eſt vox גלל *rotundus*, quam ſatis appoſite interpretes reddidere *tornatilis*: atque in Cant. Cant. *manus tornatiles* cap. 5. 14. *umbilicus*, & *crater tornatilis* cap. 7. 2. Vide etiam Iſa. cap. 44. 13. qui utitur voce תאר *in circino tornavit*, ideſt *perfecit*, quam notionem non videre lexicographi. *Tornatus* autem & *rotundus* idem eſſe eruo ex Lucret. 4. v. 361.

Hinc ubi ſuffugit ſenſum ſimul angulus omnis,
Fit quaſi tornata, ut ſaxorum ſtructa tuantur:
Non tamen ut coram quæ ſunt, vereque rotunda,
Sed quaſi adumbratim paullum ſimulata videntur.

Habes igitur ab Lucret. *rotundum* & *tornatum* eſſe σωώνυμα, quod ſatis eſt, ut Horatium, & ſanctos codices recte percipiamus, quod neque Horatianos interpretes, neque biblicos advertiſſe miror. Sed, unde diverteram, redeundum; jure igitur in Plutar. σκεύη εἰργασμένα γλυφαῖς, ἢ τορείαις interpretor *vaſcula imagunculis probe exornata*, queis regium vaſculum etiam nitet.

XV. Præterea, ut ex Anthologia exempla petam, & quid ſit γλυπτὸς omnino firmem, neque adhucdum dubites, quin valeat *icunculis ſcalptus*, aut *affabre cælatus*, relegas epigr. 2. lib. 3. εἰς μεθύσους.

Τῆς πολιῆς τόδε σῆμα Μαρωνίδος, ἧς ἐπὶ τύμβῳ
Γλυπτὴν ἐκ πέτρης αὐτὸς ὁρῇς κύλικα·
Ἣ δὲ φιλαύρητος, ἢ οἰὸς λάλος, οὐκ ἐπὶ τέκνοις
Μύρεται, οὐ τεκέων ἀκτεάνῳ πατέϊ·
Εἶν δὲ τόδ' αἰάζει ἢ ὑπ' ἠελίου, ὅτι τὸ Βάκχῳ
Ἄρμενον, οὐ Βάκχου πλῆρες ἔπεστι τάφῳ.

Quod Latine accipiant, qui non tam prompte Græca norunt, transfuſum fere κατὰ λέξιν, ut moris mei eſt:

Annoſæ hæc ſunt buſta Maronidis, inſidet urnæ
E ſaxo exſculptum, quem ipſe vides, calicem:
Quæ vinoſa, ac uſque loquax non illacrymatur
Ob gnatos, gnatis quodve pater careat:
Unum haud fert denata licet, quod dignus Iaccho
Non Jaccho exundans inſideat tumulo.

Digitized by Google

Vides jam in hoc politiſſimo epigr. κύλιξ γλυπτή eſſe *icunculis affabre ſcalptus calix*, ideoque dicitur *dignus Baccho*, ſcilicet ob elegantiam opificii, non ſane, quod ex marmore eſſet: quæ quidem interpretatio cum prona ſit, nemo mihi negaturus eſt ἄντλος γλυπτὸς eſſe *vaſculum parvis imaginibus nitens*, ubi ſermo eſt de atramentario σκιαγρᾴῳ. Hinc facile colliges mirum non eſſe, ſi regia hæc theca calamaria ſcalptis pulcherrimis aſtriferorum Deorum ſeptenis icunculis fulgeat, cum legas jam id olim in more fuiſſe in vaſis fingendis, & vocem γλυπτὸς aperte *figuris ſcalptus* denotare non unis exemplis præſtitum ſit. Igitur ex binis Dionyſiano, & Vaſſalliano atramentariis parili artificio fabrefactis, atque ex Anthologiæ carminibus ratum firmumque ſtatutum eſt id genus vaſcula veteres tum octonis ὠψί, *faciebus*, tum γλυπτοῖς, i.e. *quæ imagunculis ſcalptæ eſſent*, conformaſſe: quis igitur poſthac, niſi morio, aut communi ſenſu deſertiſſimus hoc elegans regium σκευάριον eſſe atramentarium non prædicet, cum ab antiquis veluti depictum oſtenderim? Reliquum eſſet, ut quiſnam fuerit ejus poſſeſſor, qua ætate, & qua in urbe conflatum, deque ejuſdem ornamentis dicerem: verum multa mihi præmittenda reor, quo iſthæc omnia bene multis documentis, & fortaſſe haud pœnitendis in tertio hujus operis libro explicem.

CAPUT III.

Veteres atramentum in communi & ſueta ſcribendi ratione ſolummodo adhibuiſſe, mixtim, & διὰ βραχέων exemplis, & non unis etiam ex Hebræo fonte petitis oſtenditur.

I. ARgumentum *hujus capitis apud eruditiſſimos quoſque turbatum & confuſum, adeo ut videatur* παράδοξον. *Dica Caneparo.* II. *Hebræis, Græciſque voces* cera, & tabula *pro ſcriptura ignotæ, contra vero vox* atramentum *celebratiſſima.* III. *Homerus, & Heſiodus ſcriptionis nunquam meminere: Herm. Hugo notatus.* IV. *Ægyptios eo liquore papyros tinxiſſe oſtenditur.* V. *Numæ, & Hippocratis ætate homines fuere* μελανογράφοι. VI. *Sequentibus ſæculis meſſis plurima exemplorum atramentariæ ſcriptionis, præſertim quæ ſunt ab Perſeo, Cic. etiam a Demoſth. atque ab Anthologia, &c.* VII. *Idipſum habeo ex non unis Herculanenſis cimeliarchii clariſſimis monumentis: ex plurimis voluminibus, atque ex muſicis tabellis inibi repertis.* VIII. *Adde* περιτρίλλιτον *ejuſd. cimeliarchii parietis picturam, cujus divinatio antehac* ἀρχαιολόγοις *ignota aperitur, & ſchema apponitur; eſtque famoſum* ORESTIS JUDICIUM. IX. *Pictura per ſuas partes explicatur. Quædam pictor videtur confudiſſe non ſine arte.* X. *Non pœnitenda quædam de Eumenidibus. Virgilius notatur. Pauſaniæ* παρόραμα. XI. *Cur tentorium cum columnis.* XII. *Plura & appoſitiſſima de ſcabellis. Ab Pauſania erasum* λίθος, & reſti-

Digitized by Google

ſtituta vera vox διφθερα. XIII. *Hujus picturæ pretium commendatur.* XIV. *Plurima pro tuenda apud Hebræos atramentaria ſcriptione: ea in re binis tantum vocibus utuntur* כתב *&* ספר, *contra vero voces* ſtilus, tabula, cera, *&c. eiſdem ignotiſſimæ. Moſes ab Ægyptiis μελανογράφος inſtitutus eſt: non unæ voces rei ſcriptoriæ Ægyptiæ.* XV. *Vera διάγνωσις vocis δέλτος, perperam Hebræa audit apud Mazochium. Frutices ſæpe dant nomen regionibus etiam ex Caſaub.* XVI. *Nullibi ſacrorum codicum* דנג cera, *&* לוחת tabulæ *in notione ſcribendi.* XVII. *Neque unquam* ſtili, *ſive ferrei inſtrumenti γραφικῦ mentio. Quid re vera* עט *audiat: locus 4. reg. 21. 13: illuſtratur: nihil in Iſaia 8. 1. de ſtilo ferreo ſcriptorio; ejus verbis nova lux.* XVIII. *Verba Exod. 32. 4. de ſtilo tenebricoſa illuſtrantur: quid de iis ſenſerit Bochartus. H. Stephanus, & Mazochius doctiſſ. virorum biga notantur.* חרט *vox duplicis notionis*, calamus *ſcil. &* ferrum, *uti γραφὶς Græce, & Latine* calamus, *inde* calamiſter. *Quid Jer. 36. 23.* תער הספר XIX. *Cl. Mazochio ajenti Hebræos in duriori materie ſcriptitaſſe reſiſtitur, & ſollemnis vox* ספר *ſapienti Hebræorum ſæculo non eſt* dolavit, *quod docuit vir ſummus, ſed* ſcripſit. XX. *Ex Tobia 7. 16. chartis, ideoque atramento uſos eſſe Hebræos oſtenditur. Quid βίβλος, & βύβλος. Demum fere ἀποδεικτικὸν teſtimonium ſcriptionis atramentariæ apud eoſdem ex Jer. 36. 18. Totius hujus capitis ſumma.*

1. AD ingentem, ac multiplicem materiem aggredior, atque unde ordiar, & quo demum tendam, undique difficultatibus me fateor implicatum. Cum autem tot doctiſſimos viros, quos duces habeo, & queis de re ſcriptoria plura volumina conſcripſiſſe placuit, confudiſſe omnia repererim, potius mihi ingens negotium crearunt, quam viam opemque præſtiterunt: univerſos enim atramentariæ rationis ſcribendi tanquam hoſtes juratiſſimos, ad arborum codices, vel ad ceratas tabellas defeciſſe miratus ſum: ita ut omnium poſtremus, & virorum ſummus Mazochius vel ipſe dubii plenus idipſum edicat in laudata epiſt. in πρόλεγομ. *Etſi non deſunt, qui contradicant, rati dubium eſſe utrum ejuſmodi ὄργανον ad continendum atramentum apud antiquos fuerit, ad quod ſignificandum nulla dum prodita Latina dictio a quoquam reperiatur, &c.*

Evolvi non vice ſimplici, ut ab antiquioribus diſcedam, refertum eruditione non exiguum Trotzii volumen, *De prima ſcribendi origine*, quod an. 1738. lucem vidit, ut Funcium taceam *De ſcript. vet.* an. 1743. & PP. Benedictinos Pariſienſes ἀνωνύμως, qui tribus ante annis corpus diplomaticum quæſitiſſimum conflare aggreſſi ſunt, & præter æternam rerum perturbationem, atramentarium ſcribendi negotium adeo parvi curavere, ut haud ſciam, an ſemel nomen *atramenti*, nunquam vero *atramentarii vaſculi* in eorundem doctis operibus inſpectes, verum ſingula legas tabularum, ſtilorum, & cerarum plena. Itaque non contemnendum, vel πρόβλημα, vel παράδοξον dicas, cur tot clariſſimi ſcriptores, ne cultiores quidem jureconſultos excipias, cum ubique veterum librorum trium principum linguarum in *atramentum* inciderint, ſæpe etiam in hujus liquoris receptaculi nomen, vel parum ſatis, vel nihil omnino de iis vocibus commentati ſint; quidam etiam eam ſcribendi rationem viguiſſe negarint. Et quis mecum non iraſcatur Canepario, qui, cum volumen in-

Digitized by Google

gens, *De atramentis cujuſcunq. gen.* conferſerit, cujus nimium intererat plurima de eo liquore, & vaſculo pro antiqua ſcribendi ratione aggerere, ea de re ne privum quidem verbum feciſſe, atque a præclaro ſui operis titulo diſpar omne & alienum corrogaſſe, atque ad ἐξωτικά quæque longe divertiſſe, ut ne ſemel quidem illum hic a me laudatum cernas? Jure Trotzius ibid. pag. 103. de eodem conqueritur: *Præter ſplendidum titulum nihil antiquitatis exhibet, nec Venuſinam ſpirat lucernam diffuſum illud opus.*

Ut autem ipſe hanc inſanam contra veterrimum ſcriptitandi atramentarium morem ſententiam exſuant, quotquot tum ſummorum virorum auctoritate, tum temporis veluti præſcripti longa intercapedine jam ratam eſſe jubent, pro ipſa τῦ μέλανος ſcriptione peragam, & acturus in multis ſeqq. capp. rem omnem ordine, quoad fieri poterit, artis pleno diſpeſcam: quorum capitum argumenta, ſive πεμμοχάς optarem, ut, antequam ſingula, quæ a me appoſita ſunt, lectites, curſim evolveres, quo prius γενικά momenta rationum noſcas, & veluti paratus ad materiam omnem exinde accedas.

II. Id unum nunc ſane ſpondeo me in Hebræis ſanctis libris, & millenis Græcis neque unquam tabularum ſcriptarum, neque ceratarum veſtigia, verum τὸ μέλαν, & τὰ μελανοδοχεῖα ſolummodo reperiſſe: contra vero in Latiaribus voluminibus illas voces celebrari fateor: attamen, ſi ſæpe tabulas ſcriptorias, præſertim Pandectes, & quidam ſcriptores cerâs etiam meminerint, tantum abeſt, ut hæ dictiones γραφῆ atramentariæ officiant, ut firment potius. Hinc quæ res antehac præ ipſo τῷ μέλανι tenebricoſior videbatur, nunc, niſi egregie errem, luce clariorem ſe prodet.

Ab ea tempeſtate homines *thecas calamarias*, ſive μελανοδοχεῖα, ſive קסתורת הספר, *thecas ſcriptoris* Ezech. 9. 2. fabricatos eſſe, quando *atramento*, μέλανι, & דיו *atramento* Jerem. 36. 18. uti cœperunt, quiſquis ſaniori mente eſt, minime inficiabitur: imo quando & כתב, & γράφειν, & *ſcribere* didicerunt, hæ enim ternæ voces veterrimos auctores cuivis lectitanti patent, & dubio procul ad atramentariam ſcriptionem pertinent. Porro ſi nomina jam & liquoris γραφικῦ, & receptaculi antiquiſſima ſint, res ipſas etiam exſtitiſſe neceſſe eſt: adde unumquodque artificium initio inducitur ab re promptiore, atque ab inſtrumentis, quæ ſint parabilia, & haberi cito poſſint: longe igitur facilius eſſe quis neget, & potius a natura homini inſitum pelles, & papyros, & quicquid albicans eſt carbone, atque colore atro, qui ἀπόχρως & viliſſimus eſt, tingere, quam ſtilo ferreo tabellas non ſine multa arte cera inducta ſurculis ſcriptoriis cælare? Verum in veterum moribus definiendis ac firmandis rationi longe præſtat auctoritas ac teſtimonia, quare ad iſthæc confugiendum: quorum longam σωαγωγήν hic apponam, præſertim quæ ex Hebræis deprompſi.

III. Et ſane ab Jove poetarum, & ſcriptorum omnium duce Homero prin-

Digitized by Google

principium mihi fuit, illumque invisère placuit, an in divinis suis ῥαψῳδίαις, uti vulgus appellat, atramentariæ scriptionis vola aut vestigium inesset, & pro certa re habeas, Homerum neque litterarum, neque scripturæ quodcumque genus in suis æternis Iliade, & Odyssea unquam meminisse, si excipias voces πίναξ πτυκτός, & σήματα λυγρά Il. ζ. v. 169. quæ sibi fatalia Bellerophon ad Prætum Lydiæ regem attulerat: de ῥήσεσιν his πίναξ & πτυκτός cap. seq. plurima commentabimur, & famosum hunc versum non unis multa arte collectis argumentis νοθεία damnabimus: imo ibidem animadvertes beata Homeri ætate γράφειν & ἐπιγράφειν longe diversa significasse, quam *scribere*, quod fortasse volupe tibi erit lectitare. Consulendum etiam ratus sum Hesiodum Homero dicendi majestate supparem, in eoque ne vice quidem simplici vox γράφειν illita est: verum Hermannus Hugo, De prim. scrib. orig. cap. 10. pag. 78. edit. Trotzii nescio, quæ commentus est, & videtur ab Hesiodo in ἔργ. καὶ ἡμέρ. v. 41. rationem scribendi in maltha (ἐν τῇ μαλάχῃ) arcessere, cum inibi de ejus fruticis, atque asphodali esu μυσηλώδες quid canat poeta: quem versum longis adnotationibus onerarunt οἱ πάνυ Heinsius, & Clericus, quos invisas.

IV. Cum autem gemini hi principes poetæ & veterrimi de scribendi more nihil omnino nos commonefaciant, ab eorum filiis, & posterioris ætatis scriptoribus argumenta γραφῆς atramentariæ mixtim arripiam, quo τὸ μέλαινος vascula quovis ævo celebratissima credas. Porro priscæ ætatis gentes atramento in scribendo usas acceptum refero non in unis operis sui locis Horapollini adserenti Ægyptios populares suos illud usurpasse lib. 1. cap. 14. pag. 28. edit. 1727. Δέλτον αὐτῷ παρατίθησιν ὁ ἱερεὺς, καὶ σχοινίον, καὶ ΜΕΛΑΝ πειράζων, εἰ ἐκ τῆς ἐπισταμένης ἐστὶ συγγενείας γράμματα, καὶ εἰ γράφει, *Papyrum ei apponit sacerdos, & juncum, & ATRAMENTUM tentans, sitne ex eorum genere, qui scribendi gnari sint.* Et eod. lib. cap. 38. pag. 50. Αἰγύπτιά δὲ γράμματα δηλοῦντες, ἢ ἱερογραμματέα, ἢ πέρας, ἢ ΜΕΛΑΝ, καὶ κόσκινον, καὶ σχοινίον ζωγράφουσιν, *Ægyptias litteras, aut sacrum scribam, aut finem innuentes, ATRAMENTUM, cribum, & juncum pingunt.* Huic Horo accinit Clem. Alexandrinus Strom. to. 2. pag. 757. edit. Oxon. Ἑξῆς δὲ ὁ ἱερογραμματεὺς προέρχεται ἔχων πτέρα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, βιβλίον τε ἐν χερσὶ, καὶ κάνουν, ἐν ᾧ ΓΡΑΦΙΚΟΝ ΜΕΛΑΝ, καὶ σχοῖνον, ᾗ γράφουσιν, ita vertunt: *Deinde autem sacrorum scriba procedit habens pennas in capite, librum in manibus, & vasculum, in quo SCRIPTORIUM ATRAMENTUM, & juncum, quo scribere solent.* Siquidem, cum Ægyptii papyro, & Memphiticis σχοινοις, *juncis* diteſcerent, necesse erat, ut τῷ μέλανι, *atramento* illam tingerent. Neque de ambobus testibus Horo, & Clemente dubites, quippe qui inibi gentium floruerunt, resque suas veteres probe calluisse tenendum est. Hunc Clementis locum inferne multis expendam, & librariorum oscitantiam in vocibus πτέρα, & κάνουν redarguam. Demum quo γραφὴν Ægyptiorum

atra-

Digitized by Google

atramentariam omnino firmem, præſto eſt tertium Horapollo, ſive Horus ibid. pag. 52. qui edicit gentem hanc ſuam uno calamo in ſcriptione uſam, negatque Ægyptiis aliud quidpiam γραφικὸν inſtrumentum; quibus verbis nihil mihi potius ac carius: Αἰγύπτια μὲν γράμματα διὰ τὸ τούτοις πάντα παρ' Αἰγυπτίοις τὰ γραφόμενα ἐκτελεῖσθαι· σκοίνῳ γὰρ γράφουσι, καὶ οὐκ ἄλλῳ τινί. E re mea eſt, ut Ægyptii papyros calamo litteris tinxerint, qui in hujus cap. extrema cera, quibus ὀργάνοις Hebræi ſcripſerint, plurima congeram.

v. Plutarchus in Solone pag. 160. edit. Steph. refert Draconem αἵματι potius, quam μέλανι leges Athenienſibus ſcripſiſſe: Διὸ Δημάδης ὕστερον ἀδοκίμησεν εἰπὼν, ὅτι δι' αἵματος, ἀλλὰ διὰ μέλανος τὰς νόμους ὁ Δρακὼν ἔγραψεν· legislatorem hunc non longe poſt ἡγεμονικὸν ævum victitaſſe ſcimus; ſi quis mihi moleſtiſſimus reponeret Plutarchum ad Draconis legum ſeveritatem augendam morem atramentariæ ſcriptionis ſui temporis ad eam priſcam ætatem tranſtuliſſe, is ſane Plutarchum ſcriptorem πολυμαθέστατον veterum ſcribendi rationis ignariſſimum traduceret. Præterea, etiamſi ſubleſtioris fidei ſit id, quod Plinius narrat de Numæ libris in charta conſcriptis, & quos in arca poſt annos 535. incluſos reperiſſe ait Cn. Terentium ſcribam agrum ſuum repaſtinantem, attamen, quod noſtra refert, ab ea hiſtoriola pro certo eruimus Plinium credidiſſe μελανογραφικὸς fuiſſe ejus ætatis homines, nam *chartarum*, non tabellarum meminit, quare etiam Numæ diebus μελανοδοχεῖα exſtitiſſe ſecundum hujus hiſtorici mentem nemo unus pernegaverit. Idipſum Livius antea ſcripſerat dec. 4. lib. 10. c. 12. verum hos duoviros in quibuſdam non magni momenti rebus diſſidere adverti. Apponam longiora Plinii verba, quippe jucunda lectu ſunt lib. 13. cap. 13. pag. 692. „ Ingentia exempla contra Varronis ſententiam de chartis „ reperiuntur. Namque Caſſius Hemina vetuſtiſſimus auctor Annalium „ quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium ſcribam agrum ſuum in Ja„ niculo repaſtinantem, offendiſſe arcam, in qua Numa, qui Romæ regna„ vit, ſitus fuiſſet. In eadem libros ejus repertos P. Cornelio L. F. Cethe„ go, M. Bæbio Q. F. Pamphilo Coſs. ad quos a regno Numæ colliguntur „ anni DXXXV. & hos fuiſſe e charta majore etiamnum miraculo, quod tot „ infoſſi duraverunt annis: quapropter in re tanta ipſius Heminæ verba po„ nam. Mirabantur alii, quomodo illi libri durare potuiſſent: ille ita ratio„ nem reddebat: lapidem fuiſſe quadratum circiter in media arca vinctum „ candelis quoquoverſus. In eo lapide inſuper libros impoſitos fuiſſe: pro„ pterea arbitrari eos non computruiſſe. Et libros citratos fuiſſe: propterea „ arbitrarier tineas non tetigiſſe. In his libris ſcripta erant philoſophiæ Py„ thagoricæ, eoſque combuſtos a Q. Petilio prætore, quia philoſophiæ ſcri„ pta eſſent. Hoc idem tradit L. Piſo Cenſorius primo commentariorum: „ ſed libros ſeptem juris Pontificii, totidemque Pythagoricos fuiſſe: Tu„ ditanus decimo tertio, Numæ decretorum fuiſſe: ipſe Varro humanarum „ antiquitatum ſexto, Antias ſecundo, duos pontificales Latinos, totidem „ Græ-

Digitized by Google

„ Græcos præcepta philoſophiæ continentes . Idem tertio ponit , quo „ comburi eos placuerit „ . Scias hæc Plinii verba etiam Allatium de rebus Græcanicis præ omnibus retro litteratis viris benemerentiſſimum pro antiquiſſimo chartarum uſu docto commentario honeſtare in Animadverſ. in antiquit. Etruſc. fragm. pag. 122. & miror Arduinum Plinianæ editionis promum locupletiſſimum hunc Allatii opus non vidiſſe.

Neque obliviſcendus Galenus antiquitatis peritiſſimus , qui ait ſub initium lib. 3. περὶ δυσπνοίας Theſſalum Hippocratis filium paternos commentarios ἐν διφθέραις, ἢ δέλτοις, *in membranis , vel papyris* inveniſſe , additiſque de ſuo non paucis, in unum collegiſſe : Ὁμολόγηται γὰρ ἔν ἤδη καὶ ταῦτα σωθεῖναι Θέσσαλον τὸν Ἱπποκράτους υἱὸν τὰ μὲν αὐτῦ τοῦ πατρὸς ἐν διφθέραις τισὶν, ἢ δέλτοις ἀρρόντα ὑπομνήματα, προσθέντα δέ τινα καὶ αὐτὸν οὐκ ὀλίγα. Si igitur ſcripti in papyris hi commentarii inventi ſint, atramento illitos opus fuiſſe quis dubitet ?

VI. Si vacuum mihi eſſet, plura vetuſtiora Græca volumina, & monumenta ætatis remotiſſimæ τὸ μέλαν ajentia in more fuiſſe perſcrutarer : verum id pluribus docere ſatietatis eſt, quam ut vitem etiam ſequentis ævi ſcriptores pæne omnes atramento ſcriptitatum eſſe ubique teſtantes prætereo ; præſertim cum exemplorum tum Græce, tum Latine pro atramentaria ſcriptura in eorundem libris meſſis dives proſtet : pauca, licet ſupervacanei operis ſit , addam . Notum eſt Horat. illud ſæpius recoctum, *illinere chartis ;* & quod de bono verſuum cenſore docet in fin. Art. verſ. 445. *Vir bonus . . . Incomptis allinet atrum Tranſverſo calamo ſignum :* & 2. ep. 2. v. 235. oſtendit atramentum , uti noſtro accidit , bene liquidum fuiſſe , utpote quod ſæpe pro litteris demittebat labem : *Sed veluti tractata notam labemque remittunt Atramenta , fere ſcriptores carmine fœdo Splendida facta linunt :* adde lib. 2. ep. 1. v. 114. *Et prius orto Sole vigil chartas, calamos , & ſcrinia poſco.* Et tritum vocabulum *litura :* Ovid. de Pon. ep. 12. v. 24. *Sæpe ego correxi ſub te cenſore libellos, Sæpe tibi admonitu facta litura meo eſt.* Sed præ omnibus ſat notus locus Perſii Sat. 3. v. 11. quem pueri omnes διὰ μνήμης habent, & præclare ad rem atramentariam facit, in quo τὸ μέλαν veluti γραφικῶς depingitur , ſcil. fuiſſe craſſius , & ſciſſam arundinem illud minime demiſiſſe : contra, infuſa aqua, in charta evanidos, & geminos characteres effinxiſſe ; & ubique ſcriptorum his Poetis συγχρόνων Græcorum, ac Latialium fere eadem de hoc atro liquore reperire facile cuique eſt : ſtruem exemplorum ex Ovidio, Plinio, Martiali collegi : ſed ipſe bene novi iſthæc facile unicuique præſto eſſe , dummodo ad ipſorum lectionem accedat hac animi mente, veteres revera atramento ſcriptitaſſe. Porro nimium diverterem, ſi ex Ovidii Epiſtolis, & De arte amandi pro atramento loca corraderem , præſertim, quo legentem oblectarem, ratum facerem τὰς ἐρασὰς adeo ſtuduiſſe ſcriptoriis humoribus, ut latentes in epiſtoliis litteras, quas ἐραστὴς ſolæ legerent, exarare didicerint.

Imo

Digitized by Google

Imo veteres γραφικοῖς liquoribus tantum operæ dediſſe novi, ut etiam aureos confecerint, queis ad exſcribendos maximæ famæ libros uſi ſunt: hinc habes in hiſtor. Auguſt. to. 2. pag. 70. matrem Maximini junioris dono dediſſe huic ſuo filio Homeri volumen in purpura aureis illitum characteribus: *Quum grammatico daretur* (Maximinus) *quædam mater ſua libros Homericos omnes purpureos dedit aureis litteris ſcriptos*; dignum principe juvene donum, & tantus vates peræque dignus eſt, qui privis ex auro elementis in purpura exaretur; & piget me, quotquot Homeri libris honores collatos meminerint, hoc Maximini volumen elegantiſſimum oblitos. Præterea conſului, quas initiis veterum librorum imagines appingi ſollemne fuit, & nullaſdum reperi, quæ cum ſtilo tabellas ſcalperent, ſed univerſe vel quadratos libros vel membranas calamo tingerent: teſtem voco Lambecium in commentar. in bibliothec. Vindebon. pag. 568. to. 2. ubi cernere eſt Dioſcoridem affabre pictum atramentario utentem, & quadrangulum volumen ſcriptitantem. In eodemque Lambecio pag. 317. to. 4. icunculæ ſe offerunt Evangeliſtarum Matthæi, & Marci cum quaternis, aut quinis inſtrumentis ad γραφὴν atramentariam ſpectantibus; ut S. Lucæ, & Dionyſ. Halicarnaſſei effigies præteream a Montfauconio adpictas Palæographiæ ſuæ pag. 22. & 24.

VII. Peccaſſem ſane, quippe Græca ſæpius, quam Latina verſans, ſi nullum in Cic. locum ſcrutatus eſſem pro rei atramentariæ tutela; cujus ſummi oratoris auctoritas & ornamenti eſt, & maximæ molis; ad Q. Fratrem ep. 25. lib. 2. videtur conqueſtus eſſe Quintus de epiſtolis prava ſcriptione ad ſe datis, quare de Tullii iracundia ſibi metuebat; reſpondit Cicero hac de re nihil ſuſpicandum, ſed ad familiares quovis calamo abuti in epiſtolis miſſitandis, verum in poſterum fore, ut bonum calamum, *atramentum temperatum*, & levigatam chartam adhibeat; orator maximus potius eloquentiæ vim, quam decentiam characterum, & μελαντίον quæſitiſſimum curabat. Verum de hoc cariſſimo mihi Tullii loco bene multa, & non pœnitenda dicturum inferne ſpondeo.

Quid ſi & in tanta Demoſthenis orationum luce τὸ μέλαν me inſpexiſſe non fugerit? Æſchinis pueri vitam ipſe ſale Attico perfricans graphice more ſuo deſcribit in orat. περὶ στεφάνου paullo ante finem: Πᾶς μὲν ὢν μετὰ πολλῆς ἐνδείας ἐτράφης ἅμα τῷ διδασκαλείῳ προστεδρεύων, τὸ μέλαν πρίβων, καὶ τὰ βάτρα σπογγίζων, καὶ τὸ παιδαγωγεῖον κορῶν, οἰκέτου τάξιν, οὐκ ἐλευθέρου παιδὸς ἔχων. Itaque Æſchines tanta rei familiaris caritate laborabat, ut pro ludi magiſtri mercede puerilem operam in atramento conficiendo (non in tabellis cera oblinendis, vel ſtilis cote acuendis) locaviſſet. Demum quo lectorem in re certa jam tædio fatiſcentem (miſſis etiam Auſonii verbis, cuique notis appellantis epiſt. 7. v. 48. characteres, *Cadmi filiolas atricolores*) exhilarem, epigramma ex Anthologiæ ἐπιτηδειότατον addam, quod ob Græcam puritatem, & quia ἄδηλον, perantiquum eſt, reor autem eſſe ex Meleagri συλλογῇ, qua in re Græce ſapientes,

Digitized by Google

tes, mihi amice conjuraturos ſpero, lib. 1. cap. 18.

Ἤμλω ἀγρεῖον καλαμῷ φυτόν· ἐκ γὰρ ἐμείο
Οὐ σῦκ', ὐ μῆλον φύεται, ὐ σαφυλή·
Ἀλλά μ' ἀνὴρ ἐμύησ' Ἑλικωνίδα λεπτὰ τορήσας
Χείλεα, κ' σεινὸν ῥῆν ὀχετευσάμεν῾ῳ·
Ἐκ δὲ τῦ ὅττε πίοιμι μέλαν ποτόν, ἔνθεος ἆα,
Πᾶν ἔπος ἀφθέγκτῳ τῷδε λέγω σόματι.

Piget me apponere Paulli Stephani μετάφρασιν, cum Græcam δεινότητα, & vim ingenitam ob Latinitatis egeſtatem non ſatis aſsecutus ſit, multoque minus ceteri interpretes; ſed ne videar nimium Græcis meis aſſentari, lubens aliorum judicium ſubibo, eamque exſcribam:

Nullus eram calamus, nullo bene cognitus uſu,
Non uvas, ficus, poma nec ulla dab m;
Muſarum ſum edocta ſonos, mihi culter acutus
Anguſtum in rivum parva labella ſcidit;
Ut nigros hauſi potus, tum numinis inſtar
Et muto voces quaslibet ore dedi.

Addam præterea ex eadem Anth. pag. 552. inter corp. poetar. epigramma alterum, quod fere omnia ſcribendi organa enumerat, idque reor pervetuſtum, parilis enim elegantiæ plenum eſt, ejuſque lepos nativus, non adſcitus, auctoremque ignoramus:

Ἡ φύσις ἐξεῦρεν φιλίης δεσμὸς ἀγαπῶσα,
Τῶν ἀποδημούντων ὄργανα σωτυχίης,
Τὸν κάλαμον, χάρτλω, τὸ μέλαν, τὰ χαράγματα χειρὸς,
Σύμβολα τῆς ψυχῆς τηλόθεν ἀχνυμένης.

Quod ita Latialiter do per otium, etenim verſiones omnes fidem Græcam poſthabent, ipſe vero transfudi γνησιωτέρως, & κατὰ λέξιν carmine concluſi:

Natura hæc invenit amoris vincula amatrix,
Abſentum quæ ſunt organa colloquii,
Et calamum, chartam, atramentum, ſignaque dextræ,
Symbola ſunt animi hæc, qui procul optat opem.

Hinc nihil certius colliges, quam veteres uſos non ceris, & tabulis, ſed chartis, calamis, & atramento in epiſtolis ad amicos abſentes miſſitandis, quanto magis in conſcribendis voluminibus? Hic porro appoſitiſſima forent ſeptena epigrammata tit. τῶν ταχυγράφων ejuſdem Anthologiæ, ſed longius exſpatiarer, illa opportuniori loco inferne ſervo, in quorum ſingulis atramenti, & hujus liquoris vaſculi mentio plena deſiderii mei eſt.

Et ne exputes me profana monumenta dumtaxat conſuluiſſe, poſthabitis omnino ſacris, quæ virum Eccleſiaſticum verſare cum primis neceſſe eſt, do Theodoretum Hiſt. Eccleſ. lib. 4. c. 16. pag. 684. Valentis Imp. tempeſtate vadem moris ſcriptionis atramentariæ conjuratiſſimum: Τὸν περὶ τῆς ὀρθείας γραφῆναι νόμον ἐκέλευσε· τοῦτον δὲ τῇ χειρὶ πειραθεὶς βε-

βαιῶσαι, ἓδὲ μίαν στοιχεῖα κεραίαν ἐξέτεινεν· ὁ δὲ κάλαμος σωστεῖβη· ἐπειδὴ δὲ ἡ ὁ δεύτερος, ἡ ὁ τρίτος κάλαμος τῦτο πάθος ὑπέμεινε, ἡ βεβαιῶσαι τὸν δυσσεβῆ νόμον ἐκεῖνον ἐφιλονείκει, ἐσείσθη μὲν ἡ δεξία, ἡ τρόμον ἐδέξατο· δείματος δὲ πλήρης ἡ ψυχὴ γενομένη, ἀμφοῖν ταῖν χεροῖν τὸν χάρτην διέρρηξε. Vides igitur, Valente edictum de Divi Basilii ejectione subscribente, divina ope ternos calamos diffractos; & paucis verbis conceptam decretorum vim in chartis, non in ceratis tabellis exaratam, atque Augustos ipsos atramento, & calamis, non stilis usos.

VII. His adde quamplurima cylindrica volumina ex papyro tum Græca & Latina, tum quædam ignotissimi ἰδιώματος inter præclarissima Herculanei spolia adnumerata nigris characteribus conscripta, de quibus in fine hujus libri. Præterea inter ejus oppidi rudera vidi egomet non vice simplici pauca quædam fragmenta exilium tabellarum lignearum lineis, & signis veluti musicis, ut quidam exputabant, distincta, quæ atramento picta sunt: in queis, sive tabella parva fuerit rationes accepti complectens, vel quidam adversariorum libellus, certe videre est lineas dextrorsum & siniſtrorsum ductas, easque ignotis σήμασι ubique conscisas & distinctas. Ceterum mea interest, ut advertas olim etiam tabulas atramento infectas, quas ceratas solummodo fuisse & ἀρχαιόλογοι, & jurisconsulti edixerunt.

VIII. Demum adeo verum dicas veteres atramento chartas tinxisse, ut in millenis Herculanensibus picturis nullas ceratas tabellas videas: e contrario non unos libros & papyros, vel membranas nigerrimis characteribus allitas cernamus. Inter ceteras omnium πεμβόητος pictura quinas circiter pedes longa, quaternos lata visitur, quam hic incisam do; prout a me centies conspectam exprimendam sculptori multa fide suggessi. Vides in medio virum seminudum assidere manu stringentem chartulam multis nigricantibus versibus tinctam cum notis ad characterum instar, quam impenso studio legit, quo exprimeret pictor Herculanensis veterrimum morem scribendi atramentarium etiam in judiciis publicis, in quibus cerata ligna adhibita inculcant universi.



Pro re nata mihi copia sit divinandi, quodnam argumentum pictor in hoc præclarissimo opere effinxerit. Scio litteratos ἀρχαιολόγους incolas, atque advenas multas venditasse hariolationes, sed longe ἀπροσδιονύσους. Ne autem exteri in animi mentem inducant Neapolitanos in

Digitized by Google

in rebus ſuis interpretandis alienigenarum doctas lucubrationes exſpectare, & cum ab hiſce de ejus oppidi admirandis antiquitatibus non una grandia volumina edita jam ſint; ſed peregrina potius, quam noſtratia curarunt: quo ipſe patrio decori ac famæ conſultum eam, hujus picturæ divinationem vero proximam apponam, cum certus ſim Regi Domino noſtro Auguſto futuram cariſſimam.

Plenæ ſunt eruditorum chartæ pictam hic objici veterem Romanæ reipublicæ hiſtoriam, ſed quam turpe ea in re erratum ſit, haud ſero quiſque noſcitat; eſt etenim pura putaque fabella, cum ſtantem pharetratam Minervam cernas, & inter mille eas picturas nihil Romanorum facinorum, aut ullum Latinum heroa, aut ducem reperire ſit: contra vero ſtatuæ vel proconſulum, vel Cæſarum effoſſæ ſunt; quare id accidat, juro me noviſſe, ſed longius a propoſito aberrarem, ſi nunc dicerem, feliciori tempeſtati id ſervo. Igitur cum certa Græcanica fabula hic depicta ſit, & judicantium parvam turbam intuearis, ex mythologia petendum eſt, in quodnam judicium Minerva adventaverit. Evolutis igitur quoad bonam partem Græcis meis ſcriptoribus, reperi ſolummodo in famoſum Oreſtis judicium Minervam accitam: idque pictorem mente, & coloribus intendiſſe pro certo habui.

De eo autem judicio non pauca Pauſanias in Arcad. lib. 8. cap. 34. pag. *669.* illevit, atque Æſchylus totam *Eumenides* inſcriptam tragœdiam compoſuit: quorum ſcriptorum fere omnia me in hoc opere deprehendiſſe gaudeo, licet pictori, ut moris eſt, aliquid audendi libertas fuerit. Itaque extremam hujus judicii πολυθρυλλήτου partem, quæ dramatis ſolutio eſt, artifex expreſſit, ſcilicet, cum Minerva, auditis furiarum criminationibus, atque Oreſtis propugnationibus, Areopagi judicibus cauſam detulit, quorum votis enumeratis, ac paribus repertis, Dea calculo ſuo pro Oreſte adjecto ἰσοψηφίαν diremit, Græcumque heroa maternæ internecionis reum abſolvendum edixit.

IX. Itaque hic vides Oreſtem heroica veſte ornatum, cogitabundum, timoris plenum, ac *triſtem*, ut vocat Horat. in Arte v. 124. manuque frontem prementem, dum judex enumeratis calculis ſententiam legit, atque alius Areopagi ſenex erectus curate auſcultat. Adeſt Minerva hilari vultu, & Oreſti animum deſpondenti benemerentiſsima loquentis habitu opem affert; quæ omnia in Æſchyli dramate facile tu ipſe legas.

Neque dubites, quin vetula illa recurva ad ſagæ exemplar capite obnupta, & longa inſolentique veſte ſubfuſco colore tincta induta, plurimam iram concoquens, & digito vultuque minax, ſit una ex grege Eumenidum, quas Æſchylus contra Oreſtem inducit. Reliquas binas mulierculas ſtolatas, & colore albo ſplendidas credas etiam Eumenidas, quas pictor noverat ex formidando aſpectu in hilaritatis ſpeciem immutatas, atque ad Oreſtis opem converſas, ex nigriſque albas factas, atque ex Fu-

Digitized by Google

riis Gratias evasisse, uti tenes ex Pausan. laud. loc. ideoque una illum amplectitur, quo addat timenti animos: Πεποίηται δὲ Εὐμενίσι ἡ αὐτόθι ἱερὸν· ταύτας τὰς Θεὰς ἡνίκα τὸν Ὀρέστην ἔκφρονα ἔμελλον ποιήσειν, φασὶν αὐτῷ φανῆναι μελαίνας· ὡς δὲ ἀπέφαγε τὸν δάκτυλον, τὰς δὲ αὖθις δοκεῖν οἱ λευκὰς εἶναι, ἡ αὐτὸν σωφρονῆσαί τε ἐπὶ τῇ Θέᾳ, ἡ ὅτω τὰς μὲν ἐνήγισεν ἀποτρέπων τὸ μήνιμα αὐτῶν, τὰς δὲ ἔθυτε τὰς λευκάς· ὁμοῦ δὲ αὐτὰς, ἡ Χάεσι θύειν νομίζουσι. Pictor autem Orestis gesta confundens ac miscens, quod alibi, & ante judicium acciderat, furias nempe ex atris in candidas conversas esse, oblivioſus credidit id in Areopago accidisse: vel etiam crederem in judicio ipso eandem fuisse μεταμόρφωσιν, quam Æschylus, quo drama esset luctuosius, reticuit: multa enim dubia adhuc erant in hoc judicio: sicuti Pausaniæ tempore dubitabatur a Perilao Clytemnestræ patruele, an a Tyndareo Orestes accusatus sit, vid. Pausan. ibid. Quare nihil vetat, quin de tempore mutationis Eumenidum in Gratias etiam dubitet quis, præsertim quando pictor Herculanensis Æschylo opponitur.

Ut autem divinationem etiam firmem, multa mixtim aggeram. Vides sane Minervam adesse *sine hasta*, atque ita in Areopagum pro Oreste adcurrisse ab Æschylo scimus: his verbis etenim Deam exorat Orestes v. 287.

Καὶ νῦν ἀφ' ἁγνῷ στόματι ἄφημος καλῶ
Χώρας ἄνασσαν τῆσδ' Ἀθηναίαν ἐμοὶ
Μωλεῖν ἀρωγόν· κτήσεται δ' ἄνδ' δορὸς
Αὐτόν τε, ἡ γῆν, ἡ τὸν Ἀργεῖον λεὼν
Πιστὸν δικαίως ἐς τὸ πᾶν τε σύμμαχον.

Optat igitur Orestes, ut Minerva ἄνδ' δορός, *sine hasta* sibi, & populo opem præstet: jure pictor illam *sine hasta* exhibuit. Neque hæreas, quin mulier hæc pharetrata sit Minerva, licet quibusdam veteres Græcos poetas parum versantibus videatur melius Diana; nam lunula in ejus fronte minime fulget, ut moris est hanc Deam fingere: quia sæpe pictores, & poetæ binarum dearum species & numina confudere: etenim Antiphilus in Antholog. lib. 4. cap. ἀπὸ στρατιῶν epigr. 9. Alexandri hastam Dianæ tanquam Deæ bellorum præsidi sacrat:

Δῶρας Ἀλεξάνδροιο, λέγει δέ σε γράμματ' ἐκεῖνον
Ἐκ πολέμου θέσθαι σύμβολον Ἀρτέμιδι, κ. τ. λ.
Hasta Alexandri, dicunt te litteræ illum
Post bellum dedicasse symbolum Dianæ, &c.

Et contra in eodem Anthol. capite bellica armorum ἀναθήματα fere omnia Ἀθήνῃ, sive Παλλάδι ab ducibus dicata vides.

x. Præterea hanc Eumenida anus aspectu deformem ex eodem Tragico traxit pictor v. 734. Ἔπει καθιπάζῃ με πρεσβύτιν νέᾳ. Et v. 851. Minerva alloquitur eandem, appellatque γεραιτέραν· nec non v. 6. Erynnies dicuntur,

....κόραι

Digitized by Google

. . . . κόραι
Γραῖαι, παλαιαὶ παῖδες, αἷς οὐ μίγνυται
Θεῶν τις, οὐδ' ἄνθρωπος, οὐδὲ θὴρ ποτε.

Aliter distinguit primum versum Cornel. Paw, consule ejus adnotat. hic. Videtur porro pictor ab hoc Æschyli dramate id omne expressisse, cum hanc Eumenida anum solummodo fecerit, ac statu motuque fœdam, non vero alatam: ceteri enim vates cum alis finxerunt, ut Euryp. in Oreſt. v. 317.

Δρομάδες ὦ πτεροφόροι,
Ποτνιάδες Θεαὶ,
Α'βάκχευτον αὖ θίασον ἐλάχετ' ἐν
Δάκρυσι κὠ γόοις,
Μελαγχρῶτες Εὐμενίδες.

Eas igitur dicit Eurypides πτεροφόρους, *alatas*. Quin & Virgil. Æn. 12. v. 847. de suo iisdem furiis serpentes addidit:

. . . . *Paribusque revinxit*
Serpentum spiris, ventosaque addidit alas.

E contrario Æschylus non uno loco eas divas alatas negat v. 51.

. . . . ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν
Αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι.

Et v. 250.

Τ'πέρ τε πόντου ἀπτέροις πωτήμασιν
Η'λθον διώκουσ', οὐδὲν ὑστέρα νεώς.

Pausaniæ autem fidem minime adjungere te jubeo, qui in Atticis lib. 1. cap. 28. p. 68. primum Æschylum finxisse ait serpentibus furiarum crines esse implicitos, cum in tota, quanta est Eumenidum tragœdia, hoc nullusdum repererit: fieri tamen potest, ut imperitus quis in Pausaniæ scriptoris curatissimi κειμένῳ id appinxerit: & miror neminem id mendacii, qui illum illustrarunt, advertisse.

Si autem unam habitu & colore Eumenidum hic cernimus, licet adversus Orestem multæ debacchatæ sint, optime sibi consuluit artifex, cum in omni hoc dramate una ubique loquatur, ceteræque prorsus sileant: hinc merito admonet lectorem Cornelius Paw in adnotat. pag. 1049. *Non a toto igitur choro, sed ab Erinnyum una hæc dicuntur*. Et v. 588. Eumenis ipsa fatetur se esse multas, unam vero contra Orestem contendere:

Πολλαὶ μέν ἐσμεν, λέξομέν δε σωφρόνως.

XI. Nullus præterea miretur, si in pictura invisat tentorium cum columnis, aulæisque quibusdam, sive sipario superne involuto, cum pictor ea ipsa in Æschylo legerit v. 688.

Πάγον δ' Α'ρειον, τήνδ' Α'μαζόνων ἕδραν,
Σκιωάς θ', κ. τ. λ.

Atque ipse artifici gratulor, qui minima quæque, sed vera ex Tragico imitatus est; & sane quam commendandus, utpote qui tanta fide hujus carmi-

Digitized by Google

minum ſententiam expreſſerit : iraſcendum autem noſtri ævi pictoribus, qui plerique omnes ignariſſimi ad hanc omnium præclariſſimam artem aggrediuntur.

XII. Nihil tandem clarius patefacit hanc divinationem, quam binæ ſedes, ubi ipſe actor, & reus Oreſtes adſident, cum ex Pauſan. eod. loc. eum judiciorum morem habeam : Τὰς δε ἀργυρᾶς λίθους (corrige δίφρους) ἐφ' ὧν ἑζᾶσιν, ὅσοι δίκας ὑπέχουσι, καὶ οἱ διώκοντες, τὸν μεν ὕβρεως, τὸν δε ἀναιδείας (corrige cum Adr. Junio ἀναιτίας) αὐτοῖς (corr. αὐτοὶ) ὀνομάζουσι, *duo argentea ſcabella* (nam *argenteos lapides* nihili ſunt, & miror neminem id adnotaſſe, quod pronum erat) *in quibus inſident rei, & accuſatores, alterum quidem contumeliæ, alterum innocentiæ, ipſi* (Athenienſes) *vocant*. Jure igitur pictor & bina ſcabella effinxit, quibus videre eſt inſidentes Oreſtem reum, & virum illum ſententiam ex charta pronuntiantem tanquam actorem : pelle autem ferina ſedem inſtravit pictor, cui inſidet Oreſtes, tum ad artis ſuæ decorem, tum pro viri honeſtate, advertas tamen noſtri ſchematis ſculptorem falſe pellem appoſuiſſe in ſella accuſatoris : ceterum Oreſtis ſcabellum in pariete ob temporis malignitatem vix cernitur : & ſane altera legentis ſedes ob partium exilitatem, quin metallica ſit, ne dubites. Utinam ambos illos ſcyphos ex argento haberemus, quos meminit Plin. lib. 33. cap. 55. in quibus judicium hoc Oreſtis, atque Areopagitas Zopirus cælator eximius expreſſit, fortaſſe cum iiſdem noſtra Herculanenſis pictura juxta congrueret.

XIII. Hæc διὰ βραχέων de harum præclariſſimarum perſonarum interpretatione, quæ perdiu tot doctis viris ſalivæ multum commoverunt : quarum explanationem longiori commentario oneraſſem, ſi nunc meæ pretium operæ eſſet : videor ἀνὰ βατταλίας antehac obſcuræ ſatis fabellæ haud malus Œdipus fuiſſe, cum fere omnes ejus picturæ partes cum divinatione conſpirent ; ſi qua aliquantulum exorbitet, vel audaciæ artificis, & arbitratui, vel ejuſdem pectoris dormitioni condonandum ; errores autem minime deprehendes, de quibus ſæpe conquerimur, & plenæ ſunt eruditorum chartæ tum priſcæ ætatis, tum noſtræ pictorum & ſculptorum τὰς παραβλέψεις patefacientes. Et ne veteris vel recentis ætatis pictorum oſcitationes refricem, quis ferat noſtratem Franciſcum Solimenium in ea arte elegantiſſimum, & quocum pæne extinctam indolemus, arcam fœderis depinxiſſe, cum Heliodori hiſtoriam e Machabæorum libris in omnium maximo Sacerdotum Societatis Jeſu templo coloribus expreſſerit ; quam quidem arcam in alterum Hieroſolymitanum templum invectam non legimus, & quo conceſſerat, omnino latet : quod παρόραμα fortaſſe ab Raphaele Urbinate pictorum principe hauſerat Solimenius. Vide Carpzovium de quæſtione, *Quorſum arca fœderis pervenerit*, Buxtorfium in *Exercit. de arc. fœd.* Friſchut *de non ſperanda arca fœderis*, & Theſaur. Theol. philolog. ut Calmetum taceam in diſſert. adſcripta ante Machab. libr. E contrario in id genus peccata Herculanenſem pictorem non impe-

Digitized by Google

pegisse cernis, sed potius fidum, & fabellæ tenacissimum se prodidit; si quæ aliquantulum exorbitant, eum ex industria non curasse dicas. Ceterum porro facessant, qui de Romana historia cogitarunt, imo scriptis mandare non veriti sunt. Utinam millenas reliquas picturas Herculanei ad nominis Neapolitani decus, ad omnium exspectationem, atque ad Regis Augustissimi desiderium is, cujus interest maxime, explicet tandem, & eruditione, qua pollet plurima, citius honestet, vel aliis id oneris imponat. Hæc satis, quo tandem quisque certus sit Ægyptios, Græcos, & Romanos in scriptionis usu atramentum, ac proinde ejus vascula concelebrasse.

XIV. Verum partes laboris mei sunt, utpote sacros codices fere quotidie volventis, hos etiam libros ab θεοπνεύστοις viris atramento illitos fuisse & conscriptos studio audentiori vindicare; quod si evincam, atramentariæ rei multa lux affulgebit, perdiu ingenitam ejus obscuritatem detergam, & late ob remotioris ævi vetustatem hujus atri liquoris receptacula inclarescent. Vocabula sanctæ linguæ scriptionem testantia ambo περιβόητα, & sexcenties repetita sunt ספר *scriba*, *liber*, *narravit*, & כתב, *scripsit*, *scriptura*; nunquam vero offendes voculam vel ceratis tabellis, vel stilo aptandam (de tabulis lapideis Mosaicæ legis, & de stilo ferreo Jobi paullo inferne dicam) & contra insunt voces bene multæ atramentariæ scripturæ obnoxiæ, *calamus*, *culter*, *charta*, *volumen*, *atramentum*, *atramentarium*; sane cum Hebræi scriptores omnium antiquissimi audiant, naturæ apte studuere, quæ omnibus ad exprimenda animi sensa colorem atrum cuivis complanatæ materiei idoneum præstat abunde; verum ars incidendi stilo tabellas illitas crassa materia, vel cera longe quæsitissima est, & indolem refert posterioris temporis nova quæque, & artificiosiora affectantis.

Itaque כתב & ספר vocibus solummodo utuntur Hebræi in cujusvis scriptionis usu, & nomine; & nullusdum potui unquam vestigare locutionem ita detortam, vel signatam, ut ex ea apud gentem sanctam morem invaluisse noverim stilo in tabellas στοιχεῖα incidendi, uti inter Latinos bene multæ sunt ῥήσεις id consuetudinis exprimentes, veluti *codex*, *tabellarius*, *stilus perfectissimus*, *impurus*, *censorius*, *vertere stilum*, &c. audacior non sane essem, si concludendum autumem Mosen, & Hebræos calamo, & atramento scriptitasse; meque magis urget ipsum Ægyptiorum disciplinis subactum hujus gentis morem scriptionis dubio procul addidicisse, neminemque unum latet non stilo, & tabellis, sed calamis, & papyro Ægyptios scribas usos esse, teste divite Horapolline, quem pag. 29. laudavimus: neque quis dubitet, quin tot voces ipsæ veterrimæ δέλτος, βίβλος, πάπυρος, χάρτης, φιλύρα, imo & κάλαμος nomina Memphitica sint, tum quia eorum etymon penitus ignotum est (quamquam Græculi, vel Ἑβραΐζοντες ægre & vi ab suo fonte extorqueant) tum quia plantæ, & frutices etiam apud exteras gentes servant nomen sibi appositum, ubi primum

Digitized by Google

mum enati, vel ubi optimi ſunt, & multiplices: cuique notus Mart. verſus lib. 14. ep. 3. *Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:* & Apul. init. lib. 1. de Aſin. *Niloticus calamus*. Verum miratus ſum ſemper ac in Mazochii Diatr. de Dipt. Quirin. pag. 38. relegi ῥῆπιν *calamum* oriri ab Chald. חולמוס, cum Chaldæi eam ab Græcis ſuffurati ſint, hi autem ab Ægyptiis ſuppilarint. Quæ deinde addit vir doctiſſimus, fateor me non tanti eſſe, ut eorum ſententiam adſequar: *Calamus vox primario ſignificatu non aliud fuit, quam inſtrumentum ſcriptorium, deinde propter ſimilitudinem de ceteris quoque arundineis uſurpatur:* cum ſciam calamum primum fuiſſe arundineum fruticem, deinde veteres aptaſſe, atque acuiſſe, ut ſcribendi eſſet inſtrumentum, quod de ſe ipſemet fatetur calamus in eleganti Epigr. a me adjecto pag. 33. ſeque vocat prius φυτὸν ἄγρειον, *ſilveſtrem plantam*, mox gloriabundus ſe prædicat *omnium linguarum inſtrumentum*. Adde Martial. & Apul. nuper laudatos.

XV. Inter has voces ſcriptorias δέλτος præ ceteris Ægyptia eſt, cum hæc regio Δέλτα audiat; vel melius quod fruticibus nomine δέλτοις abundet, in quibus ſcribebatur; etenim nomen Δέλτα huic regioni circiter ævum Auguſti inditum eſt: attamen vox δέλτος pro *charta*, ſive *papyro* antiquiſſima; & nil dubii eſt, quin plantæ nomen dederint locis, conſule Caſaubon. in Athen. cap. XI. p. 103. *Sciendum etiam, ceraſorum appellationem ipſius Ceraſuntis urbis natalibus eſſe priorem & antiquiorem: nedum ut Larenſis vera ſit ſententia*: Κερασοῦς *indubitanter dicta* ἀπὸ τῶν κεράσων, *ut* Ἀγνοῦς, Ἀναγυροῦς, Ῥαμνοῦς, Μιρρινοῦς, Σελινοῦς, Πυξοῦς, Μυελικοῦς, *& ſimilia his ab aliis plantis locorum deducta nomina*, huc uſque Caſaubonus. Hinc Jer. XXVI. v. 23. dum de volumine loquitur, & hujus pagellas appellat דלתות δέλτους, utitur voce Memphitica, & Hebræis ἐξωτικῇ, non una etenim eſt in ſancto codice vox alienigena, uti in ceteris ἰδιώμασι· & ut ſexcentas præteream, famoſæ ſunt ternæ illæ apud Danielem cap. 3. e Græcia ad Chaldæos invectæ cum ipſis muſicæ inſtrumentis, quas nemo dixerit Chaldæas, סומפוניה *συμφωνία* · פסנתרין ψαλτήριον · חתרוס κιθάρα, vox quidem Chaldæa tanquam ex κίθαρος· quare nihil mirum ſi Iſaias abutatur voce Memphitica דלתות. Neque adſentior Mazochio viro undequaque docto de Dipt. Quir. pag. 36. ῥῆπιν hanc Ægyptiam Hebræam eſſe ajenti, & quæ inibi præclare diſputat, aliquantulum turbata, ejus multa pace dicatur, mihi viſa ſunt. Pro re nata uti poſſem verbis Salmaſii τῷ πάνυ in funere ling. Hellen. p. 145. conquerentis de iis, qui vocabula exotica ab Hebræis Græciſque minime excernunt: *Inde illa omnia Æonum Valentinianorum nomina Ægyptiaca fuiſſe liquet, quæ pro Hebraicis interpretantur viri magni.*

Idipſum dicendum de peregrina voce *charta*, quam ἀπρονοήτως extrahunt ἀπὸ τῦ χαράττειν, aut χαίρειν. Neque te Mazochii auctoritas, qua floret maxima, abripiat, adſciſcentis vocem *charta* ab Hebr. חרט *ſtilus*, vel ab חרת *inſculpſit*, cum tabellæ, vel ſaxa ferreo inſtrumento incidantur,

non

Digitized by Google

non papyri, vel chartæ, neque unquam invenire est *chartas*, aut *papyros* cum adjuncto *insculptas*, sed vel *scriptas*, vel *illitas*, hinc Horatianum illud protritum satis, *illinere chartis*: contra ac sentit ibidem Mazochius, inquit enim: *Charta quasi* sculptilis *dicta, nam ea olim ex duriore materia parabatur, saxis, lateribus, plumbo, lignis*, quod auribus vel parum teretibus absonum est & durum: id tanto viro condonandum, quippe vel ipse in opinionem abripi passus est stilum calamo fuisse antiquiorem & apud Hebræos, qui id genus ferreo instrumento nunquam abusos in hoc capite abunde præstamus: *Antiquitus*, inquit cl. Mazochius, *litteræ cælo, aut stilo insculpebantur, unde characteres dicti, antequam scilicet pingendi atramento mos inoleviſset*. At fortasse non legerat vir summus Plinium lib. 13. cap. 36. apertissime commonefacientem chartas utpote tenuioris materiei calamis tingi: *Chartisque serviunt calami Ægyptii maxime, cognatione quadam papyri*. Quin diu miratus sum, pro tuenda antehac inaudita chartæ duritie, Suetonium vadem sibi adsciviſse: *Ergo*, ait vir magnus, *quia antiquitus litteræ scalpebantur, & charta ex duriore materia fiebat, unde chartam plumbeam apud Suetonium reperire licet in Nerone cap. 20. inde a sculpendo tractum est chartæ nomen*. Verum Suetonius inibi nihil prorsus de charta scriptoria commeminit, sed solummodo de lamina quadam plumbea, quam conservandæ vocis causa Nero pectori apponebat: verba historici exscribam non quidem decurtata, quo sententiam plane noscas: *Nec eorum quicquam omittere* cœpit *quæ generis ejus artifices vel conservandæ vocis causa, vel augendæ facilitarent: sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinere, & clyſtere vomituque purgari; & abstinere pomis, &c.* Hinc etiam Facciolatus sanctioris Latinitatis promus condus in lexico voce *charta* adnotavit: *Charta plumbea pro lamina plumbea, Suet. in Ner. c. 20. lamina enim extensa est chartæ persimilis*. Nihil igitur ex Suet. verbis colligere est chartam olim ex duriori materie constitisse. Scio Vossium in Art. Grammat. lib. 1. cap. 35. eadem Suetonii verba de charta scriptoria interpretatum esse, unde fortasse locum Mazochium arripuisse suspicor.

Adeo verum dicas chartas plumbeas hic accipi pro laminis, quæ ad instar chartarum sunt, ut hanc Suetonii φράσιν celebratissimam legerim etiam apud Græcos scriptores: porro Josephus contra Apion. lib. 1. circa fin. pag. 466. edit. Avercamp. refert Hebræos lepra fœdos chartis plumbeis inclusos in mare dejectos: Τὰς δὲ λεπρὰς εἰς μολιβδίνας χάρτας ἐδήσαντας, ἵνα καθῶσιν εἰς τὸ πέλαγος. Ad hæc Salmasius to. 2. Hist. Aug. p. 548. bene multa eruditionis plena aggerit de ὑποχαρτώσει, & ὑποπλακώσει, interque ceterea edicit: *Nam* χάρται & πλάκες *idem sunt, hinc chartæ plumbeæ, chartæ aureæ pro laminis aureis, vel plumbeis*; laudatque epistolas Pontificum: ipsum consulas. Et bini PP. Benedictini in opere diplomat. Gallice scripto me docuere to. 1. p. 473. Sergium Pontificem trullum Ecclesiæ fusis *chartis plumbeis* cooperuisse. Animadvertas etiam Plutarchum scri-

Digitized by Google

pturam in plumbo appellaſse γραμματίδιον μολίβδινον, fortaſse χάρται μολίβδινοι, in ea, quam diximus laminarum notione ſolummodo accipiebantur, de virtut.mulier. p.254. edit.Francofurti: Ἐνέβαλε μολίβδινον γραμματίδιον εἰς πλακοῦντα. Atque Æneas in commentario Poliorcet. cap.31. pag. 1790.in fine to.2. Hiſt. Polybii plumbum characteribus ſcalptum non vocat χάρτλω μολίβδινον, verum ita rem circumſcribit: Πρὸς δὲ πηλὸς, καὶ τὰ ὕδατα, εἰς κατσίτερον ἠλασμένον λεπτὸν γραφέσθω, πρὸς τὸ μὴ ἀφανίζεσθαι ὑπὸ τῶν ὑδάτων τὰ γράμματα, *ut autem nihil ſcriptis noceant, neque lutum, neque aquæ, ſcribebatur in candido plumbo, quod malleo ad magnam tenuitatem fuerit ductum, ne aquis litteræ deleantur.* Cur hæc omnia Mazochium virum æternæ lectionis fugerint, ignoro. Quæ Fungius pag. 45. *de chartis plumbeis* affert, non ſunt unius aſſis.

Igitur cum charta tenui admodum materia conſtiterit, in eaque characteres ferro inſculpi haud potuerint, ſed ſolummodo atramento tingi, ſequitur ejus etymon ab חרט *ſtilus*, vel ab חרת *inſculpſit* neque ratum, neque genuinum dici poſſe, ſed fatendum nobis illud prorſus ignotum, cum vox *charta* fruticis Ægyptii nomen ſit. Multa afferre poſſem, ſi id agerem, de his ἐξωτικοῖς ſcriptionis vocabulis, quæ quidem ſervo pro Homerici anaglypti illuſtratione, qui ſua poemata non unis Memphiticis vocibus honeſtavit, præſertim cum de peplo Helenæ verba mihi factitanda ſint.

XVI. Age, ut huic ſententiæ momentum addam, fere cuncta divini codicis verba τὰ πρὸς γράφω penſitemus, quæ LXX. viri, & Latiaris interpres vel ſæculi genio, vel errori ſervientes Hebræis ſcribis ſæpe ſtilum & tabellas, ſæpe calamos & chartas ἀκαίρως atque ad arbitrium attribuerunt; & dum medelam eorundem verſionibus faciam, Hebræos atrum liquorem ſanctis libris ſolummodo infudiſſe oſtendam; atque illud poſthac ἱερὸν μέλαν vocitare fas erit, & vaſculum, quo is liquor continebatur, ἱερὸν μελανοδοχεῖον. Porro certum eſt Hebræos omnino ignoraſſe uſum ceratarum tabellarum; nullibi enim ſanctorum voluminum ejus rei leve veſtigium reperire eſt, & vox דנג *cera* ἁπλῶς audit, quod e melle excerpitur; ne Machabæorum quidem ævo, quando jam cum Romanis, aliiſque profanis gentibus pacta feriebant, in moreſque earum ſenſim dilabebantur. Porro ſi veterrimi hominum ceræ ſenſa ſua quiſque mandaſſent, omnium primi Hebræa gens idipſum factitaſſet.

Præterea me cupido inceſſit, num ex eodem divino codice ſubluceret vel tenue ſignum tabellarum ſtilo inciſarum, ſed fruſta mihi labor fuit, nam vox לוח *tabula*, & לוחות *tabulæ* ubique communi notione accipiuntur, uti apud Græcos πίνακες & πλάκες: nullumque mihi faceſſitur negotium, ſi in Exodi 22. & ſeqq. ſæpe ſermo ſit de Moſis tabulis lapideis, cum quiſque ex ſe ipſe arguere poſſit, legum divinarum mandata, ut calamitati temporum obſiſterent, cunctiſque legenda proſtarent, oportuiſſe ſaxo inſculpi, non chartis pingi. Idipſum dicas de Jer. loco 17.1. exprobrantis populo: *Peccatum ejus exaratum ſtilo ferreo in ungue adamantino, &*

in

Digitized by Google

in tabula cordis eorum, & *in cornibus altaris*, quod dubio procul æneum erat; & tabulas, licet hic μεταφορικῶς sint, etiam ſtili acie ſculpi opus fuit: imo Machabæorum tempore, cum ad majorem luxum omnia oportuerit defeciſse, ultra progreſſum eſt, atque in æneis tabulis cum Spartanis Romaniſque icta fœdera inciſa legas; quod & aliis gentibus in more fuiſſe in publicis litteratis monumentis norunt omnes. Hinc ſat lucis affulget non unis ſacrorum voluminum locis, veluti Iſa. cap. 30. v. 8. *Scribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud:* verum על לוח verte *in tabula* non autem *ſuper buxum*, cum לוח ſit plerumque nomen γενικόν, & adnotet quamcumque expanſam materiem, ſive æneam, ſive ſaxeam, ſive ligneam: neque hinc colligas Hebræos ſcriptitaſſe in ligneis tabellis, ut, quotquot doctiſſimos interpretes legi, edicunt: verum ex Iſaia contrarium tenes, cum jubeat prophetiæ verba tum palam exarari in tabulis fortaſſe marmoreis, quo omnium oculis exponerentur, tum atramento, uti ſollemne erat, in libro etiam ſcribi, quo Hebræa poſteritas in omne ævum legeret: quem duplicem ſcribendi morem ubique gentium ſemper viguiſſe nulluſdum inficiabitur.

Idipſum prorſus, quod Iſaias, optat Jobus cap. 19. v. 23. & 24. cujus verba, ut in Hebræo fonte ſunt, accipe, cum Græca, & Latiaria aliquantulum ab eo recedant: *Quis ſane det & ſcribantur ſermones mei, quis det ut in libro exarentur? In ſtilo ferreo, & plumbeo per ævum in rupe incidantur?* Vides igitur Jobum apprecari, ut *liber*, qui atramento illinitur, & ut *ſilices*, qui ſtilo indigent & plumbo (quo exciſi characteres impleantur, uti probe intelligit Codurcus) excipiant ſermones ſuos. Itaque, hic te rogatum vellem, ne quoſvis interpretes inviſas, cum univerſi crambem recoquant, veteres nempe in γραφικῷ negotio ligna, ceras, plumbum uſurpaſſe, & perquam ſero atramentum invectum. Auguſtino Calmeto iraſcor, qui pro hujus loci explanatione quædam verba recitat longiſſimi, & ſatis inficetioris ſæculi epitaphii Sertii cujuſdam paraſiti, quod ex Manut. orthogr. laudat oblitus Theſauri Gruter. ubi etiam pag. 329. proſtat, atque in extrema cera a doctis viris exſibilatur. Demum ne mihi opponas locum Abacuci cap. 2. v. 2. *Et reſpondit Dominus, & dixit: ſcribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, ut percurrat, qui legerit eum:* & Græci interpretes auſi ſunt etiam hic ipſam tabularum materiam determinare, *buxeam* ſcilicet: Γράψον ὅρασιν σαφῶς εἰς πυξίον, ὅπως διώκῃ ὁ ἀναγινώσκων αὐτά· ne opponas, inquam, quo Hebræam ſcribendi cum ſtilis, non cum atramento rationem tuearis communi opinioni juratiſſimus: reponam etenim hujus prophetæ verba ejuſdem ſententiæ eſſe & ponderis, quo ſunt illa Iſaiæ, ac Jobi paullo ante excuſſa: juſſiſſe nempe Deum, ut Abacucus tum in libro ſcriberet viſiones vulgari more, atramentario ſcilicet, ideoque Hebr. eſt כתב in prima commatis parte, i. e. *ſcribe, uti moris eſt*, tanti enim valere τὸ כתב ſuperne inculcatum eſt: tum etiam in ſecundo commatis membro ne dubita, quin imperarit Deus, ut

Digitized by Google

eaſdem viſiones *incideret* propheta *in tabulas marmoreas*: cum Hebrææ voces ובאר על הלחורת ita vertendæ ſint, non ut vides Græce, & Latialiter, longe enim ambo interpretes ab earum vi ingenita diſceſsere, imo Græcus inficete reddidit σαφῶς verbum באר, quod Hebræi tirones norunt valere *effodere*, hinc etiam באר *puteus* eſt, & בור *fovea* & *ciſterna:* firmant cum primis, quod adſero, ea quæ adjicit Abacucus: *ut viator etiam relegat:* etenim tum quæ palam in ſilicibus, tum quæ grandibus characteribus inciſa ſunt, lectu facilia etiam iter agentibus. Tutemet igitur advertis, quam bene ſibi σύμφωνοι ſint terni hi prophetæ Iſaias, Jobus, & Abacucus, non ſolum principem atramentarium ſcribendi uſum nos docent, verum etiam in lapideis tabulis adhibendum eſſe ſtilum.

XVII. Hæc quidem plana; urgeor maxime, eo quod in ſanctis libris plus vice ſimplici *ſtili* mentio eſt, cujus inſtrumenti uſus atramentariæ ſcripturæ κατ' ἐξοχὴν opponitur; verum quæ ſentio paucis dabo: vocem עט, quæ *calamus* eſt, interpretes, prout eis lubebat, nunc *ſtili*, Latiali genio abrepti, nunc *calami* nomine donarunt: ſiquidem in Pſ. 44. v. 2. *Calamus ſcribæ* legimus; e contrario 4. Reg. 21. 13. interpres ῥαβδώσως *ſtilum* & *tabellas* appoſuit; vox etenim צלחרת eſt *paropſis*, *lebes*, & ſecundum LXX. πύξις, nunquam vero *tabella*, primumque σφάλμα alterum ſecum traxit, & verbum הפח verſum eſt, *ducam crebrius ſtilum*, veluti ſi inibi μεταφορικῶς de ſcriptione ſermo ſit, cum nihil ſecus; conſulantur de his vocibus orientalium linguarum magiſtri, doctique interpretes; mihi ſat eſt admonere inibi agiographum nihil prorſus de ſtilo ſcriptorio cogitaſſe; non enim tanti ſum, ut tenebricoſum hoc comma luce adſpergam.

Nec meæ ſententiæ Hebræis atramentariam ſcriptionem vindicantis obſiſtunt verba Iſaiæ cap. 8. 1. *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis: velociter ſpolia detrahe*, &c. etenim vox חרט, quam *ſtilus* Latini, & Græci γραφὶς reddidere, obſcuritatis plena eſt, vide commentarios; verum lubens utrique verſioni adſentiri poſſem, dummodo nemo propterea exiſtimet Iſaiam librum ferro exaraſſe; inibi חרט אנוש *ſtilus hominis* accipienda ſunt pro methodo, & aperta facilique ratione ſcribendi, minime vero pro ferreo inſtrumento; atque hoc pacto concipiendum eſt Dei juſſum: *Scribe ita luculenter oraculum, ut perſpici ſtatim ab hominibus queat, non verbis ſanctis myſteriis refertis, ſed ſermone a quavis ambiguitate ſecluſo*; hoc quidem pronum, atque ex Chaldæa παραφράσει hauſtum eſt, & huic interpretationi fere omnes adhæſere. Attamen, quæ ipſe cogitarim, apponam. In tenebricoſa hac voce חרט deprehendo calamum ipſum γραφικὸν, (*libro* enim *grandi* גליון גדול convenit calamus, non ferrum) non vero planam ſcribendi rationem, & methodum, & vox אנוש *hominis*, Hebræa ἔμφασις eſt, & quæ ſæpe, uti notum eſt, παρέλκει; præſertim cum verba ejus prophetiæ non aperta, neque ad hominum intelligentiam prona, ſed e contrario omnium ſunt caliginoſa & μυσταγωδη· quis etenim ſtatim advertat, quid ſibi velint breviſſima hujus obſcuriſſimi Prophetæ ver-

Digitized by Google

verba : *Velociter ſpolia detrahe, cito prædare ?* Itaque non parum prima interpretum ſententia labat. Si vero quis mihi intercedat voces *calamo hominis* eo ſenſu otioſas omnino eſſe, repono etiam tirones noſſe ſtilum ſanctum plurimum nativæ ſimplicitati ſtudere . Verum, quæ ſequuntur, longe melius hanc vocem חרט explanant.

XVIII. Præterea, ut ſponte difficultatibus obvius fiam, eadem ῥῆσις חרט Exod.32.4.quin pro ſtilo ferreo aperte accipiatur, nullus dubitat, cum inibi dicatur Aaron vitulum formaſſe aureum בחרט *in ſtilo*, quem niſi dicas metallicum, auro cælando poliendoque ineptiſſimus fuiſſet; igitur, dicat quis, ſi Iſaias *grandem librum* בחרט conſcripſerit, non *calamo*, ſed tabellas *ferreo inſtrumento* exſculpſit. Verum Exodi locus hic tanta laborat obſcuritate, ut æternis commentariis mactatus ſit , & nemo adhuc unus ex ſummis viris clara illum luce adiperſerit; imo Samuel Bochartus Jerozoic.to.1.lib. 2. cap. 34. pag. 334. & ſeqq. edit. Londin. cum adnotaſſet hoc Exodi κόμμα tenebris undique premi, & verſiones inter ſe diſtare , *quantum Hypanis Veneto diſtat ab Eridano*, tandem Jonatanis verſionem ſecutus interpretatur חרט *ſaccum*, *crumenam*, reſpuitque omnino *ſtilum;* ne longus ſim, tantus vir adeatur rogo. Ne credas H. Stephano in Theſ. voce γραφίς, quam hic LXX. viri allevere, ſatis importune vertenti *opere fuſorio.* Scio Mazochium τὸν πάνυ idipſum vocabulum Exodi, de quo tot turbæ ſunt, accepiſſe pro *ferro ſcriptorio* in Diatrib. Dipt. Quiriniani eruditionis plena pag.38. qua ratione innixum, prorſus ignoro; verum inibi Aaron ſtilo utitur in aurei vituli idolo conformando , nihilque penitus de re ſcriptoria fingi poteſt.

Nec refragandum mihi eſt vocem חרט aliquando pro *ferrea virgula*, aut *cælo* accepiſſe Hebræos, uti Moſen in hoc vitulo aureo, & Iſaiam 3.22. pro *aciculis muliebribus*, quibus calefactis illæ utebantur ad intorquendos capillos, ſed id nominis ferreis fiſtulis tributum eſt, quia cavæ, & ob ſimilem formam ſcriptoriæ arundinis; Latinique ipſi hoc muliebre inſtrumentum ex ferro eadem ratione *calamiſtrum* vocitarunt ; atque apud Græcos vocem γραφίς tum atramentariæ ſcripturæ, tum ſculpturæ propriam eſſe vel ex lexicis conſtat . Quare ſicuti voces *calamus*, & *calamiſter*, una *lignum*, altera *ferrum* adnotat, ita ſane Hebraica חרט pro loci ſententia nunc quid *metallicum*, nunc quid *ligneum* menti legentium ingerit: quod cum non adverterint, ac ſecreverint doctiſſimi viri, quotquot ſancta volumina quæſitiſſimis commentariis honeſtarunt, omnia nobis turbata ejus vocis cauſa præſtiterunt. Propterea probe concludam Latinum interpretem parum fidum fuiſſe , ſuæque verſionis ſtilo non ſincere Hebræa vocabula ſignaſſe atque expreſſiſſe, cum *ferrum*, & *arundinem* una confuderit: contra apprime commendandus cum voces תער הספר in Jer. 36.23. ubi de inſtrumento ſcriptorio ſermo eſt, verterit ἀκαίρως *ſcalpellum ſcribæ* , quo librarii Hebræi calamos acuebant aptabantque ad ſcribendum, vel ad eradendas litteras: & videtur exſcripſiſſe locum Suetonii

in

in Vitell. cap. 2. qui de Cn. Piſone ait, *ſcalpro librario venas ſibi incidit*: ex quo Jeremiæ loco firmatur magis mos ſcriptionis veterum per calamum, non per ferramenta, quæ quidem, ut acuerentur, cote indigebant, arundines ſcalpello. Demum Salmaſium, cum more ſuo in Hiſt. Auguſt. to. 2. pag. 502. 503. penitiora quæque de voce *calamus* tum Græce, tum Latine exprompſerit, de ῥήτει חרט omnino oblitum demiror.

XIX. Reſtat demum, quod me magis mordet, cl. Mazochii auctoritas, quæ mihi ejus ἀκροάτῃ diuturno ſemper ſanctiſſima fuit; ut enim vir ſummus in Diatriba altera de Dipt. Quirin. pag. 34. oſtendat voluminibus cylindricis antiquiora fuiſſe diptycha, Hebræis ſcriptoribus duriorem materiem, *ligneam*, *plumbeam*, & *marmoream* attribuit, quamquam pag. 37. eiſdem *membranas* minime deneget; momentum ſententiæ ſuæ trahit ex Chaldæorum, Syrorumque poſterioris ævi ἰδιοπτμῷ, non ex puro priſcoque Hebræo fonte; eo quod Chaldæi, Syri, Arabes vetuſtiſſimam, ac Moſaicam vocem ספר, *ſcripſit*, *numeravit*, *liber*, in degenerem notionem detorſerunt, i. e. *raſit* & *dolavit*, hinc concludit Mazochius noſter Hebræos etiam veterrimos tabellas uſurpaſſe, non chartas, hinc ſtilo incidiſſe, non atramento ſcriptitaſſe; *dolare* enim & *radere* duriori materiæ convenire ait vir ὁ πάνυ. Verum quantæ auctoritatis ſint interpretes hi ſequiores, quantumque nativam Hebrææ veteris διαλέκτῳ vim infirmarint, norunt, qui verſiones illas iterum aut ſemel nimium patienter conſuluere. Optaſſem autem, ut Mazochius e ſacro codice exemplum unum vocis ספר pro *radendi dolandique* διαγνώτῃ adſcripſiſſet. Hæc adnotanda cenſui, ne tanti viri valens & gravis auctoritas rei atramentariæ rationes plurimum labefactaret. Si vero eo quod Moſes ceterique ἀγιόγραφοι calamis, non ferro; & chartis, non tabellis uſi ſint, vis omnis rationum, quas pro diptychorum vetuſtate præ teretibus voluminibus aggeſſit, nutant, ſatis eſt ipſe Mazochius ſanctæ linguæ interpres ὁ πελαυγής, ponderoſiora adſciſcere. Verum volumina, an diptycha ſint vetuſtioris ætatis in παρέργῳ in fine hujus lib. I. aſſuto pluribus habebis.

XX. Præterea quid ſi aperte oſtendam charta, & atramento uſos eſſe Hebræos? Cap. 7. v. 16. Tob. in celebritate nuptiarum filii legimus: *Et accepta charta fecerunt conſcriptionem conjugii*; ſane chartæ τῷ μέλανι ſcribebantur: ſcio veterem Græcam verſionem pro *charta* præferre βιβλίον, *librum*, vocem γενικωτέρων, verum probe conjectandum eſt olim lectum fuiſſe βύβλον cum litterula υ, *papyrum*, *chartam*, quod utpote non tam tritum vocabulum, ejus vice injectum eſt potius βιβλίον, & quidem βύβλ⊙, *charta*, ſatis erat nuptiali conventioni, ſubſcriptioni, ſigilloque: Λαβὼν βιβλίον (corrige βύβλον) ἔγραψε συγγραφὴν, ᾗ ἐσφραγίσατο. Quantum autem differant vocabula βίβλ⊙ ſive βιβλίον, & βύβλ⊙ accipies in eodem παρέργῳ, quod in fine hujus lib. I. ubi non unis ſacrorum codicum locis lucem impertimur, appoſui: quæ cum prona ſint, cur tot doctiſſimi interpretes non adverterint, ignoro.

Aper-

Digitized by Google

Vehemens & perquam dives teſtimonium pro atramento mihi ſe offert Jerem. 36. 18. Interrogavit Baruchum filium Neriæ populus, *Quomodo ſcripſiſſet ſermones comminationum ex ore Jeremiæ*, repoſuit Baruchus tanquam ludibundus, vel potius σαρκάζων: *Ex ore ſuo loquebatur, quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos, & ego ſcribebam* על חספר בדיו *in volumine cum atramento*; qui locus pæne ἀποδεικτικῶς ſcribendi morem *cum atramento* firmat: etenim importunæ interrogationi, quo pacto librum illeviſſet, Baruchus Jeremiæ ſcriba appoſite reſpondit, *atramento*, i. e. communi nigricanti liquore, cuivis ex vulgo noto. Quin autem דיו, licet vox ἅπαξ λεγομένη, *atramentum* notet, nemo unus adhucdum temporis dubitavit. Inferius etiam vas ipſum, nempe *theca calamaria* ſancto idiomate conſecrabimus, cum de hac voce diſputandum ſit.

Itaque, ut quæ aliquanto prolixius corrogata ſunt, σωτόμως colligam: pro virili adniſus ſum fere omnia Hebræorum teſtimonia pro tuenda τῇ μέλαν vetuſtate aggerere. Si autem Auguſtini Calmeti diatriben de ratione ſcribendi Hebræorum hic ne meminerim quidem, non te pœniteat; etenim vulgata quæque corraſit, & quæ Græcorum erant, & Latinorum propria pro negotio γραφικῷ ad gentem ſanctam importune tranſtulit. Præterea quædam ab initio hujus cap. protuli Græcorum, & Latinorum valentiora pro atramento exempla, quis enim ſatis ſit univerſa converrere in tanta utriuſque linguæ Scriptorum vi & ſtrue? Reliquus nunc mihi eſt labor improbus, ut bene multis affatim faciam, quæ prompte objici poſſent quoad Græcorum locutiones (cum me ab iis Hebræorum facile jam liberarim: Latinorum autem plurimæ φράσεις, atque contortæ omne cap. 5. & 6. occupabunt) ut ex ipſa contentione ſententiæ meæ pro primigenia atramentaria ſcriptione ſanctius ac firmius momentum arripiam. Neque vellem, ut queraris, cum ſubſequens cap. 4. prolixitate laborare videas, & diu te inter Græca verſari oporteat, fortaſſe ſpes eſt, fore ut te rerum varietas, & Scriptorum elegantiſſimi ſæculi verba vel luce multa a me aſperſa, vel nimium affecta veteri decori reſtituta oblectent. Cogitaram ſane in binas partes illud incidere, quo veluti in longo itinere quieſceres, verum adeo res ſibi cohærent atque aptantur, ut diviſioni locus nullibi opportunus mihi occurrerit. Ceterum ea, quæ eodem collineant, ſi una ſint & ſimul aſpiciantur, magis probantur, diſtracta vero potius obturbant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quæ multa objiciuntur ex Græcis Scriptoribus pro lignea, vel cerata scriptione refelluntur, atque aliter accipienda, scholiastis, & interpretibus posthabitis, demonstratur.

I. *Ignei, vel cerati libri conficiendi difficultas; qui exstant, scimus esse recentioris ætatis: qui reliqui sunt universi omnes vel ex papyro, vel ex membranis.* II. *Doctissimi quique, ne Mazochium quidem excipias, conjuratissimi omnes Homeri ævo in tabulis scriptitatum perperam edicunt; cujus versus* γράψας ἐν πίναξι, κ.τ.λ. *spurius traducitur, ab rhapsodis assutus.* III. *Plurimi versus Pseudhomerici.* IV. Πίναξ *&* πινακίδιον *felici Græcorum ætate nunquam pro re scripta; atque iis, quæ objici possunt ex Aristotele, & Demosthene, respondetur.* V. *Demosthenis locus longe tenebricosus & affectus restituitur, cui frustra medelam facere tentavit Corsinius.* VI. *Quod Thucidides* ξύσμασι *vocat, grex non cultioris ævi Scriptorum præposterе dixere* πινάκιον. VII. *Plutarchus in Pericle mendacii arcessitur, contra Thucididi præstanda fides.* VIII. *Vox* πυκτός *in Homero legitur etiam* πηκτός, *&* πυκτός, *quod non adnotavit Barnesius.* IX. *Etiamsi* γνήσιος *sit versus hic Homericus longe diversa dicit a re scriptoria:* γράφειν *in divino vate est potius vocabulum* bellicum. X. *Quid revera* σῆμα *&* σημαίνειν *Homericum, antehac ignotum: Luciani locus, & ipsius Homeri appositissimus.* XI. *Ad Prætum Bellerophon non libellum, sed tesseræ quandam speciem attulit: Argilii adolescentis exemplum.* XII. *Vox* πυκτός *Homero ignota, restituitur vera,* πτηκτός *scilicet huic vati sollemnis. Plinius, Lucianus, & Eustathius notati.* XIII. *Ignoratur Homeri, & Hesiodi ævo, quæ vox Græca τῷ* scribere *responderit.* XIV. *In Herodoto cerata scriptio Græcorum non est, teste etiam Polluce, sed cera* γραφική *Persarum propria.* XV. *Plurima lux Gellio, & Justino, primus sane oblivioſus traducitur, & turpe mendum ab altero abstergitur, eique fides desideratur. Trotzius reprehenditur.* XVI. *Exempla dolosæ scriptionis Græcorum per atramentum, non per ceras.* XVII. *Persas in tabellis scriptitasse firmat Ælianus: cujus verba inficete conversa: & Græca ob amanuensium incuriam mutilata restituuntur.* XVIII. *Quid in Æliano* διάνοιαι *Græcis, & Latiaribus auctoritatibus commonstratur.* XIX. *Aristophanis versus pro cerata scriptura luculentissime ostenditur satis inepte in Latinum conversos; & tum scholiastas, tum doctissimos interpretes mirum in modum deceptos.* XX. *Alter ejusdem Comici locus pro cera peræque exploditur, & puerilia* παραράμματα *interpretum deteguntur.* XXI. *Tertius Comici locus pro lignea scriptura explanatur.* XXII. *Quartus demum pro cera difficillimus expenditur; & quid revera sit* τὸ τήκειν *in Aristophane, antehac ignotum, ostenditur.* XXIII. *Vehementissimum Demosthenis testimonium pro ceratis tabellis plurimis rationum momentis infringitur: VVolfii versio satis infida traducitur. Summi Oratoris sententia male interpuncta restituitur.* XXIV. *Scriptio quædam* ἐν μάλθῃ *fortasse Stephani commentum.* XXV. *Non esse Demosthenеam hanc contra Stephanum orationem non una divinatione ad credendum rapior. Querelæ de Funcio, & Trotzio. Scapulæ puerile peccatum.* XXVI. *Salmasius in hunc tenebricosum Demosthenis locum commentario longiori omnia miscuit ac turbavit.* XXVII. *Vox* κηρός *importunissima ex Diogene Laertio erasa, & sincera* κέδρος *restituta, quod non fecit Menagius.* XXVIII. *Adversus Scultigium, & Einecciuм vocabula* πίναξ, *&* σίδηρος *in Themistio explicantur.* XXIX. *H. Stephani* παρόραμμα *dicentis* πεύκην *accipi pro pugillaribus ex picea seu larice.*

Ut

Digitized by Google

1. UT verum fatear, pacto nescio quo in omnium animis insederit opinio veteres stilo in tabellis ceratis scripsisse, ita ut, quotquot sunt, sunt autem plerique omnes, qui de antiqua scribendi ratione χειρόγραφα, vel vigilatas διατριβας elaborarunt, edicant primos hominum ferramentis in corticibus arborum, complanatis lignis, vel cera obsitis σήματα & characteres potius formasse, quam nigrore depinxisse chartas, vel quid simile rati magis tritum & commodum tum scriptioni, tum complicationi. Quî enim mentem subire potest tot Mosis, ceteraque agiographorum scripta, Homeri, Aristotelis grandia volumina, & Platonis; tot Comicorum, & Tragicorum labores, ut novem Herodoti musas, & sexcentas doctas Græcorum veterum lucubrationes taceam, tabulis cera oblitis initio, & postea per longum temporis stilo exsculptas fuisse? Sane præterquam quod eo pacto compactus liber, quamvis minimæ molis, cariissime stetisset, ob tineas, & annorum injuriam parum diu durasset, præsertim cum cera facile deletitia sit, atque ἀξάλειπτος· procul dubio, ne unum quidem vel Hebræum, vel Græcum volumen, vel Latiale ad id ætatis deveniisset. Et mirum profecto, quod nullus ceratus liber vel totus, vel ejus particula edacitatem temporis vitaverit; contra vero membranacei atramento picti pæne innumerabiles, & quidam veterrimi satis multas bibliothecas honestant, & non paucos in philyra & papyro conscriptos adhuc legendos custodes servant, & ostentant. Scio autem monstrari non unas tabellas ceratas characteribus sculptis lectu non difficillimis, quarum unam vir magni nominis Cocchius interpretatus est (licet duoviri Benedictini superne sæpe laudati quasdam voces non adsecutum Cocchium conquerantur) binas etiam in Diplom. opere iidem Benedictini proferunt: quartam præterea novi ex Biblioth. ration. an. 1752. art. 13. pag. 225. quæ prostat Genevæ in publica bibliotheca, quam Cramer ὁ πάνυ nuper denatus philosophus, & ἀρχαιόλογος maximus exscripsit supplevitque. Verum fato nescio quo evenerit, ut hæ tabellæ nigra quadam cera tectæ omnes nihil aliud præseferant, quam rationes impensarum Philippi Pulchri cognomento Gallorum Regis; quare cum opus sit quarti decimi sæculi ineuntis, & recentioris ævi monumentum, non tanti faciendas reor. Hæc porro evidentissima sunt & plana; abstrusiora quæramus.

Cum optimam operam ἄνευ βασκανίας dederim legendis Græcis Scriptoribus, qui ante Augusti ætatem vixerunt, in eis, sicuti ostensum est de Hebræis, nullam omnino dictionem de cera, lignis, & γραφικοῖς ferramentis reperire fuit, quod scio admirationi omnibus futurum, & vereor, ut mihi in hoc fides præstetur, præsertim cum iterato inculcatum ubique legamus veteres stilo, cera, & tabulis usos esse in scriptione; si autem nomine *veterum* Græcos & Hebræos intelligant, pura putaque mendacia venditarunt. Haud autem negem exstare non solidum quid, sed tenue & umbratile de cerata scriptura, & stili ductu in priscorum Græcorum voluminibus; attamen animum non adverterunt in frequentiori-

Digitized by Google

bus & luculentioribus chartæ, papyri, & atramenti vocibus atque exemplis eorum potuisse oculos immorari, atque exsaturari. Aggredior pro virili ad quosdam veterum Græcorum locos excutiendos, eorumque obscuritatem, & ἀμφιβολίαν abstergam: & animus blanditur, in hoc longiori cap. non leve industriæ & laboris testimonium me daturum.

II. Et sanctior quidem ordinis ratio postulat, ut ab Homero, tanquam ab Jove poetarum incipiam, quo satis diu concoctam opinionem ligneæ scriptionis ab eruditorum animis evellam: sane omnes veluti facto agmine pro lignea scribendi ratione etiam ante Trojanam excidionem vigente, tanquam pro focis, pugnant, & famosos Homeri versus Il. ζ. 168. objiciunt:

Πέμπε δέ μιν Λυκίωνδε, πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ,
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

Qui quidem quanta scholiorum & commentariorum strue mactati sint, quisquis in Iliade hospes est, is solummodo ignorat; quare ut moris mei est, aliorum curas ac judicia lubens prætereo; ceterum in id omnes collineant, ut σήματα sint ἱερογράμματα, & πίναξ πτυκτὸς sit *plicatilis ligneus libellus*, seu *pugillaris*, quibus etiam Græce doctissimus & φιλόμηρος Mazochius in Diatrib. de Dipt. Quirin. p. 32. & 33. fidem præstitit suam. Verum cum summus vir nihil otii in iis versibus interpretandis contriverit; gaudendum est, quod id pensi mihi relictum sit, quo Homeri mentem ipse aperiam, cujus æterno studio ac lectioni norunt me omnes devotissimum. Et sane edico Homerum nihil omnino de ligneo libello cogitasse, cujus rei satis multa rationum seges mihi præsto est.

Equidem plena dubii res est, an revera alter versus: Γράψας ἐν πίνακι, κ.τ.λ. Homeri fœtus sit ἀκίβδηλος, imo de illius νοθείᾳ non infirmæ se offerunt conjectationes. Etenim si ipsum expungas ab Homericæ enarrationis contextu, sententia nihil læditur, neque labat, imo quo brevior, eo concinnior elucet; λυγρά enim & θυμοφθόρα πολλά, ejusdem ponderis esse, & olere ταυτολογίαν nemo non videt. Præterea verba ipsa πίναξ πτυκτὸς non sibi constant, neque congruunt simul *tabella complicata*, ut vulgo vertunt; membranæ & quodvis genus chartæ convolvi & plicari possunt, non ligneæ tabellæ: idque adeo verum est, ut Herodotus usus sit δέλτιον δίπτυχον, atque Attici dixerint γραμματεῖον πολύπτυχον, teste Polluce lib. 4. frag. 18. & quidem δέλτος & γραμματεῖον, utpote papyris vel membranis constantia plicari possunt, non vero πίναξ, si unum hoc Homeri exemplum excipias: imo Pollux laudato loco, veluti mirabundus monet unum *Homerum* dixisse πίνακι πτυκτῷ, jam enim ævo Pollucis insutus erat Iliadi versus, de cujus ingenuitate disputamus. Adde etiam Homerum ipsum voce δίπτυχος uti de pinguedine, qua ustulandæ carnes amiciuntur.

Ad hæc: cum maximus vates religiose morem servet, quos antea præ-

Digitized by Google

præmiserat versus, recinendi, si res urgeat, hic autem cum versu 176. iteret σήματα, & vers. 178. σῆμα κακόν, indolem suam veluti oblitus Homerus silet de vocibus πίναξ πτυκτός, & πυροφθόρα πολλά· hinc facile concludas, qui primus hunc spurium versum Iliadi adsuit, non fuisse Ὁμηρικώτατον, alias sane sollemnes Homericas iterationes sartas servasset, quo melius legentibus fucum crearet, atque illuderet. Ut autem ne dubites, quin veteres rhapsodi suis versibus Homericam poesin infarserint, do vades Salmas. in Solin. pag. 609. & Fabric. Bibl. Gr. to. 1. p. 256. Apponam licet satis nota Salmasii verba: *Certe Cynætum multa in Homeri poesim infulsisse, & veluti insuisse scribit vetus scholiastes:* ῥαψῳδοὶ ἐπιφανεῖς ἐγένοντο, οἱ περὶ Κυνάιθον, ὃς φασὶ πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν, *ideo propter has additiones & emblemata non mediocriter Homericæ poesi nocuisse rhapsodos illos, &c.* huc usque Salm. Quod etiam testatum reliquit Eustathius, vide Fabricium ibid. p. 333. de ætate Cynæti disputantem. Verum jamdudum circa sui operis initium de Homeri spuriis versibus nos monuerat Strabo. Idipsum accidisse Æneadi indolemus; quare Burmannus in præclara Virgilii ἐκδόσει versus non unos eradit summa industria, & ope plurium optimæ notæ m. ss. quem consulas. Non mirum igitur, si quædam ἀσύστατα in ambobus principibus poetis legere sit. Atque felicem me salutandum reor, utpote pluribus in locis squalentes versus tum ab Iliade, tum ab Odyssea detersi, uti in Homerici anaglypti illustratione, atque in geographica Puteolanæ regionis descriptione σὺν Θεῷ ostendam. Pauca minime ἀκίβδηλα carmina indicabo, quo tuum legentis desiderium excitem.

III. Sane assutos reperi binos versus Il. γ. 57. & 58. ubi sermo est de Paride ut adultero lapidibus obruendo, cum scrutatus sim, Dionem Chrysost. (in Orat. XI. ὑπὲρ τῆς Ἰλίου μὴ ἁλῶναι) versus omnes Hectoris contra Paridem recitare pag. 166. ambos vero illos adulterinos reticuisse, ævo igitur Dionis eos nondum confinxerant rhapsodi. Abstergendi præterea solidi decem versus in Od. λ. ab 310. usque ad 320. quos legas longe alienos ab Homeri elegantia, & sine δεινότητι cusos, atque insunt ῥήσεις aliquot, quæ beato illo ævo lucem non adhuc viderant, ut Ἴακλος, Εὖρος, Ὄλυμπος pro Thessaliæ monte &c. In Od. μ. post v. 68. quæ de navi Argo narrantur, subtilissimæ fidei sunt, cum ea fabella post Homerum conficta sit, nec Hesiodus navim illam meminerit. Demum statim spongiæ subjicies binos versus Il. ω. 29. & 30. ubi judicium Paridis indicatur; voceisque illitæ sunt, uti μαχλοσύνη, Homerica ἀστεβείᾳ haud dignæ; longus essem si quotquot collegi spuria Homeri carmina hic illinerem, & rationum momenta omnia, quæ me urgent ad expungenda apponerem; satis superque sit pro re nata pauca significasse, ut κίβδηλον jure optimo credas versum, in quo est πίναξ πτυκτός.

IV. Præterea, si quid sapio, antiquiores Græci, ii nempe, qui ante Augusti tempora scripsere, nunquam usurparunt vocem πίναξ, vel πινακίδιον

διον pro re ſcripta, contra vero qui poſt id ætatis vixere ad tædium illãm celebraſſe legas; cujus reï ratio eſt eam ῥῆσιν nondum Iliadi inſertam feliciori Græcorum ævo; alias ſiquidem etiam veterrimi Græcorum non δέλτος, βιβλίον, γραμματεῖον ſemper dixiſſent, verum etiam πίναξ, πινάκιον, πινακίδιον, cum Homerica vocabula poetis potiſſimum cara eſſent & culta ſanctiſſime; contra vero furtim immiſſa ea ῥήσει ab rhapſodis inter noſtri vatis Iliada, ſtatim veluti ab optimo patre nata frequentiſſime uſurpari cœpta eſt.

Nemo vero in animum inducat, me ignorare etiam felicioris Græcanici ſæculi Scriptores raro admodum uſos eſſe voce πινάκιον, veluti Ariſtotelem Polit. lib. 2. cap. 6. & Ariſtophanem in Veſp. v. 167. πινάκιον τιμητικόν, & interpretes vertiſſe *codicillus*, aut *tabella*, ſed contra fidem Græcam; etenim in Ariſtotele πινάκιον eſt *calculus ligneus*, uti aperte vides ex ipſis Ariſtotelis verbis: Τὰς δὲ κρίσεις ἐν τοῖς δικαστηρίοις οὐ διὰ ψηφοφορίας ᾠετο γίνεσθαι δεῖν, ἀλλὰ φέρειν ἕκαστον πινάκιον, ἐν ᾧ γράφειν, εἰ καταδικάζοι ἁπλῶς τὴν δίκην, quæ ſic convertas: *Judicia autem in tribunali non decretis fieri oportet, ſed unumquemque ferre calculum (tigillum) in quo inſcribatur, ſi ſimpliciter pœna ſit irroganda:* itaque uti Latini una litterula parvo ligno ſcalpta vel condemnabant reos, vel abſolvebant, vel ampliabant; ita Græci, qui Romanis præiverant, πινακίῳ, *tabella exigua*, non ψηφοφορίᾳ, *longioribus decretorum formulis*, criminoſos puniebant: vides quam longe diſtet πινάκιον Ariſtotelis ab πινακιδίοις poſteriorum Scriptorum, qui utique pro ſcriptis libris accipiunt; diſtat ſane tantum, quantum *tigillum* ab *libello*. Idipſum dicas de Ariſtophanis πινακίῳ τιμητικῷ, ideſt *calculo cenſorio*. Et probe vetus quoddam lexicon id genus πινάκιον definit σύμβολον δικαστικὸν, *votum*, *calculus judicialis*. Nihil igitur cogites de *libelli ſcripti* notione; præſertim cum e contrario ſexcenties legas πίναξ in Pluto v. 997. in Theſmeph. 785. πινακοπώλης in Avib. v. 14. πινακίσκος in Plut. 814. πινακηδόν in Ran. 845. in ipſius tabulæ, ſeu ligni ſignificatione, ſemel autem in hoc Comico pro teſſerula damnatoria paucis litterulis inciſa.

Neque credas me non evolviſſe Demoſthenis orationes, quas ob munus, quo urgeor, pluries evolviſſe neceſſe fuit, in quibus ſemel etiam me reperiſſe fateor πινάκιον, niſi mea ſedulitas læva fuerit, in Orat. ſcil. contra Bœotum circ. init. pag. 637. Τὼ δυοῖν πινακίοιν τὸν ἕνα κληρῶσθαι, τί ἄλλο ἐστὶν; εἶτ' ἐφ' ᾧ θάνατον ζημίαν ὁ νόμος λέγει, τοῦθ' ἡμῖν ἀδεῶς ἔξεσθαι πράττειν; *unam duabus ſortiri tabellis, quid eſt aliud? Itane quod legibus extremo ſupplicio mulctatur, id impune libebit nobis facere?* Hic etiam aperte vides πινάκιον non eſſe *codicillos*, aut *ſcriptam tabellam*, ſed *ſortes ex tigillis factas* nomine candidatorum ſcriptas pro magiſtratuum electione, quæ quidem πινάκια paſſim ſummus orator ψήφους vocitat.

v. Pro re nata miror Græce doctiſſimum Corſinium Faſt. Att. to. 1. pag. 19.

Digitized by Google

19. hunc Demosthenis locum illustrantem edicere hæc πινάκια fuisse *ærea*, atque dicta etiam fuisse χαλκεῖα, suæque sententiæ fundos dat Harpocrationem, & Suidam, quos inter etiam adnexuit Hesychium; horum auctoritatem parvi faciendam duco, quippe qui scriptores ævi insipientioris: hos transversos egerunt verba Oratoris, quæ ἀμέτρως sequuntur, obscuritatis plena, & fortasse etiam parum corrupta: Πρὸς Διὸς, ἐὰν δ' ἀρχὴν ἡντινοῦν ἡ πόλις κληροῖ, οἷον βουλῆς, θεσμοθέτου, τῶν ἄλλων, τῷ δῆλον ὁ λαχὼν ἡμῶν ἔσται; πλὴν εἰ μή σημεῖον *ὥσπερ ἄλλῳ τινὶ τῷ χαλκείῳ πρόσεσθαι· ἢ οὐδὲ τοῦθ' ὁποτέρου ἐστὶν, οἱ πολλοὶ γνώσονται· ἀκοῦν σὺ μὲν σεαυτὸν, ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν φήτω τὸν εἰληχότα εἶναι, κ. τ. λ. Quæ ita habes versa a Wolfio: *Age vero, Deum immortalem, si publice de quocumque magistratu fiet sortitio, ut de senatu, de sexviratu, reliquis: quî discernetur uter nostrum sit creatus? Nisi forte nota, ut æneo vasi, aut alteri cuipiam rei adjiciatur; ac ne ea quidem utrius sit, vulgus agnoscet: proinde ego me creatum contendam, tu vero te, &c.* quam versionem ita suggillat Corsinius: *At nullus æreo vasi locus hic esse potest, vertendumque omnino fuerat: Nisi forte nota quædam tamquam alteri cuidam distinctæque æreæ laminæ adjiciatur*. Sane fateor, si quid Græce sapio, in Demosthenis hoc κειμένῳ æneas tabellas me non inspicere, sed revera videre vas æneum; quare licet Wolfius sententiam vix consecutus sit, a notione χαλκεῖα non tam longe, quam Corsinius discessit: quare ne te diutius teneam, si voculam ὥσπερ transponas, Oratoris mentem adsequeris: πλὴν εἰ μὴ σημεῖον ἄλλῳ, ὥσπερ τινὶ τῷ χαλκείῳ πρόσεσθαι, *nisi forte nota alteri ex nobis, tanquam cuidam æneo vasi adjiciatur:* controversia enim erat inter duos eodem nomine a matre donatos, quorum alter, ut dignosceretur, edicebat unum signandum nota aliqua, tanquam quædam vasa ænea artificis nomine sculpebantur, uti lucernæ, &c. quare nitide vides nullum locum hic esse æneæ tabellæ, aut tesseræ scriptæ, neque in hoc Demosthenis loco tot turbas esse excitandas. Si vero illud ὥσπερ loco dimoverim, sane cum cernas in editis codicibus huic voculæ stellulam appositam, scimus variantem fuisse lectionem; & librarios sæpe voces ad arbitrium loco suo exturbasse queruntur, qui bonam veterum librorum restitutioni operam collocant: vide inter ceteros Philippum D'Orville in Charitonem. Ἄλλῳ autem adnotare etiam *unus ex duobus* Græci pueri norunt, & ex lexicis colliges.

VI. Quæ quidem omnia ita esse, ut adverti, præsto mihi est exemplum a Thucidide excerptum appositissime; quod enim summus historicus appellavit pluries pag. 91. & seqq. edit. Dukeri ψήφισμα περὶ Μεγαρέων, inficetioris ævi Scriptores, & cum Latiaribus hominibus victitantes, vel quod jam in Homerum illud πίναξ πτυκτός immissum legebant, statim eandem Thucidideam historiam, & verba exhibentes vocabulum ψήφισμα antiquum & verum in novum & vernam, πινάκιον scil. immutarunt: Plutarchus in Periclis vita pag. 168. edit. Francofurti, πινάκιον, inquit, ἐν ᾧ τὸ ψήφισμα γε-

γραμ-

γραμμένον ἐτύγχανε, Thucidides vero nullibi hiſtoriæ ſuæ πινάκιον appoſuit. Ælianus Var. Hiſt. lib. 12. c. 53. hoc Thucididis κείμενον etiam immutat: (Πόλεμον) τὸν γε Πελοποννήσιον διὰ τὸ Μεγαρέων πινάκιον· & Hiſt. Anim. lib. VI. cap. 27. Καὶ τῷ μακρῷ πολέμῳ ὑπόθεσις τοῖς Ἕλλησι τὸ πινάκιον τὸ κατὰ τῶν Μεγαρέων. Idipſum ſcias feciſſe Ariſtophanis ſcholiaſtem tum in Εἰρήνῃ v. 604. Περικλῆς.... ἔγραψε τὸ κατὰ Μεγαρέων πινάκιον· tum v. 118. Τὸν Περικλέα φησὶ γράψαι τὸ κατὰ τῶν Μεγαρέων πινάκιον. Vides igitur idem Periclis decretum, quod Thucidides probe dixit ψήφισμα, gregem præpoſterorum Scriptorum πινάκιον appellitaſſe; atque ſtultiſſimus audiret ſane is, qui fidem potius his ſequioris ætatis Scriptoribus præſtans adſereret Periclem in tabellis decretum exaraſſe, non vero Thucididi, qui nunquam quid de ligno cogitarit, cum ἁπλῶς vocem ψήφισμα illeverit; atque hinc certo colligere licet vocabula vel ob mores hominum, vel ob ſcribentium incuriam ſatis diverſam ac degenerem notionem adipiſci volventibus annis.

VII. Hic autem a me ipſe impetrare non ſatis habeo, ut Thucididis hiſtorici ἀκριβοδήλου cauſam acturus levitatis Plutarchum non arceſſam, qui in ea Periclis vita præfracte aſſerit Athenienſes famoſum hoc περὶ Μεγαρέων ψήφισμα in πινακίῳ ſcalpſiſſe, atque iis, quæ non dixit Thucidides, ex vulgo hiſtoriolas captans Periclis vitam infarſit: ait enim hic βιογράφος, *fama eſt*, (λέγεσι) *Legatos veniſſe a Lacedæmoniis Athenas, & cum legem Pericles firmam ratamque obtenderet, quæ tabellam, in quam plebiſcitum eſſet relatum, revellere interdiceret, dixiſſe unum ex legatis Polyarcem: Tu vero ne revulſeris, ſed converte tabellam intro, cum non vigeat lex ulla, quæ hoc prohibeat. Hoc dictum quamvis facetum videretur, nihil fuit remiſſior Pericles, &c.* Porro quiſque contra hanc Plutarchi fabellam reponeret, neminem fidem dare legatum Spartanum ante Athenienſis ſenatus majeſtatem verba irriſionis plena protuliſſe: præterea, cum Thucidides αὐτόπτης exſtiterit earum rerum, quas poſteris mandavit, & hanc Lacedæmonum legationem multis deſcripſerit, longiſſimamque Periclis, & gravibus verbis refertam concionem ſervarit, quî fieri potuiſſet, ut amarum hoc Polyarcis dicterium poſthabuiſſet? Demum vel luſcinioſus cerneret Plutarchi verba fide laborare, cum e vulgaribus ſermonibus famaque incerta id arripuerit, apponens vocem dubii plenam τὸ *fertur* (λέγεσι) & ſpecioſa potius referre amaverit, quam vera. Quare quiſque mecum Thucididi συγχρόνῳ ſcriptori nihil tabularum commemoranti rectius crederet, quam Plutarcho longo poſt temporis intervallo victitanti, & vocem antiquam ψήφισμα in πινάκιον ad ſæculi indolem permutanti. Sed piget me ab Homero longius aberraſſe.

VIII. Demum quod ſincerum non eſt, & antiquum corruptioni facile obnoxium credas; ideo cum adjunctum illud πτυκτός, *plicatilis*, tabulæ minime quadrare viſum ſit quibuſdam, immutatum eſt in πηκτός, uti ab H. Steph. in voce πίναξ docemur; vel in πυκτός, vide adnotat. in

Pol-

Digitized by Google

Polluc. lib. 4. frag. 18. (miror Barnesii hanc, quæ tanti est, variantem lectionem in sua elegantissima Hom. editione non adjecisse) sane tabella *bene compacta* longe aptius audit, quam *plicatilis*. Illud autem, nisi mirifice fallor hujus versus jam περιθρυλλήτῳ certam νοθείαν palam facit, quod cum Homerus Il. η. v. 187. & 189. eadem ferme recinat, scilicet ἐπιγράψας, & σῆμα, materiem scriptionis omnino reticet; igitur illud πίνακι πτυκτῷ ab rhapsodis corruptoribus habemus Homeri indolem ignorantibus, qui, cum idem diversis locis ipsi dicendum sit, eadem verba religiose reponit.

Huc usque de his ambabus vocibus, quas *Pseudhomericas* esse φιλομήροις probatum iri confido; quare nemo posthac opponat ante Trojana tempora Homerum testem advocans scriptitatum esse in ligno, cum sat infida auctoritate innitatur: neque mihi Plinium lib. 13. cap. XI. pag. 689. verba πίναξ πτυκτός in Homero agnoscentem, & pro lignea epistola, sive codicillo interpretantem molestissime quis objiciat, cum jam superne dictum sit, multo ante hujus historici tempestatem hunc poetæ principis locum rhapsodos corrupisse.

IX. Verum adeo de Homero benemereri, atque inter ejus delicias versari amo, ut licet minime contemnenda sint, quæ contra hunc versum allevi, tamen aggredior ad ostendendum, si revera Homerica sint περιβόητα illa verba πίναξ πτυκτός, longe diversa significare ab iis, quæ & veteres & nuperi interpretes somniarunt, scilicet *libellus plicatilis*. Sane omnes deceptos video, eo quod rati sunt verbum γράψας in eo loci adnotare *scribens*; cum contra sit, & γράφειν atque ἐπιγράφειν in Homero solummodo valeant *incidere*, *ferire*, *vulnerare*, atque non inter voces *scriptorias*, sed *bellicas*, ut ita dicam, adnumeranda, quisquis diurna nocturnaque manu hunc vatem versat, mecum jurabit: quam notionem τῷ γράφειν, *discerpere*, H. Stephanus, cum in Homero semel ipse adverterit, *miram* appellat, aliisque investigandam relinquit. Exempla quotquot exstare in divino vate reor, proferam Il. ρ. v. 599. γράψεν δὲ οἱ ὀστέον ἄχρις Αἰχμὴ Πολυδάμαντος, *discerpsit ad os usque cuspis Polydamantis*. Od. ω. v. 227. de Laerte rusticante canit: περὶ δὲ κνήμησι βοείας Κνημῖδας ῥαπτὰς δέδετο, γραμπτῦς ἐλεείνων, Χειρίδας τ' ἐπὶ χερσὶ, βάτων ἕνεκα, *circum vero crura bubulas ocreas sutiles ligaverat vulnera vitans, chirothecasque circa manus, sentium causa:* luce clarius vides, quid sit hic & γράψε, & γραφῦς, nam *spinæ*, & *hastarum cuspides discerpunt quidem ac vulnerant*. Eandem notionem advertis in compositis Il. δ. v. 138. ubi de vulnere Menelai sermo est: Ἀκρότατον δ' ἀρ' ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός· Αὐτίκα δ' ἔρρεεν αἷμα κελαινεφὲς ἐξ ὠτειλῆς. Et Iliad. λ. v. 388. de telo impacto Diomedis dextro pedi: Νῦν δέ μ' ἐπιγράψας ταρσὸν ποδὸς, εὖχεαι αὔτως. Atque adverbium ἐπιγραβδὶν ex ἐπιγράφω pullulans in infligendis vulneribus appositum legis Il. φ. v. 166. πῆχυν ἐπιγραβδὶν βάλε, *cubitum vulnerando percussit*.

X. His

Digitized by Google

x. His animadverſis, ajo etiam illud γράψας ἐν πίνακι, cum Homerus vocabulorum ſignificationis tenax ſit, in eaque ſibi conſtans, valere idem ac *incidens ferro in tabella*, non vero, uti ab omnibus verſum eſt, *ſcribere*. Certe res ita ſe habuit: Bellerophon inſons adoleſcentulus a patre mittitur ad Lyciæ regem occidendus, accepta a patre tabella, ſeu lignea teſſera ſcalpta notis hieroglyphicis, ſibique ignotis, & capitis ſui ſententiam occultante, quam quidem Bellerophon ſociale pignus ſe regi afferre ratus lubens Lyciam adiit. Teſſeras autem tigilla fuiſſe parva ſignis inciſa hoſpitibus ultro citroque ſolummodo notis, res protrita eſt, atque ab Homero ipſo peræque ſcimus, qui tigillum vocat quidem πίνακ, atque notas arcanas merito σήματα λυγρά, & mox σῆμα κακόν· neque dubites, quin σήματα in Iliade accipiantur pro *ſignis occultis*, & σημαίνειν *involuta quædam ſignare*, cum ab Homero ipſo habeas Il. ν. v. 175. ubi ſummus vates narrat, cum plures Græci heroes in ſingulari certamine cum Hectore congredi arderent, ad ſortes ventum eſſe; itaque κλῆρον ἐσημήναντο ἕκας⊙, *ſortem ſignarunt unuſquiſque*, atque in galeam immiſere, inde illa Ajacis fortuito extracta, quam, cum oſtendiſſet præco heroibus illis, minime agnoverunt: contra vero Ajaci oblata, is ſane γνῶ δὲ κλῆρὸ σῆμα ἰδών, ὡς μὶν ἐπίγραψεν, *cognovit ſortis notam ſciens, quoniam ipſam inciderat*. Vides igitur hic σῆμα eſſe *ſignum arcanum & involutum*, quod ſolus Ajax, non vero ceteri heroes cognovere: neque dicas cum brevibus ſcholiis in Hom. heroas illos litteras minime legere noviſſe, cum Joſue Barneſius hanc interpretationem putidam traducat, addatque: *Et nos enim ſortes variis modis ſignamus, nec minus litteras novimus.*

Pro re nata mihi venia ſit, tum quo hunc divini vatis locum exornem, tum quo clare videas κλῆρος non fuiſſe ſcriptos, ſed inciſos: Luciani in Hermotimo dial. p. 535. edit. Græv. longiorem narrationem apponere, quæ hic opportune quadrat caditque; & ab Homeri hiſce verſibus verba mutuatum Lucianum advertes; & miror tot doctiſſimos Homeri interpretes, ne Euſtathium quidem excipias, Luciani verba non laudaſſe: Κάλπις ἀργυρᾶ πρόκειται ἱερὰ τῦ Θεῦ, εἰς ταὐτὸν ἐμβάλλονται κλῆροι μικροὶ, ὅσον δὴ κυαμιαῖοι τὸ μέγεθ⊙, ἐπιγράμμενοι· ἐγγράφεται δὲ ἐς δύο μὲν ἄλφα ἐν ἑκατέρῳ· ἐς δύο δὲ τὸ βῆτα· ϗ ἐς ἄλλας δύο τὸ γάμμα, ϗ ἑξῆς κατὰ τὰ αὐτὰ, ἦν πλείας οἱ ἀθλεταὶ ὦσι, δύο ἀεὶ κλῆροι τὸ αὐτὸ γράμμα ἔχοντες. Προσελθὼν δὲ τῶν ἀθλητῶν ἕκας⊙, προσδξάμεν⊙ τῷ Διῖ, κἀθεὶς τὴν χεῖρα ἐς τὴν κάλπιν, ἀναμασᾷ τῶν κληρῶν ἕνα, ϗ μετ' ἐκεῖνον ἕτερ⊙· ϗ παρεσὼς μασιγοφόρ⊙ ἑκάστῳ ἀντέχει αὐτῦ τὴν χεῖρα, ϗ παρέχων ἀναγνῶναι, ὅ τι τὸ γράμμα ἐστὶν, ὃ ἀνέσπακεν. Ἁπάντων δὲ ἤδη ἐχόντων, ὁ ἀλυτάρχης, οἶμαι, ἢ τῶν Ἑλλανοδικῶν αὐτῶν εἷς, ἀκ ἔπ γὰρ τῦτο μέμνημαι, περιὼν ἐπισκοπεῖ τὰς κλήρας ἐν κύκλῳ ἑστώτων· ϗ ὅτω τὴν τὸ ἄλφα ἔχοντα τῷ τὸ ἕτερον ἄλφα ἀνεσπακότι παλαίειν, ἢ παγκρατιάζειν συνάπτει· τὸν δὲ τὸ βῆτα τῷ τὸ βῆτα ὁμοίως· ϗ τὰς ἄλλας τὰς ὁμογράμμας κατὰ ταῦτα. Οὕτω μὲν γὰρ, ἦν ἄρτιοι ὦσιν οἱ ἀγωνισταὶ, οἷον ὀκτὼ, ἢ τέσσαρες, ἢ δώδεκα· ἢ δὲ περιττοὶ, πέντε, ἑπτὰ, ἑννέα, γράμματα περιτ-

πεμπτὸν ἐνὶ κλήρῳ ἐγγραφὲν, συμβάλλεται αὐτοῖς ἀντίγραφον ἄλλο ἔκ ἔχον· ὃς δ' ἂν τοῦτο ἀναπάσῃ, ἐφεδρεύει, πεμμένων ἐς', ἂν ἐκεῖνοι ἀγωνίσωνται, ἢ γὰρ ἔχει τὸ ἀντίγραμμα· ἢ ἐστι τοῦτο ἢ μικρὰ ἀτυχία τῷ ἀθλητῇ, τὸ μέλλειν ἀκμῆτα τοῖς κεκμηκόσι συμπεσεῖσθαι. *Argentea urna Deo ſacra in medio poſita eſt, in eam parvæ ſortes injiciuntur, fabæ magnitudine, litteris inſcriptæ: duabus, utrique nimirum* alpha *inſcribitur: duabus item* beta: *duabus quoquè aliis* gamma, *ac deinceps ordine litterarum, ſi ſint athletæ plures, duæ ſemper ſortes eandem litteram habent. Tum athletarum quiſque accedit, & invocato Jove, manuque in urnam immiſſa, unam ex ſortibus trahit, & poſt eum alter: & adſtans unicuique flagellifer (maſtigophorus) protenſa manu obſtat, quominus legant, quænam ſit littera, quam traxit. Sed cum jam habent omnes, alytarchus, opinor, aut unus ex Hellanodicis, non enim id amplius memini, circumeundo ſortes in orbe ſtantium inſpicit; ſicque eum, qui* alpha *habet cum eo, qui* alpha *alterum traxit, aut luctæ, aut pancratio decertaturum committit: eum quoque, qui* beta *cum eo, qui* beta, *ſimiliter: alioſque eadem ratione, qui eaſdem litteras ſortiuntur. Sic enim committuntur, ſi pari numero ſint athletæ, ut octo, vel quatuor, vel duodecim: ſi vero impares, quinque, ſeptem, novem, ſupervacua aliqua littera uni ſorti inſcripta, una cum aliis in urnam conjicitur litteram aliquam ſibi reſpondentem non habens: quam qui traxerit, victori imminet, exſpectans dum illi certaverint, non enim oppoſitam litteram habet. Nec parva eſt iſta felicitas athletæ, quod viribus integer cum defeſſis eſt certaturus.* Igitur hic vides binas Homericas voces κλῆρος, & ἐπιγράφειν, & quæ ſummus vates dicit σῆμα, Lucianum vocare γράμμα. Quin κλῆρος ſit *tigillum* ne dubites, cum ad inſtar κυάμου, *fabæ*, fuiſſe dicat; atque illud ἐπιγράφειν Lucianeum non cum interpretibus verterem *inſcribere*, ſed *incidere*, quo hujus vocis parentem Homerum ſequamur, ab ejus enim Iliade extracta eſt: ſane melius in lignis incidi characteres, quam inſcribi dicuntur. Præterea advertas degeneres Homeri filios σήματα inconcinne reddidiſſe γράμματα, cum vox illa non *litteras* denotet, ſed *ſigna* quædam paucis nota, hinc in κλήροις contra Homeri mentem male inſculpſere ἄλφα, βῆτα, γάμμα, κ. τ. λ. & adverte ſcholiaſtas etiam omnes interpretari γράμματα vocem σήματα· meque pœnitet Lucianum ſophiſtam elegantiſſimum cum horum grege conjuraſſe.

Ut autem omnino firmem σήματα eſſe quaſdam *teſſeras*, & *involuta ſigna*, non characteres lectu faciles, certum fundum do Homerum ipſum Od. ψ. v. 109. ubi Penelope, ut certior fieret de Ulyſſis adventu, poſtulat id genus ſigna ſibi nota, ceteris vero obſcura, eaque σήματα appellat ibidem, ἐστὶ γὰρ ἡμῖν Σήματ', ἃ δὴ κ' νῶϊ κεκρύμμενα ἴδμεν ἀπ' ἄλλων, *ſunt enim nobis ſigna, quæ ſcilicet & nos ſcimus abſcondita aliis.* Vides igitur quam ſollemnis mos viguerit heroum tempeſtate ſibi ultro citroque σήματα lignis inciſa tradere, quæ nihil habent commune

Digitized by Google

cum libellis ligneis ac plicatilibus, & id genus nugis: & discant tandem interpretes, Homerum ut intelligant, se ab Homero ipso lucem mutuari, & per me liceat etiam ab Hesiodo cum divino vate in omnibus συμφώνῳ ac concordi.

XI. Igitur, ut ad Bellerophontis πίνακα sermo redeat, si pater ei σήματα λυγρὰ ἐν πίνακι ferenda tradidit ad regem Lyciæ, ne quid cogites omnino vel de epistola, vel de libello, verum de aliqua lignea tessera arcanis notis scalpta Proeto, & regi Lyciæ solummodo claris; quod satis constat exemplo sortis Ajacis ceteris heroibus ignotæ. Etenim si Bellerophon ligneum libellum de nece sibi inferenda claris characteribus scriptum secum tulisset ad regem, periculum certum fuisset, quin illum aperuisset, & paternæ impietatis technas prudens vitasset: exemplo sit, quod Æmilius Probus affert in Pausania c. 4. *Interim Argilius quidam adolescentulus, quem puerum Pausanias amore venereo dilexerat, cum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset aliquid in ea de se scriptum, quod nemo eorum rediisset, qui supra tali causa eodem missi erant, vincula epistolæ laxavit, signoque detracto, cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum:* profecto majori suspicione, quam Argilius, agitabatur Bellerophon, quippe qui a matre nefando scelere arcessebatur; quare dubio procul, si ferret secum litteras, explicasset, quo vitæ suæ consuleret.

Ut autem omnia, quæ dicta sunt, stricte colligam, vides jam τὸ γράψας, quod Proeto, & τὸ ἐπιγράψας, quod Ajaci ab Hom. tribuitur, minime ad scribendi, sed ad incidendi rationem pertinere, cum præsertim in primo exemplo sequatur ἐν πίνακι, & tabula quidem scalpitur: præterea clare præstiti σημαίνειν esse, arcanum quid signare, non litteras scribere, & τὸ σῆμα, *nota involuta & obscura*. Nihil igitur princeps vates de lignea scriptione in Proeti, & Bellerophontis facinore cogitavit: falsissimi etiam sunt, & Homericis sacris parum initiati, quotquot ex hoc Iliadis versu edixere ante Trojanum excidium in lignis scriptitatum esse.

XII. Neque credas me oblitum esse vocis πτυκτός, *plicatilis*, quæ omnes interpretes torsit, atque ipsa in causa fuit, quo ceteros Scriptores taceam, ut Plinius memoriæ commendarit, *Pugillarium usum fuisse ante Trojana tempora:* atque doctiss. Mazochius *miram eorum antiquitatem* crederet, doceretque ex voce Homerica πτυκτός nata esse *diptycha*, & *polyptycha*, De diptych. Quirin. p. 32. Verum jam superne dictum est propter hoc προσθετὸν tabulis adjectum, quas nemo plicatiles dixerit unquam, versum illum esse rhapsodorum fœtum: ceterum facile Homericum esse, & tanto vate dignum dicas, si una litterula mutata legas ἐν πίνακι πηκτῷ, *in tabula, seu ligno bene compacto*, quo nihil decentius; quanto enim durius est lignum, tanto concinnius notæ, vel litteræ in eo scalpentur: atque hanc lectionem H. Stephani auctoritate innixam legas in Thesaur. in voce πίναξ, fortasse in veterrimis Homeri membranis ita exaratam vidisse faci-

Digitized by Google

facile credam: (quidam se πυκτῷ reperisse contendunt, quod parum distat ab πηκτῷ). Adde Stephanum eandem lectionem invenisse in Herodiani lib. 7. c. 6. qui Homericis verbis utitur: Ἔδωκε κατασεσημασμένα γράμματα ἐν πυκτοῖς (Stephanus πηκτοῖς) πίνακι, δι' ὧν τὰ ἀπόῤῥητα, καὶ κρυπτὰ ἀγγέλματα τοῖς βασιλεῦσιν ἐπιστέλλεται· versio Politiani, *litteras obsignatas duplicibus libellis*, nihili est, fortasse legerat πτυκτοῖς, non πυκτοῖς, neque potius πηκτοῖς· quot hallucinationes magnorum virorum unius Homericæ vocis obscurioris gratia! Itaque in Homero refinge meo, & H. Stephani periculo πηκτῷ, quo bene constet sententia; præsertim cum nunquam alias voce πτυκτός usus sit Homerus, sitque omnino ἅπαξ λεγομένη· contra vero πηκτός huic vati familiaris est, nam Il. κ. v. 353. ac Il. ν. v. 703. canit ἄροτρον πηκτόν, cui, uti semper, adstipulatur par ætate, & poeseos gloria Hesiodus in ἔργοις v. 433. & duplex genus aratra optat agricolis αὐτόγυον, καὶ πηκτόν· (in has voces consulas rogo adnotationes Jo. Grævii quæsitissimas:) mihi satis sit ostendere ex Homero ipso adjunctum πηκτός copulari cum aratro, quod ligneum est, uti πίναξ· contra vero neque in Hesiodo, neque in Homero ullibi legere est vocem πτυκτός, utpote longe posteriori ævo natam, atque ab librariis corruptoribus in Iliada invectam. Quantum autem distet πίναξ πηκτός ab πίναξ πτυκτός nemo non videt, cum hoc ἐπιθετόν facile ingerit menti speciem quandam plicatilis libelli, non vero adjunctum πηκτός, *compactus*, quod ligni proprium est; & falsus est Plinius (de quo crimine sæpe indolemus) qui primus ex hoc obscuro, & vexatissimo Homeri loco adstruit nihil cunctabundus heroicis temporibus in pugillaribus scriptitatum esse, totque eruditorum turbæ deinceps imposuit. Lucianum contra indoctum, & multos ementem libros to. 2. p. 388. edit. 1687. cordatiorem Plinio reperio, qui licet mentem Homeri adsecutus non sit, tamen pro πίναξ πτυκτός posuit βιβλίον, vocem γενικήν, ita ut derideat indoctum illum circumferentem *librum*, tanquam Bellerophontem: ὡς Βελλεροφόντης περιφέρων τὸ βιβλίον, ex tessera librum facit. Eustathium nihil curamus idipsum adferentem, quippe satis posterioris ævi scholiastem. Miror sane doctiss. Harduinum omne genus bonæ frugis Plinianæ promum condum, atque hæc Homeri carmina recitantem in voce πτυκτός nihil vidisse.

XIII. Vellem, ut adverteres nescire nos, quo vocabulo usi sint Græci circa Homeri tempora, quod sane responderet τῷ *scribere* Latinorum, cum superne ostensum sit τὸ γράφειν, & quidem multis exemplis, adnotare aut *vulnerare*, & inter bellicas voces apposuisse Homerum, aut *incidere* & *cælare*, si de ligneo negotio sermo sit, præsertim cum γλύφειν, quod valet *cælare*, neque in Homero reperies, neque in Hesiodo: hinc discimus in τῷ γλύφειν notione eisdem suffeciisse γράφειν & ἐπιγράφειν. Hujus autem vocabuli defectum fortuitum esse in Homero nemo neget, (sicuti in Marone nunquam leges ῥῆμα ipsum *scribere*, & vix semel aut iterum τὸ *inscribere*, verum τροπικῶς potius adhibitum;) quare ne hinc concludas heroum sæculis scriptioni minime navatam operam, nam duo grandia Ho-

Digitized by Google

meri volumina, nisi ille scripsisset, quo pacto ad posteros deveniissent? quin & chartis atro liquore exarata, cum testetur Plin. lib. 13. c. 13. p. 639. Mucianum ter consulem, dum Lyciæ præsideret, legisse Sarpedonis a Troja scriptam in quodam templo epistolæ *chartam*; cur autem illam Plinius admiretur ignoro.

Atque hæc de binis περιθρυλλήτοις Homeri versibus dixisse sufficiat; litemque contestor, sive Homero eos adscisças, sive abjudices; veto autem posthac, ne ab hoc vatum principe pro lignea scriptione patrocinium quis imploret.

XIV. Excipit poetarum parentem Homerum Historicorum princeps Herodotus in fine Polymniæ pag. 459. ubi ceræ & ligneæ tabellæ valde quam illustre monumentum exstat, quod defugere haud scio an satis habeam, & qui invisent, dicturi sint fore mihi Syrtim, vel Scyllam, de qua ait Hom. τὴν δ' ὕπω τις νῆυς φύγεν ἀνδρῶν, ἥ τις ἵκηται· verum inter difficultates non concidendum, sed contra urgendum. Inquit hic historicorum parens, Demaratum miro modo certiores fecisse Lacedæmonas Xersem insana militum vi in eos invadere, scil. per pugillaria, e quibus ceram erasit, inde in eorundem ligno regis consilium exaravit: quo facto iterum cera a Demarato litteræ inductæ sunt, ne custodes viarum tabellario vacua illa gerenti quid negotii facesserent: Δελτίον δίπτυχον λαβὼν τὸν κηρὸν αὐτῦ ἐξέκνυσε, καὶ ἔπειτα ἐν τῷ ξύλῳ τῦ δελτίυ ἔγραψε τὴν βασιλέως γνώμην· ποιήσας δὲ ταῦτα, ὀπίσω ἐπέτηξε τὸν κηρὸν ἐπὶ τὰ γράμματα, ἵνα φερόμενος κενὸν τὸ δελτίον μηδὲν πρῆγμα παρέχοι πρὸς τῶν ὁδοφυλάκων. Quæ ubi Lacedæmonem allata, nihil assequi conjectura satis fuerunt cives; tandem Gorgo Leonidæ uxor eos edocuit fortasse subter cera litteras latitare, qua detersa, ἔδρησαν τὰ γράμματα ἐν τῷ ξύλῳ· hæc Herodotus.

Sed animum mihi non despondendum fuit illa lectitanti, cum nullibi tot aliorum auctorum, qui Græce scripsere, si ab Herodoto discedam, quid ligni; vel ceræ invenire fuit, cum contra commonstratum sit atramentarium scribendi morem apud Græcos fuisse pervagatum & vulgarem. Itaque quod ex Polymnia objicitur, prompte respondendum apud barbaros Persas id moris viguisse, qui ceratos pugillares adhibebant scriptitando, eo magis quod Lacedæmones nihil prorsus de litteris sub cera abditis suspicati sunt; cum contra, si res in more fuisset, statim in uniuscujusque mentem cecidisset ἐν τῷ ξύλῳ latitare τὰ γράμματα, neque tabellarius a Susis missus tot custodes, qui ad Spartam usque iter tutabantur τῷ κενῷ δελτίῳ, i. e. *vacuis tabellis*, decepisset; præsertim cum belli tempestate cuncta in metum prona sint, & suspicionis latebræ omnes vestigentur. Præterea tam insolens visa est Herodoto hæc Demarati scribendi techna, ut τρόπον θωϋμάσιον appellaverit, tanquam in re nova *miraculum*; si autem Græcis sollemne fuisset scriptoriis tabulis cera infartis uti, in tantam admirationem τῦ διπτύχυ Demarati minime abrepti fuissent, statimque nossent sollers ducis consilium, atque astutum facinus.

Mihi

Digitized by Google

Mihi autem grandis momenti est Pollucem lib. 10. c. 14. frag. 58. ut probet veteres ex Græcis in cera scripsisse, testem adhibuisse privum hunc Herodoti locum, quem ei fortasse solum excerpendi facultas fuit ex innumeris voluminibus, quæ ævo suo terebantur; atque egomet ab non valde paucis, quæ ex vetustatis injuria nobis reliqua sunt, aliud ceræ documentum expiscari frustra adlaborare visus sum. Verum mirari non desinam Pollucem minime adnotasse id moris Persarum tantummodo fuisse, non ceterarum gentium, cum hunc historiæ patrem ipsemet testem vocet. Quæ autem de maltha lignis γραφικοῖς imposita ex Cratino, & Aristophane Pollux ipse profert testimonia, quoniam ambæ illæ comœdiæ ivere pessum, nihili ducenda sunt, cum ipse ὀνομαστικογράφος sit, non auctor; & quin horum comicorum sententiam sit assecutus, probe dubitandum.

XV. Verum ad Herodoti locum redeundum, cujus verborum sententiam semel Gellium imitatum video, bis vero Justinum, sive Trogum, quæ pro re nata apponenda reor, quibusdam enim indigent animadversionibus: Gell. lib. 17. cap. 9. *Legebamus id quoque in vetere historia rerum Punicarum virum indidem quempiam illustrem (sive ille Hasdrubal, sive quis alius est, non retineo) epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse: pugillaria nova non dum etiam cera illita accepisse: litteras in lignum incidisse: postea tabulas (uti solitum est) cera colliviisse, easque tabulas tanquam non scriptas, cui futurum id prædixerat, misisse. Eum deinde ceram derasisse, litterasque incolumes ligno incisas legisse.* Nunquam mirari desinam Trotzium hunc Gellii locum Livio tribuere recitantem dec. 1. vide ejus adnot. in Herm. Hugonem de pr. scrib. orig. pag. 82. cui sæpe etiam iratus sum, quod facilem, & mendacem in laudandis Scriptorum locis deprehendi. Vides in his verbis κείμενον Herodoti Latine conversum; quare res dubii plena est, an Demarati inventum in Hasdrubalem Gellius transfuderit oblivioſus: & mos tabellas illinendi apud barbaros Persas adhuc erit, quarum gentium scripturæ modus mea non interest: τὰ παρεντιθεμένα (*uti solitum est*) ne credas Gellio apponenti; etenim ipse, quippe Romanus, populis omnibus communem esse in cera scriptionis morem exputabat, quem Hebræos, Græcosque omnino ignorasse enixe jam ostensum est. Ceterum si etiam a Pœnis excogitata sit tabella id genus cerata, nihil intercedo, cum sermo tantum sit de Hebræa, & Græcanica gente, neque nos barbarorum exempla moremque curamus. Hic advertas, quæ Gellius de Hasdrubale narrat, Justinum lib. 21. cap. 6. in fin. de Hamilcare dicere: *Igitur Hamilcar, per Parmenionem aditu regis* (Alexandri M.) *obtento, profugisse se ad regem expulsum patria fingit, militemque se expeditionis offert. Atque ita consiliis ejus exploratis, in tabellis ligneis desuper cera vacua inducta civibus suis omnibus perscribebat.*

Addam hoc Demarati tabellarum facinus ex Justino, sed non omnino fido interprete lib. 2. cap. 10. ex Herodoto etiam exscriptum, & mendum, quod

tot

Digitized by Google

tot doctiſſimos viros torſit, abſtergam: *Igitur Xerſes bellum a patre cœptum adverſus Græciam per quinquennium inſtruxit. Quod ubi primum didicit Demaratus rex Lacedæmoniorum, qui apud Xerſem exſulabat, amicior patriæ poſt fugam, quam regi poſt beneficia, ne inopinato bello opprimeretur, omnia in tabellis ligneis magiſtratibus perſcribit, eaſdemque* (al. *eademque*) *cera ſuperinducta delet, ne aut ſcriptura ſine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet. Fido deinde ſervo perferendas tradit juſſo magiſtratibus Spartanorum tradere. Quibus prolatis Lacedæmona, quæſtioni res diu fuit, quod neque ſcriptum aliquid viderent, nec fruſtra miſſas ſuſpicarentur; tantoque rem majorem, quanto ſit occultior, putabant. Hærentibus in conjectura viris, ſoror regis Leonidæ conſilium ſcribentis invenit: eraſa igitur cera, belli conſilia deteguntur.* Ex Juſtino etiam novimus Lacedæmonios ad tabellarum iſtiuſmodi novitatem animo diu hæſiſſe, qui ſi in cera ſcribendi in Peloponneſo mos viguiſſet, ſane non ſatis diu ea de re conſuluiſſent. Itaque hæ Demarati tabellæ firmant melius ac validius, quod multis mecum conjuratiſſimis teſtibus intenderam, ſcil. ceram γραφικὴν gentem omnem Græcanicam prorſus ignoraſſe. Hic monitum te volo Gorgonem, quam Juſtinus ſororem fingit Leonidæ, apud Herodotum audire uxorem; fides porro Juſtino, ſive Trogo deſideranda.

Præterea luce indigent quædam ex his Juſtini verbis, iſthæc præſertim, *Eadem* (ſcil. verba, quæ in tabellis inciderat) *cera ſuperinducta DELET, ne aut ſcriptura ſine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet*, tanta commentariorum mole onerata a doctiſſimis viris aggeſtorum, ut eos etiam legere ipſe animum deſponderim, vide adnotat. varior. Et ſane gnariſſimum quemque turbat ῥῆμα illud *delet*; neque enim in tabulis inciſi characteres ab infuſa cera delentur; quare adeo locum hunc ſollicitarunt ac torſerunt, ut de ſuo interpretes vel binas, vel ternas voces infarſerint, quo ſententiam fulcirent. Quidam mutarunt in *delevit*, dummodo fruticet, ajunt, a *delino*, non autem a *deleo*, in eaque medela ſibi plaudunt; norant enim ceram, ſcalptis in ligno litteris ſi infundatur, non delere quidem, ſed eas occulere dumtaxat: tamen poſthabuerunt quatuor ante verbis ineſſe *perſcribit*, non *perſcripſit*, ut tempora in utroque verbo ſint σύμφωνα. Itaque mihi videntur iidem interpretes πολυμαθέστατοι, vel multiplex verbum infarciendo, vel licentius immutando, Trogi ſententiam tenebricoſiorem reddidiſſe, præſertim cum quæſitiſſimis, ac æternis adnotationibus illam ægre aucupari adniſi ſint. Verum, ſi quid ſapio, minima elementorum mutatione mens Trogi ſtatim emicat, ſi *delet* refingas in *celat*; celare autem & tegere inciſos characteres ceræ proprium eſt: neque de hac nativa medela dubites, cum mox ſequantur voces, quæ idipſum recinunt, ſcil. *ne aut ſcriptura ſine tegmine indicium daret*; vide quam appoſite ſibi reſpondeant *celare* & *tegere*. Optaſſem, ut id tot docti viri advertiſſent, ſane tantum olei in his Juſtini verbis minime perdidiſſent,

quod

Digitized by Google

quod factu pronum erat & ἀπόρρητον. Ne legas rogo, quæ adnotavit Trotzius in Herm. Hugonem pag. 156. in isthæc Justini verba, sunt etenim eadem, quæ alii in hunc scriptorem alleverant, nihilque de suo promit; imo inertiæ atque oblivionis arcessendus, qui Gellium, & Trogum hic laudat, Herodotum vero ejus scriptionis artificii plenæ testem antiquiorem ac honestiorem posthabuit.

XVI. Ut autem appositè concludam, certum est, etiamsi verum dicas hoc Demarati, vel Hamilcaris, vel Hasdrubalis (mira sane hominum varietas!) insuetum rarumque facinus ceratæ tabellæ apud Persas, vel etiam apud Pœnos exoticas gentes, minime curandum; cum nostra interfit scribendi mos Græcorum, & Hebræorum, quem certe atramentarium fuisse ad satietatem dedimus, & Græcis tam insolens visum est hoc in cera scribendi genus, ut monstrosum quid, teste Herodoto, crediderint. Porro ipsa Græcorum gens, si eis opus fuisset litteras dolo & arte plenas scribere, atramento etiam utebantur, eorumque inventum elegans erat, non astu barbaro excogitatum, per scytalam scilicet, quem clandestinum scribendi modum, ut Nepotem taceam, Gellius lib. 17. cap. 9. prolixe recitat, quem locum invisere te jubeo, rem enim perleges mira sollertia, & Græca indole dignam. Præterea si plures dolosas scribendi artes Græcorum lectitare ames, consule Æneam in comment. poliorcet. in fine to. 2. Polyb. cap. 31. atque doctas Casauboni adnotationes a pag. 1771. usque ad 1790. ubi vicenas artificii plenas scribendi species, quibus usi sunt duces, enumerat, illas autem multiplices hic adsuere pertæsum est: interea fraudes illas scriptorias per atramentum pluries factas advertes, & elegantissima etiam hujus nigri liquoris genera doceris, scilicet μέλαν κατάκολλον, & μέλαν βέλτιστον· semel vero meminit ceratæ scriptionis, quam reputo eandem esse, qua usus est Demaratus; nam ad eam proxime accedit, ac γενικῶς loquitur, nullique peculiari duci tribuit Æneas: Ἤδη δέ τις ἐν δέλτῳ ἐν ξύλῳ γράψας, κηρὸν ἐπέθηκε, καὶ ἄλλα εἰς τὸν κηρὸν ἐνέγραψεν· εἶτα ὅταν ἔλθῃ, παρ' ὃν δεῖ, ἐκκνήσας τὸν κηρὸν, μὴ ἀνεγνὼς, γράψας πάλιν, ὡσαύτως ἀπέστειλε. Denique non obliviscendus Livii locus, ubi quid umbratile de id genus γραφικοῖς dolis reperire est to. 4. lib. 34. cap. 61. pag. 885. edit. Drakenborchii: *Aristonem quendam Tyrium* (Annibal) *nactus Ephesi, Carthaginem cum mandatis mittit, edit nomina eorum, quibus conventis opus esset, instruit etiam secretis notis, per quas haud dubie agnoscerent sua mandata esse*, &c. vide hic Drakenborchii adnotationes.

XVII. Quo autem ultimum momentum addam, & firmem Persas, non vero Græcanicam gentem, tabellis in scribendo abusos, præsto mihi fuit insperato Ælianus var. hist. lib. 14. cap. 12. qui utinam nomen regis docuisset: Ὅτι ὁ Περσῶν βασιλεὺς ὁδοιπορῶν, ἵνα μὴ ἀλύῃ, φιλύριον εἶχε, μὴ μαχόμενον, ἵνα ξέῃ τοῦτο· μὴ τοῦτο εἰργάζοντο αἱ βασιλέως χεῖρες· πάντως γὰρ ἂν εἶχεν ἀ βιβλίον, ἀ διάνοιαν, ἵν' ἢ σπουδαῖόν τι μὴ σεμνὸν ἀναγινώσκῃ, ἢ γενναῖόν τι μὴ λόγου ἄξιον βουλεύεται (corrige, ἢ εἰ γενναῖον τι καὶ λόγου

ἄξιον

ἄξιον βουλεύηται, γράφῃ), quæ ita verſa ſunt in eleganti edit. Abr. Gronov. 1731. *Perſarum rex iter faciens, ne tædium ei obreperet, tabellam tenebat, &, quo id raderet, cultellum; atque hoc faciebant regis manus: prorſus enim neque libellum habebat, neque meditationem, ut vel ſerium quid, aut grave legeret, vel egregium aliquid & memorabile cogitaret:* vides igitur Perſas tabellas raſiſſe, quo ſcriberent, Græcis autem id moris fuiſſe nullibi reperies. Quo pacto, & quibus inſtrumentis gentes barbaricæ ſcriptitarint, iterum edico minime curandum.

Miror ſane, cum tot eruditiſſimi viri, quos inter Jac. Perizonius, Ælianum æternis adnotationibus mactarint, huic κειμένῳ affectiſſimo nullam medelam feciſſe: & quiſque novit verba Latialia: *Prorſus enim*, & quæ ſequuntur, ineptam ſententiam præferre, & vocem *meditationem* ſatis eſſe hic infrunitam & obtundentem. Quin Græca ipſa, cum verbo deſtituantur, γνησίως convertere fruſtra adlaboratum eſt: quare ſi poſt τὸ βαλλήνται adjicias γράφῃ, *ſcriberet*, extrema belle cum primis reſpondere advertes: dummodo διάνοιαν non *meditationem* dicas, ſed *memoriam*, ſcilicet *pugillarem* illum, ſive *libellum*, quem ſollemne erat ſecum comportare veteres, in quo extemporale quid exararent: itaque refinge ſecundum κώμμα: *Prorſus enim neque librum habebat, neque memoriam, ut vel grave quid & ſerium legeret: vel egregium aliquid & memorabile cogitaret, ſcriberet.* Nunc ſiquidem totius πεμόδε partes ſibi apprime conſpirant, *librum* ſcilicet, & *legeret:* & præterea *memoriam*, ſive *pugillarem*, & *ſcriberet*: & Græce, βιβλίον & ἀναγνώστην, atque etiam διάνοιαν & γράφῃ, quæ extrema vox vel temporis vetuſtate a membranis evanuit, vel exſcribentium noxa prætermiſſa eſt; quam ſane, niſi ſi reponas, nihilo inconſtantius eſſet Æliani ſententia.

Neque credas me temere verbum γράφῃ inſuiſſe, cum opportunus mihi ſe præſtitit, quo id firmem, Herodianus lib. 1. init. cap. 16. fere eadem de Commodo, quæ Ælianus de rege Perſarum, illinens: Ὅ δὲ Κόμμοδος .... λαβὼν γραμματεῖον τούτων δὴ τῶν ἐκ φιλύρας εἰς λεπτότητα ἠσκημένων ἐπαλλήλῳ τε ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένων ΓΡΑΦΕΙ, ὅτῳ χρῇ τῆς νυκτὸς φονεύσῃ, quæ converſa accipe ex Politiano: *Commodus .... ſumpto in manus libello, quales de philyra tenuiſſimi, atque in utramque partem replicabiles fiunt, CONSCRIBIT in eo, quoſcunque illa nocte interficere deſtinaverat.* Ex quibus verbis nemo neget vocem φιλύριον Æliani prorſus otioſam eſſe & importunam, niſi ſubſequatur τὸ γράφῃ, uti factum vides ab Herodiano: γράφει γραμματεῖον ἐκ φιλύρας· quod pronum eſt, & multis non indigebant interpretes, quo hunc locum mutilum atque hiantem in priſtinum integritatem reſtituerent.

XVIII. Quod autem vocabulum διάνοια valeat, *libellus*, ſive *pugillaris*, ne hæreas, id enim a Latinis haurio, qui eam ſcribendi extemporalem rationem *memoriam* vocitare conſuevere: Sueton. in Octav. cap. 79. de hujus principis ſtatura ait: *Quam tamen Julius Marathus libertus etiam*

in

Digitized by Google

in memoria (al. *a memoria*) *ejus quinque pedum & dodrantis fuisse tradit:* ubi doctiores interpretes τὸ *in memoria* pro *pugillari* accipiunt. Adde lib. 6. Cod. Theod. l. 17. De Prox. & Comit. ubi quinam sint *proximi a memoria* doceris, vide interpp. Reperi etiam saxum apud Reinesium, quod ad illustrandam hanc leg. nullusdum adscripsit: M. AVRELIO AVG. LIB. PROXIMO A MEMORIA, &c. ac legas, quæ allevit ipse Reinesius in class. IX. 60. Consule etiam luculentiorem silicem ejusdem in class. VI. 13. qui in hac urbe Neap. servabatur: AVRELIO SYMPHORO AVG. LIB. OFFICIALI VETERI A MEMORIA ET DIPLOMATIBVS, &c. nec non quæ inibi adnotata sunt. Addas Lampridium in Alexand. Sever. cap. 31. *Post meridianas horas subscriptioni, & lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis, & libellis, & a memoria semper assisterent: nonnunquam etiam, si stare per valetudinem non posset, sederent, relegentibus cuncta librariis, & iis, qui scrinium gerebant.* Piget autem me hic assuere quæsitissimum & ingentem Casauboni, & Salmasii in Vopiscum in Caro commentarium pag. 784. &c. qui lucem afferunt his verbis: *Junius Calpurnius ad memoriam dictabat, talem ad præfectum urbis super morte Cari epistolam dedit inter cetera*, cum Græca, potius quærenda sunt, & quæ ab aliis prætermissa. Porro Græci Scriptores, qui erant *a memoria*, appellant ἀντιγραφεῖς τῆς μνήμης, quod me docuit Casaubonus in Vopisc. pag. 785. & ab Herodiano τῆς μνήμης προεστῶτες lib. 4. cap. 8. dicuntur: Ἦν ὠὼτῷ τὶς τῶν ἀπελεύθερων φίλτατος Φῆστος μὲν ὄνομα, τῆς δὲ βασιλείας μνήμης προεστώς, quem locum apposite vertit Politianus, *libertus a memoria.*

Quæ cum ita sint, ad Ælianum redeo, cujus verba, οὐκ εἶχεν ὁ βιβλίον, ὁ διάνοιαν, valent juxta ac ὁ βιβλίον, ὁ μνήμην, *non libellum, neque memoriam*, ideſt *pugillarem*, cum τὸ *meditationem*, uti versum est, nullius frugis dicas. Quod autem διάνοια & μνήμη sint ἰσοδύναμα teneo a glossis, quæ ἔπινοια, cum idem sit ac διάνοια, interpretantur *commentum* vid. adnot. in Polluc. pag. 262. tom. 1. quod apposuere pro *commentario*, sive *re scripta*, Cicerone de cl. Orat. ajente *commenta & scripta*. Et nunc sane mens Æliani bene constat asserentis regem illum Persarum non habuisse neque βιβλίον, quod legeret, neque διάνοιαν, i. e. *pugillarem*, sive *memorialem libellum*, uti appellat Sueton. in Cæs. c. 56. in quo aliquid se dignum γράφῃ. Sed me pœnitet tandem diu ceris Demarati, & Persarum adhæsisse.

XIX. Nihil vero me magis turbavit, ita ut fere animi mentem desponderim, quam plures Aristophanis loci caliginis pleni, a quibus veluti certo evincitur Græcos aliquando in scriptura cera abusos fuisse; & pro cera hujus Comici auctoritate nuperi interpretes, & scholiastæ veteres conjurant. Verum ipse, excussa re curis melioribus, reperisse mihi videor omnes hariolationibus indulsisse, & Græca Aristophanis miserum in modum sollicitasse. In Vespis v. 104.

Digitized by Google

Εὐθὺς δ' ἀπὸ δορπίσ-δ κέκραγεν ἐμβάδας,
Κἄπειτ' ἐκεῖσ' ἐλθών, προκαθέδει πρωΐ πάνυ,
Ὥσπερ λεπὰς προσερχόμενος τῷ κίονι.
Ὑπὸ δυσκολίας δ' ἅπασι πικρῶν τὴν μακρὰν,
Ὥσπερ μέλιττ', ἢ βομβυλιὸς εἰσέρχεται
Ὑπὸ τοῖς ὄνυξι κηρὸν ὑποπεπλασμέν-Θ.
Ψήφων δὲ δείσας μὴ δεηθείη ποτὲ,
Ἵν' ἔχῃ δικάζειν, ἀγκιαλὸν ἔνδον τρέφει.
Τοῦτ' ἀλύει, νοθεύομεν-Θ δ' ἀεὶ,
Μᾶλλον δικάζει. Τοῦτον ἂν φυλάττομεν
Μοχλοῖσιν ἐγκλείσαντες, ὡς ἂν μὴ ξίῃ. κ. τ. λ. quæ ita versa legas:
Cœnatus alta voce poscit baxeas,
Illucque pergit, atque eum nondum expetit
Multum ante mane: dormit, & pilæ hæsitat
Ut concha petræ: damnat omnes linea
Longa severus: intrat ut tenax apis,
Penitusque cera sublitos ungues refert.
Neve ad ferendas calculus sententias
Desit, dat intus operam alundo littori.
His gaudet ille: si admones, impensius
Judicia celebrat. Itaque custodimus hunc,
Serisque vinctum claudimus, ne huc exeat. &c.

Habes jam ex versione senem Philocleonem perdito judicandi furore, & damnandi omnes pœna capitis ferre uti apem digitos & ungues cera oblitos: hinc certo concludunt Aristophanis ævo Græcos etiam in ceratis tabellis scriptitasse. Idipsum hic scholiastæ obganniunt: τὸς δικασ-ὰς ἐν πινακίῳ, ἤτοι ἐπὶ σανίδ-Θ κηρῷ ἀλειμένης .... ἔλκειν μακρὴν γραμμήν. Verum adeo vocabulum cera oculos interpretum veterum, & recentium infecit, ut non viderint Comicum eam non tribuisse digitis fatui Philocleonis, sed μελίττῃ, & βομβυλιῷ, quos scimus κηρὸν ὄνυξι ὑποπλάττειν. Quare ut probe noveris Aristophanis mentem, in animum revoces hujus comœdiæ argumentum, scilicet: Philocleon senex actus furiis exercendi judicia forensia celebrabat δικασ-ήρια: Bdelycleon filius morbum hunc ægre ferens, variis artibus & monitis senem patrem ad saniorem mentem revocare conatur; sene ab incepto minime desistente, ut paterno amori judiciorum fucum faceret, domi judicare ei indulget, dum unis domesticis jus diceret, &c. In his Comici versibus, quos exscripsimus, inducitur Philocleon bene mane forensem operam exercendi ardore furens; columnæ adnixus indormit: mox damnandi omnes capite desiderio incensus εἰσέρχεται, *procedit* sedulus, atque officii sui diligentissimus, veluti apis, aut βομβυλιός, qui urgent summa cura pedibus ceræ opus. Vides igitur Comicum, ut argutam atque insanam senis sedulitatem derideat, apium labori ceram cupidissime fabricantium illum opportune comparare.

Ὥσπερ

Digitized by Google

Ὥσπερ μέλλιττ', ἢ βομβυλιός, κ. τ. λ.

Comparare autem cum apibus ardens hominum factitandi aliquid desiderium, adeo trita res est, ut ad nauseam peræque legamus, atque audiamus. Neque mihi objectes apes ὄνυχας, *ungues*, non habere, cum præsto mihi sit Plinius rerum naturalium promus condus, qui lib. XI. c. 10. *Quæ flores*, inquit, *comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra, priores pedes rostro*; itaque adeo adunci earum ungues sunt, ut rostro potius eos exæquet. Illud ὑποπεπλαστμένος· ne active reddere hæreas, scil. *fabricans*, non vero παθητικῶς *oblitus*; nam pueri sciunt id genus voces Græcas utroque modo ad arbitrium sæpe usurpari: rem fulciam exemplo non aliunde, quam ex hac ipsa comœdia petito ver. 394. φωνή μέ τις ἐγκεκύκλωται· & vide D'Orvillium in Charitonem pag. 660.

Hoc nostrum interpretamentum ratum certumque reddunt, quæ sequuntur, Comico adiverente, senem reos damnare marinis calculis, quorum numerum immanem domum convectandum curaverat, ita ut littus appareret domus: hinc legis, αἰγιαλὸν ἔνδον τρέφει, verte, *littus domi custodit*; non autem *nutrit*, ut omnes male, cum τρέφω sit *nutrio*, & *custodio*; quare id genus calculis, non ceratis tabellis Philocleon utebatur. Et paullo superne idem dixerat, adeo adsueviisse senem digitis τὰς ψήφους prehendere, ut vix experrectus ternos primos digitos contraheret ac stringeret veluti calculos judiciales capturus ad eorum instar, qui thus acerræ imponunt, vers. 94.

Ὑπὸ τῶ δὲ τὴν ψῆφόν γ' ἔχειν εἰωθέναι,
Τὰς τρεῖς ξυνέχων τῶν δακτύλων, ἀνίσταται
Ὥσπερ λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς νεμεσίᾳ.

Præterea vide versum 981. ubi senex canem, qui caseum abligurierat, calculo etiam morti addicit; atque vers. 162. postulat ensem, vel thecam ligneam damnatoriam, in qua inerant ipsi calculi:

Πῶς ἄν σ' ἀποκτίναιμι; πῶς; δότε ξίφος
Ὅπως τάχιστ', ἢ πινάκιον πμητικόν.

De his duobus versiculis vide, quæ lepide & docte adnotavit D'Orvillius in Charitonem pag. 681. contra Dawesium restituentem suavissime extrema verba in πινάκιον τὶ τμητικόν.

Ceterum licet omnis hæc comœdia ubique ostentet senem judicia exercentem, nunquam tamen ceræ mentio est, in qua si Græci judices quid scripsissent, sæpius eam Comicum iterare oportuisset. Demum quis in animum inducat, ut credat Græcos judices elegantissimos unguibus cerata tigilla, quo homines vel absolverent, vel damnarent, proscidisse? Quod si ita res se habuisset pleni essent ejus moris tot oratorum Græcorum libri, in quibus ceræ neque vola, neque vestigium, quamquam in iis sexcentorum judiciorum species legas, quæ omnia solis ψήφοις peracta novimus. Satis mihi sit ex bene multis Demosthenis locis unicus hic aptissimus orat. contra Eubulidem circ. init. pag. 537. Οἱ δὲ λαμβάνοντες δύο καὶ τρεῖς ψήφους, ἕκαστος παρὰ

Digitized by Google

τούτων ἐνέβαλλον εἰς τὸν καδίσκον· σημεῖον δὲ οἱ μὲν γὰρ ψηφισάμενοι ὃ πλείους, ἢ ἑξήκοντα, κ. τ. λ. Et rogandus es, ut omnem tragœdiam Æschyli *Eumenides* inscriptam evolvas, quæ tota quanta est circa Orestis matricidæ judicium versatur, neque quid ceræ invises, neque quid scripturæ, sed negotium hoc omne judiciale solis ψήφοις peragitur atque absolvitur.

XX. Alter Aristophanis locus peræque caliginosus in eodem dramate visitur vers. 843. & seqq. ubi canis, qui caseum devoraverat, judicium instituitur apud senem Philocleonem: atque inter cetera hæc habes:

ΦΙ. Ἀλλ' εἴσαγ' ἀνύτας· ὡς ἐγὼ τιμᾶν βλέπω.
ΒΔ. Φέρε νῦν, ἐνέγκω τὰς σανίδας, κἀ τὰς γραφάς.
ΦΙ. Οἴ μοι διατέλψεις, καπολεῖς τελψημερῶν·
Ἐγὼ δ' ἀλοκίζειν ἐδεόμην τὸ χωρίον.
Ἥδε καλεῖ νῦν, κ. τ. λ.

Quæ ita vertit Florens Christianus secutus scholiastæ mentem,

PHI. *Verum fer intro, honore dignum censeo.*
BDE. *En nunc tabellas, & tablina defero.*
PHI. *Vah obteris me, & enicas, tempus terens:*
Mihi sat fuisset ungue sulcos ducere.
Jam nunc voca in jus, &c.

Tenes igitur iterato scriptionem ceream unguibus factam, quod Comicus prorsus non dicit, sed primum σφάλμα traxit hoc alterum inficetius: quare κατὰ λέξιν ita restitue ejus verba:

PHI. *Verum introduc celerans: ego enim ad judicium intendo.*
BDE. *Age, nunc fero tablina, & codices.*
PHI. *Hei mihi obteres, & perdes me toto consumens die:*
Ego autem arare vellem campum:
Jam age voca in jus, &c.

Igitur senex apparat se, ut judicet: filius affert statim σανίδας, (quæ vox cum obscura satis sit, haud scio an Latine *tablinis* respondeat,) & codices: pater fingit tanquam judex emeritus, licet judicandi ardentissimus, se ejus muneris jam pertæsum, seque optare ait potius aratoris officio fungi, quam judicis: atque veluti invitus judicio tandem adsidet, jubetque acciri reos, &c. Hæc porro Aristophanis mens est, ejusque verborum sententia; *ungues* hic, & *ceras* non vides: & usque mirari non desinam tot doctissimos interpretes tam longe aberrasse ab his, quæ lepide cogitarat Comicus, tamque male Græca omnia vertisse: veluti ὡς ἐγὼ τιμᾶν βλέπω, *honore dignum censeo*, quæ nihili sunt; cum pueri fecundæ classis norint τιμᾶν sæpe denotare *pœnas irrogare*: eadem dicas de voce τελψημερῶν. Quis ferat bina verba ἀλοκίζειν χωρίον transfusa Latine, *sulcos ducere in tabella*, cum χωρίον sit *ager* & *rus*? oboluerat difficultatem interpres Flor. Christianus, quare in versione veluti anguem vocem χωρίον aufugit, ut taceam reliqua id genus παροράματα. Habes igitur bina Aristophanis loca γνησίως restituta, ratumque teneas Græcos nunquam in scriptitando ceram adhibuisse, ac demi-

reris

Digitized by Google

reris multiplicem interpretum oſcitantiam: firmamus etiam atque etiam parum fidei ineſſe Latialibus Græcorum Auctorum verſionibus.

XXI. Tertius Comici locus eſt in Θεσμοφοριαζούσας v. 775. ubi vel oculatiſſimus decipi paſſus eſt Græcos in lignis ſtilo ſcripſiſſe: verum, ut hic brevis ſim, ſcias ex his Ariſtophanis verſibus prorſus oppoſitum ceratæ ſcriptioni te doceri, quod ſtatim noveris, ſi cauſam legas, cur Mneſilochus in lignum quædam verba inciderit. Inducitur ſiquidem Mneſilochus in carceris moleſtias conjectus, & queribundus, nihil ſe habere, quo Euripidi amico litteras ſcriberet, ut ſibi opem ferret, ne ipſas quidem πλάτας, *palmulas*, quas olim Palamedes characteribus ſcalptas in mare projecit, quarum una ad patrem Naplium forte directa eſt: ligneas ſtatuas Mneſilochus ferro ſcripſit, exemploque Palamedis eas hortatur, ut per quamcunque viam celerrime abeant: longiuſculos Comici verſus apponam, quorum cito advertas:

ΜΝ..... Φέρε δή, τίν' ἄν ἄγγελον
Πέμψαιμ' ἐπ' αὐτόν· οἶδ' ἐγὼ κοὐ δὴ πόρον
Ἐκ τῆ Παλαμήδους, ὡς ἐκεῖνος, τὰς πλάτας
Ῥίψω γράφων· ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται·
Πόθεν ἂν γένοιντ' ἄν μοι πλάται; πόθεν;
Τί δ' ἄν εἰ ταῖδι τ' ἀγάλματ' ἄντι τῶν πλατῶν
Γράφων διαῤῥίπτοιμι; βέλτιον πολύ·
Ξύλον γέ τοι κἀ ταῦτα, κἀκεῖν' ἦν ξύλα.
Ὦ χεῖρες ἐμαί,
Ἐγχειρεῖν ἔργῳ ποεμίῳ,
Ἄγε δὴ πινάκων ξεστῶν, δέλτοι,
Δέξασθε σμιλῆς ὀλκάς,
Κήρυκας ἐμῶν μόχθων· οἴμοι
Τυπὴ τὸ ῥῶ μοχθηρόν.
Χώρει, χώρει· ὁποίαν αὖλακα
Βάσκετ', ἐπείγετε πάσας κἀθ' ὁδὸς
Κεῖνα, ταῦτα ταχέως χρή.

Quos accipias, quoad fert Latina fides.

MN..... Age quemnam igitur nuncium
Mitterem ad ipſum (Euripidem,) novi ego & viam
Palamedis exemplo, ut ille, remos
Mittam inſcribens; ſed non adſunt mihi remi:
Unde igitur ſint mihi remi? unde?
Quid vero ſi has ſtatuas pro remis
Scribens tranſmittam? multo melius foret:
Lignum enim & hæ, & illi erant ligna.
O manus meæ,
Aggredi oportet prompte.
Age ex tabulis levigatis, epiſtola,

Exci-

Excipe cultri tractus,
Nuncios meorum dolorum: hei mihi
Littera rho informis.
Vade, vade; per qualemcunque vicum
Incede, festina per omnem viam
Hac, & illac: celeritate opus est.

Tutemet igitur luculenter advertis esse in Comico id genus ligneæ scripturæ quid insolens, & inauditum Græcis, & ingenti necessitate urente, adhibitum, tanquam *artificium salutis expediendæ*, μηχανὴν σωτηρίας, ut ait ipse Aristoph. v. 772. Nemo ergo unus hinc colliget Græcis in tabulis ligniſque morem fuisse scriptitandi: & quotquot ἀρχαιολόγοι, sunt autem plerique omnes, hoc exemplo ad id probandum abusos lego, fatendum sane hos Comici versus subsultim lectitasse. Et magis miror Pollucem ad hos versus lib. 10. cap. 14. frag. 58. provocare pro veterum scribendi materie.

XXII. Rursus hujus lepidissimi poetæ auctoritas me frangit, etenim si ligni γραφικὸν vocabulum nunc ab eo deterserim, ceram, quam in eodem Comico in Nubib. act. 2. sc. 1. quosdam se inveniſse inclamant, haud scio an eradere satis sim. Et quidem initio in hac etiam fide ipsemet fueram, tandem illuxit quid candidum, & nihil prorsus obscurum, aut cereum inibi deprehendi, solent enim id mali ceræ facessere; quare cavendum cum Martiali lib. XIV. cap. v. *Languida ne tristes obscurent lumina ceræ:* Strepsiades senex rusticus, & obæratissimus stolide lætatur coram Socrate se modum reperisse, ne sibi unquam impingatur dica; cum etenim, inquit, γραμματεὺς actionem in me scribat, ipse vitrum ardenti soli opponam, litteraſque ἐκτήξω, *liquefaciam*. Si autem res agenda sit Lexicorum patrocinio, causa ipse sanequam caderem, cum omnes lexicographi satis exemplorum aggestent pro sola *liquandi* vi & notione in verbo τήκω· si senex, dicat aliquis, radiis solis per vitrum refractis spondeat se scripturam dicæ suæ liquefacturum, quin in cera fuerit haud dubitandum est, solideque apud Græcos mos ceratarum tabellarum firmatur. Verum paucis me expediam; etenim præterquamquod Aristophanes neque tabellas, neque ceram inibi meminit, reperi ego τὸ τήκειν etiam ipsam *exurendi* significationem intime complecti, non equidem in Scriptoribus perdiu a Comico remotis, sed in Euripidis συμβιωτῷ Cyclope v. 458. ubi ita loquitur Ulysses hujus monstri oculum adurere aggrediens, Ἀκρήμονα ἐλαίας εἰς μέσην βλὼν Κύκλωπος ὄψιν ὄμμα τ' ἐκτήξω πυρί, *ramum oleæ in mediam Cyclopis frontem intrudens oculum aduram igne*. Igitur etiam Aristophanem eadem voce usum, deque ustione loquentem hanc virtutem, non autem liquandi in voce ἐκτήκω expressisse quis neget? Et sane chartis vel papyris dicam Græci scribæ illinebant, quæ facillime ustionem concipere possunt inflammanti vitro obnoxiæ. Optarem autem, ut huic verbo in lexicis ea notio apponeretur. Itaque nemo unus

Digitized by Google

nus posthac Aristophanis haud bene percepti fide nixus, vel oblivio-sis scholiastis & interpretibus opinatoribus indulgens Græcos scribas tabulas cera oblitas habuisse sibi atque aliis persuasurus sit.

XXIII. Præterea quo Græcorum existimationi consulam, qui nunquam in scriptione se ceræ immiscuere, ad delendam ceram, sive maltham ab Demosthene aggredior, cujus verba omnium mihi difficillima visa sunt, quæque ceris fortiter quis adhærescens objicere posset orat. 2. adv. Stephanum, ubi quasdam hujus Stephani tabellas τῇ μάλθῃ illitas meminit. Fateor verba Demosthenis initio non parum mihi negotii creavisse, & serius, quam par fuit, animadvertisse tum maximum Oratorem contra ceras peroravisse, tum Græce doctissimum Wolfium illius sententiam minime assecutum: non te pigeat paullo prolixiora ejusdem verba percurrere: Ἔπι τοίνυν κἂν ἀπὸ τῆς γραμματείας γνοίη τις, ἐν ᾧ ἡ μαρτυρία γέγραπται, ὅτι τὰ ψευδῆ μεμαρτύρηκε· λελευκωμένον τε γάρ ἐστι, κοὐκοθεν κατεσκευασμένον· κοὐ τοι τοὺς μὲν τὰ πεπραγμένα μαρτυροῦντας προσήκει οἴκοθεν τὰς μαρτυρίας κατεσκευασμένας μαρτυρεῖν, τοὺς δὲ τὰς προκλήσεις μαρτυροῦντας τοὺς ἀπὸ ταυτομάτου προσάντας, κὐ ἐν μάλθῃ γεγραμμένους τὴν μαρτυρίαν, ἵνα εἴ τι προσγράψαι, ἢ ἀπαλείψαι βουληθῇ, ῥᾴδιον ᾖ. Οὐκοῦν κατὰ μὲν τοῦτο πάντα ἐξελέγχεται τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκώς, κὐ παρὰ τὸν νόμον. Quæ ita transfudit in Romanum Wolfius: *Jam & e tabulis intelligi potest, in quibus scriptum est testimonium, eum hæc falso esse testificatum: nam & candidatæ sunt, & domi concinnatæ: convenit autem iis, qui res factas testificantur, confecta testimonia domo efferre; eos vero, qui de provocationibus testificantur, cum fortuito astiterunt, ceratis inscribere testimonium, ut si quid adscribere, vel delere voluerint, facile possint. Proinde hæc omnia ostendunt, eum falsa esse testificatum, & contra legem.* Vides jam meridiana luce clarius in Wolfiana versione Demosthenem penitus opposita fateri, Stephanum scil. falsum esse testem, eo quod domi testimonium scripserat, mox Orator adstruit, quod negarat, idest, convenire, ut illud domi scriberet: idipsum dicas de sententia, quam idem Orator profert de ceratis tabellis, quas eodem tempore repellere videtur, eodemque necessarias clamat. Quis autem in animum inducat, ut credat Oratorem summum usque eo ἀλόγως locutum?

Miror sane Wolfium, qui de Demosthenis locis longius tenebricosis egregie meruit, hunc paullo dormitantius vertisse. Quare ut te non satis diu teneam, Demosthenes judices non solum hic alloquitur, sed ut Stephani improbitatem clarius aperiat, eos interrogat, num liceat domi, seu clanculum libellum testimonii conscribere? atque an lubeat in maltha exarare, in qua facile quidvis exares, & inducas? cum autem utroque pacto testatus sit Stephanus, falsum igitur protulit testimonium, & contra legem: atque ita pura putaque se prodet mens Oratoris maximi, nihil sibi adversantis, sed vim quandam verbis suis addentis. Quare si σιγμήν, sive signum interrogationis, quod non apposuere amanuenses locis suis illi-

Digitized by Google

illinas, veram ſtatim ſententiam adſequeris.

Hinc igitur colliges apud Græcos nunquam invaluiſſe tabulas cum maltha, ſeu cera, rejectumque proinde Stephani teſtimonium in ea inciſum, qui ſolus fortaſſe primum Græcanicis judicibus tale proferre auſus eſt, hinc haud ſincerum, ſive falſum traductum vides. Quis igitur poſthac pertinaciſſimus contenderit Romanos teſtamenta, & id genus chirographa ceris mandaſſe, cum certum ſit ex hoc Demoſthenis loco eas facile poſſe corrumpi, ac ἀναλείφεσθαι, Romanamque prudentiam voluerit a Græca vinci? Quare quiſque mecum conveniat, & ceras tabulaſque, ut Latinæ majeſtati conſulat, inter τροπικὰς locutiones amandet: ut multis paullo inferne cap. VI. oſtendam.

XXIV. Neque velim credas me effugere, quod hic objici poſſet: licet in publicis Græcorum judiciis inhibitæ eſſent ceratæ tabellæ, tamen exemplo Stephani ψευδομαρτυρῶντος certo colligi id moris ſcribendi inter Græcos viguiſſe. Verum reponere poſſem ipſius Stephani commentum fuiſſe, cum apud Scriptores, qui in Græcia vixere, neque cum Romanis communicarunt, vocem κηρός, aut μάλθη in ea notione, ut ſuperne oſtenſum eſt, nunquam reperies. Et lex Solonis, quam paullo ante in ead. orat. Demoſthenes recitat, quæ jubet, quo pacto teſtimonium ferri oporteat, ſi exarare ceras apud Athenienſes in more fuiſſet, in ſcribendis teſtimoniis interdixiſſet profecto, ut hominum technis occurreret: edicitque dumtaxat, ut teſtium verba ſcripto conciperentur, quo firma, & conſtans eſſet teſtantis voluntas, neque ceram, ſeu maltham meminit, quam ſane inhibuiſſet, ſi Athenienſes cives eam in more habuiſſent, utpote corrumpi facilis, & deletitia: apponam Demoſthenis verba legem recitantis. Οἱ δέ γε νόμοι ὅ' ταῦτα λέγουσι, ἀλλ' ἂν (corrige ἃ) εἰδῇ τις, καὶ οἷς ἂν παραγένηται πραττομένοις, ταῦτα μαρτυρεῖν κελεύουσιν ἐν γραμματείῳ γεγραμμένα· ἵνα μὴ τ' ἀφελεῖν ἐξῇ μηδέν, μήτε προσθεῖναι τοῖς γεγραμμένοις, *Leges autem non iſthæc dicunt, ſed quæ viderit quis, & quibus interfuerit, ea teſtari jubent in libello ſcripta; ut neque delere aliquid, aut adjicere iis, quæ quis ſcripſerit, liceat.* Verum quæ in hoc ſequenti §. XXV. apponam, vero propiora reor, teque probaturum, quod ſentio.

XXV. Quoniam autem alicui faſtidienti ipſe imbecillius reſpondiſſe videar, penſi mei eſt, ut ſententiam fulciam, præſertim cum facile ſit contra ceras malthamque urgere. Fateor me partim neceſſitate, partim voluptate ſatis diu Demoſthenis orationes triviſſe, atque hanc alteram contra Stephanum poſterioris ævi fœtum eſſe oboluiſſe, cum ſatis elumbis ſit, & vim & lucernam Demoſtheneam nihil oleat, in eaque omnia turbata legas, & permixta, vel eadem, quæ in prima dicta ſunt, recoquat; vel apponat quædam, quæ ſine crimine a ſummo Oratore præteriri in prima minime potuiſſent, quorum unum eſſet, Stephanum in maltha ſcripſiſſe teſtimonium contra Solonis ſcitum: atque hinc eruo Græculum Romanenſem ſophiſtam eam confinxiſſe, uti non unam Demoſthe-

ni

Digitized by Google

ni adjudicatam legis: quare dealbatas tabellas, & ceratas ab Demosthene quin quisque expungat nullus dubito.

Verum cum id esset nodum exscindere, non vero solvere, longioribus argumentis probandum esset iis, qui summi Oratoris eloquentiæ indolem non dum norunt; quare ajo in hoc unius orationis loco cursim ceræ mentionem fieri, quæ si in more fuisset, saltem iterum illius usum in Demosthene, ceterisque bonis Græcis deprehendissem, cum ad fastidium scriptionis vocabula commeminerint, atque ex eo dumtaxat unicuique bonæ frugi viro locus subtestissimæ fidei arcessendus. Demum adde Pollucem cap. XIV. lib. x. cum de maltha scriptoria exempla dubii plena a Græcis afferat, hanc ei Demosthenis maltham latuisse; igitur post Pollucem orationem confictam facile crederem.

Interea advertendum reor, neminem tot eruditorum nostrorum temporum, qui confecere vel volumina, uti Funcius, & Trotzius, vel qui longiores commentationes, & pro cerata scriptione simul conjuravere omnes, hunc Demosthenis locum, licet oculatissimi, neque quotquot doctissimis adnotationibus Pollucem de voce *maltha* onerarunt, vidisse; cum nihil dubii sit, quin illum ad suæ sententiæ patrocinium comportassent. Miseret autem me Jo. Scapulæ, qui, cum H. Stephani thesaurum compilasset, hunc Demosthenis locum apponit orationi *pro corona*, quando H. Stephanus recte Thesauro suo illeverat Græce κατὰ Στεφάνου, Scapula puerili errore exscripsit περὶ στεφάνου, quod adnotandum, ut quanta fides habenda sit lexicis discant, qui ab iis Auctorum exempla aucupantur.

XXVI. Hæc vix commentatus eram, cum adverti cl. Salmasio in Jus Att. & Rom. pag. 823. & seq. etiam aquam hæsisse, & ad arbitrium, quo ad sententiam suam traheret, hujus orationis Demosthenææ verba permutasse: verum adeo obscura deprehendi, quæ adnotavit vir summus, ut cum etiam atque etiam lectitassem, fatendum mihi sit ea minime percepisse: quare veniam rogo adscribendi omnia, quæ Salmasius excogitavit, ut quisque ex se judicet, an reapse sint tenebricosa, & fortasse etiam sibi non constantia: *Jure Attico, qui volentes testimonium ferebant, id domi in tabulis inscribere necesse habebant albatis, ne quicquam addere, aut detrahere, vel immutare ex eo, quod scriptum esset, possent. Qui vero coacti testimonium perhibebant, aut casu oblati, ceratis tabulis id mandabant, ut si quid ex eo mutare additione, vel detractione ipsis collibitum esset, liceret; Demosthenes in secunda contra Stephanum de falso testimonio:* Ἔπειτα τοίνυν ἡ ἀπὸ γραμματείου γνοίη τις, ὅτι τὰ ψεύδη μεμαρτύρηκε, λελευκωμένον τε γάρ ἐστι, καὶ οἰκοθεν κατεσκευασμένον. *Ex tabellæ genere, in quo testimonium scripserit, falsum eum dixisse argui ait, quia & domi concinnata fuerat, ac dealbata.* Λεύκωμα *fuisse indicat, quod erat* γραμματεῖον λελευκωμένον, *non tabella exasciata & expolita, ut vertit vir eruditissimus. Ex eo arguit falsum eum testimonium scripsisse, quod in tabella dealbata id conscripserat.*

pserat. Quo genere solo solebant uti de rebus, quas ipsi vidissent, qui sponte super his testimonium perhibebant, ut statim addit: ἢ τὸς μὲν τὰ πεπραγμένα μαρτυρῶντας προσῆκει οἴκοθεν τὰς μαρτυρίας κατεσκλεισμένας μαρτυρεῖν, τὸς δὲ τὰς προκλήσεις μαρτυρῶντας, ἢ τὸς ἀπὸ ταυτομάτου προσάντας, ἢ ἐν μάλθῃ γεγραμμένας τὴν μαρτυρίαν, ἵνα εἴ τι προσγράψαι, ἢ ἀπαλείψαι βεληθῇ ῥᾴδιον ἦν· *ita scribendum in verbis Demosthenis. Nam diversi sunt* οἱ τὰς προκλήσεις μαρτυρῶντες, *quibus testimonium lege denuntiabatur, &* οἱ ἀπὸ ταυτομάτου προσάντες, *quos casus in re præsenti dabat. Ista duo genera testium in maltha, hoc est in ceratis tabulis testimonium suum scribere debuerunt, ut detrahere, delere, aut addere, quæ vellent, possent, cera omnis in scribendo mutationis capace.* Μάλθη *est tabellæ ceratæ cera,* ὁ ἐνὼν τῇ πινακίδι κηρός, *inquit Pollux lib.* 10. *c.* 14. *Qui, & alio loco* μάλθῳ *exponit,* ᾗ κατέλειπτο τὸ πινάκιον, *ceram, qua tabella erat inducta, & oblita. Voluntarii vero testes in* λελευκώμασι *id lege jubebantur scribere, & domo prolatas exhibere, ne quid mutare in iis possent. Non enim in dealbata tabula, sive* λελευκώμασι, *ut palimpsesto, deleri, aut reponi, quod cuique liberet, licuit.* Γραμματεῖον *absolute hoc vocabatur in lege, quæ id sanciebat, ut legitur apud eundem Demosthenem:* οἱ δέ γε νόμοι ἃ ταυτὰ λέγουσιν, ἀλλ' ἂν εἰδῇ τὶς, ἢ οἷς ἂν παραγένηται πραττομένοις, ταῦτα μαρτυρεῖν κελεύουσιν ἐν γραμματείῳ γεγραμμένα, ἵνα μήτ' ἀφελεῖν ἔξῃ μηδὲν, μήτε προσθεῖναι τοῖς γεγραμμένοις. *Si in cerata tabella, ut infra dicit, deleri, detrahi, vel addi, quodcumque liberet, licuit, oportet non ceratam fuisse tabellam, in qua id fieri poterat. Ergo illa dealbata fuerit, ut etiam paulo post vocavit. Et vereor etiam, ne hic scribi debeat* ἐν γραμματείῳ λελευκωμένῳ pro γεγραμμένα· *nam vox* γραμματεῖον *tam de ceratis tabulis accipiebatur, quam de albatis: unde apud Aristoph.*

Τὴν μάλθαν ἐκ τῶν γραμματείων ἐξίων.

Videtur tamen aliis locis infra Demosthenes absolute γραμματεῖον *posuisse de ea tabella, quæ albata esset, ac ceratam vocare simpliciter* μάλθω, ἢ ἐν μάλθῃ γεγραμμένας τὴν μαρτυρίαν. *Pollux quoque lib.* 8. *c.* 5. *inter instrumenta* δικαστικὰ *recenset* μάλθω, *quam videtur pro tabella inducta maltha posuisse:* πινάκιον τιμητικὸν μάλθῃ, ᾗ κατέλειπτο τὸ πινάκιον. Huc usque Salmasius pro illustratione orationis Demosthenis. Piget me tot doctissimi viri παραράματα in his longissimis ejus verbis indicare, prolixior enim sermo excurreret: verum eo quod communis error etiam Salmasium abripuit, scil. Græcos in cera, & tabulis scriptitasse, hunc Demosthenis locum adeo turbavit confuditque, ut quæ orator ne cogitaverat quidem, vir magnus eum dixisse confinxit. Ceterum demiror, quotquot de Atticis legibus erudite scripsere, etiam clariss. Vesellingius in tit. de Testibus, de hoc περιθρυλλέτῳ Demosthenis loco ne verbum quidem feciisse, imo veluti Syrtim, evitandum ratos esse. Et mihi gratulor hanc ex *cera*, sive ex *maltha* maculam ab Demosthene erasisse,

Digitized by Google

ſiſſe, etiamſi orationem illam γνήσιον fœtum dicas, quam e contrario ipſe, quoniam μάλθης in ea mentio eſt, νοθείας arceſſam, quippe in reliquis, quæ plurimæ ſunt, orationibus κῆρον, aut μάλθω nunquam inviſi, verum ubique γραμματεῖον. Et ſcias vocem μάλθη apud cultioris Græciæ ætatis Scriptores me non reperiſſe, ſi Pollucem excipias, qui binos locos laudat Cratini, & Ariſtophanis ex deperditis jam comœdiis, qui an de Græcis loquatur, plane incertum eſt: ceterum etiam potiori conjectura dicerem binos comicos loqui non de ſcriptoria cera, ſed de *ſignatoria*, quam habuiſſe Græcos melioris, & antiquiſsimi ævi nullus neget: & Pollux ipſe ſtatim convertit ſermonem ad id genus ceræ, quæ ad ſignandum utebantur veteres. Quare non parum divinatio fulcietur, Demoſthenis orationem adverſus Stephanum Græculum declamatorem ad ætatis ſuæ indolem confinxiſſe.

XXVII. Adeo me ſincerum habes, ut, licet prompte edixerim nullibi Græcorum Scriptorum reperiſſe vocabulum κηρός inter librariam ſupellectilem, uti non ſemel tenes a Latinis, non evitem locum Diog. Laertii in Plat. ſegm. 37. p. 186. quem procul dubio veluti in ſcopulum me impegiſſe clamites: ait enim hic βιογράφος leges quaſdam Platonis *in cera* fuiſſe exaratas; accipe Græcum κείμενον, atque ut exſtat Latialiter in edit. Menag. Ἔνιοι τέ φασι, ὅτι Φίλιππος ὁ Ὀπούντιος τοὺς νόμους αὐτοῦ μεταγράψαι ὄντας ἐν κηρῷ, *plerique autumant Philippum Opuntium ipſius leges, quæ erant in cera, tranſcripſiſſe*. Fateor initio ab his Laertianis verbis obturbatum, verum cum in primo hoc Græcanico ſcriptore κηρός in ea notione repererim, malam eſſe verborum fidem ratus ſum; præſertim cum, ſi hic κηρός præfracte ſuſtentes, nihil præclari, & Platonis fama dignum Laertius poſteris dediſſet. Quare non te ſatis diu teneo (hortor autem, ne erres cum librariis) & pro ἐν κηρῷ quovis pignore reſtitue, quod genuinum eſt ἐν κέδρῳ, hac parva mutatione optimam vides ſententiam in Platonis decus & laudem, veteres ſcil. exaraſſe Platonis leges in cedrinis, & publicis tabulis, quo temporis voracitati obſiſterent, ab eiſque deinde Philippum civem Opuntium exſcripſiſſe: omne enim hoc ſegm. 37. quorundam divini Philoſophi librorum præconium complectitur: exempli cauſa, recitanti Platonem volumen *de anima* omnes aſſurrexiſſe præter Ariſtotelem, qui prope aſſidebat, ut laudes de libris, quos *de repub.* ſcripſerat, & de elegantia verborum taceam; eodem pacto Laertius, ut illos de Legibus extollat, *in cedro* fuiſſe olim inſculptos tradit. Itaque non eſſet unius aſsis, ſi in Laertio hic reponas ἐν κηρῷ ſcriptas eas leges, contra ſupremæ laudi futurum Platoni, ſi dicatur νόμους ὄντας ἐν κέδρῳ. Præſertim cum tirones norint, quæ cecinit Perſius ſat. 1. v. 42. *Et cedro digna locutus*; reliqua Latinorum exempla proſtant vel in lexicis: ſi Græca quæras pro me admirandæ eruditionis vir Caſaubonus hic in Perſ. opportune quædam collegit. Quare ſpem bonam nutrio fore, ut probes me jure ex Laertio *ceram* abſterſiſſe; & miror Menagium τὸν πάνυ, ceteroſque interpretes nihil hic adnotaſſe, cum

pronum fuisset, neque diu laborandum, ut quis existimaret Platonis libros *cedro* dignos, & *cera* hic sit vox satis ἀκαιρος.

XXVIII. Demum objici mihi potest locus Heineccii antiq. Rom. lib. 2. tit. X. XI. XII. de ordin. test. n. 12. in adnot. quem male exscripsit a Schulting. quippe uterque Themistium minime adire & consulere accurarunt, cum laudent orationes 16. & 18. hujus philosophi, quando in 6. quæ opponi possent contra atramentariam scriptionem, tantummodo reperiuntur pag. 159. edit. Parisiens. 1618. Postquam Themistius Theodosii Imp. grandem rerum gestarum multitudinem admiratus esset ait: Ταῦτα ἓν μοι ἐπὶ ἑκαστον ἐπισκοπῶντι ἀτρέμα χρῆσθαι ἀνάγκη τῇ πινακίδι, καὶ τῷ σιδήρῳ, quæ ita Latine versa sunt: *hæc igitur cum singillatim considero, pedetentim uti pugillaribus, ac stilo necesse est*. Ex quibus verbis non fide bona a se laudatis colligit Heineccius adhuc Theodosii ævo ceræ scriptoriæ usum perdurasse: cum contra quisque vel luscinios cerneret Themistium τροπικῶς loqui Latinorum more, scil. velle se Imperatoris gesta non stilo jejuno celerique, sed presso ac gravitatis pleno concelebrare; profecto Theodosii tempestate Græci nimis ἐῤῥωμαϊζον. Neque de ea re dubites, quando etenim philosophus hic posthabitis tropis loquitur, sollemnibus atramentariæ scripturæ vocibus usum legimus, vid. Orat. IX. p. 194. Ὅτι θεοῖς ἐχθρὸς ἄνθρωπος ἐν ὑπογραφέως ἀεὶ μοίρᾳ διαβιὰς, ἐκ τε μέλανος, καὶ τῆς καλαμίδος ἐτόλμησεν εἰς νοῦν ἐμβαλέσθαι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν, κ. τ. λ. *cum homo Diis invisus, qui in scribæ, & notarii perpetua sorte vixisset, ex atramento, & calamo prodiens Romani imperii magnitudinem in animum inducere esset ausus* &c. carpit hic acerrime Themistius Procopium Juliani Imp. propinquum, qui notarius, ac tribunus fuerat, inde Constantinopoli repente tyrannidem arripuit. Vides hunc Philosophum, quando historici vice fungitur, & sine oratoriis pigmentis loquitur, γνήσιον, & tritam scribendi consuetudinem dictis usurpare.

XXIX. Postremo quisque condonandum existimet H. Stephano, utpote Gr. ling. Thesaurum, tanti laboris opus compingenti, qui laudat sane Euripidem in Phœdra, ubi vocem πλάκη ait *accipi pro pugillaribus, sive codicillis e picea, sive larice factis ante repertum chartæ usum*. Cum autem ipse fragmentum ejus tragœdiæ consuluisem, vid. Eurip. Barnesii part. 2. pag. 540. in eo fragmento nihil de scriptione, neque vox πλάκη illita est: me satis piguisset, si piceas tabellas usurpasse Græcos elegantiæ plenos reperissem, quos neque ceratis ipsis abusos tot Scriptorum lectione, & non exiguo labore comprobarim. Atque iterum mihi cum H. Stephano litem esse scias, qui nihil dubitans in voce σύλος pag. 1808. edicit: σύλος *pro graphio accipi, quo in tabulis cereis exarabant: apparet ex* συλοειδής, *quod Galeno idem est, quod* γραφιοειδής, Mox in voce συλοειδής ait idem Stephanus: συλοειδὴς *dicitur processus ossis petrosi ab inferiori ejusdem sede exoriens, solidus, tenuis, & oblongus instar stili, seu graphii, vel acus, unde Galenus* γραφιοειδῆ, & βελονοειδῆ *eum se*

Digitized by Google

se appellare scribit libro de ossibus: inde adnotat per *η* vocem σηλοειδὴς dici apud Rufum Ephesium. Hinc quis mihi objicere Stephani sententia nixus posset Græcos etiam stilo scripsisse in ceris, cum Galenus nomen cuidam ex ossibus circa aures ob figuram stili, sive graphii tribuat: verum facile reponam Galenum, quoniam secundo Christi sæculo vixerit, a Latinis vocem συλοειδὴς efformasse, quam sane apud vetustiores medicos minime reperies, quare, cum osiculum istud stili scriptorii Latinorum speciem referret, συλοειδές, sive γραφιοειδές appellavit: neque hinc colliges Græcam gentem in ceris litteras incidisse: apponam Galeni κείμενον cap. 1. de futuris, & capitis ossibus edit. Charterii pag. 13. to. 4. Ἐν τέτῳ ϰ᾽ ἡ συλοειδὴς ἀπόφυσίς ἐστιν, ἣν ἐγὼ βελοειδῆ τε ϰ᾽ γραφιοειδῆ ϰαλῶ, ἡ τ᾽ ἀϰυστιϰὸν περιέχουσα πόρον, quæ verba ita vides transfusa Latialiter in Copo, & Charterio: *In eo & styloides, (columniformis) apophysis est, quam ego & belenoidem (acuiformem,) & graphioidem (styliformem) voco, & ea, quæ auditus meatum continet:* miror hos duoviros rei medicæ doctissimos vertisse συλοειδὴς *columniformis*, cum illud osiculum apertissime figuram habeat βελόνης, *acus*, & γραφείου, *stili:* parcendum vero H. Stephano, qui videtur permiscere processum ossis λιθοειδὲς, *petrosi*, ac ossis γραφιοειδὲς, *styliformis*.

Scio quosdam mihi hic molestos, quod voces κύρβεις, & ἄξονες, apud Athenienses præsertim celebratissimas quasi vitaverim: verum cum mihi res sit de sueta scribendi Græcorum ratione, non vero de tabulis legum, vel trigonis, vel quadrangulis, & cujuscunque materiei fuisse dicas, quas, cum atramentariæ sollemnique Græcorum scriptioni nihil officiant, prætereundas duxi. Neque a me exspectes, quænam fuerint κύρβεις, & ἄξονες, cum adeo implexum negotium deprehenderim, ut quotquot vestigarim ἀρχαιολόγους, qui eas voces, & rem ipsam explanare sategerint, opinionum varietate, & importuna eruditione etiam atque etiam magis oculuerunt. Si tibi otii quid suppetat, consule Salmasium de modo usurar. licet te potius quæsitissimis, ac multis, quæ ad eas ῥήσεις illustrandas converrit, obtundat: præsto etiam sunt H. Stephanus in Thesaur. indice, & qui in Pollucem eruditissimas adnotationes adtexuerunt, & quotquot in leges Atticas commentarios scriptitare aggressi sunt.

Posthabenda præterea existimavi, quæ Lucianus dial. contra indoctum to. 2. pag. 387. edit. Grævii asserit de lignea tabella, in qua Æschylus sua carmina exarabat, illam scilicet impenso studio Dionysium Syracusanum comparasse, ut in scribendis tragœdiis hujus vatis entheo furore corriperetur: etenim cum ipse valentibus argumentis, exemplisque bene multis præstiterim Græcos neque tabulas ceraque novisse, quisque mecum juraverit Lucianum Romanensibus moribus imbutum veteribus Græcis ea tribuisse, quæ hi prorsus ignoraverant. Et me magis movet non inveniisse unquam in Græcis sapientioris ævi Scriptoribus vocem πυξίον, vel πυξίδιον, qua quidem hic utitur Lucianus in notione *pugillaris*, sed solummodo in Græcanicis,

Digitized by Google

cis, qui cum Latinis verſati ſunt, queis ῥήτεις *tabellæ*, *buxus*, & *ceræ*, & id genus ſcribendi materia erat celebratiſsima; vide Pollucem, Heſychium, &c. in eoſque adnotationes. Verba Luciani ſunt: Οὕτω (Διονύσιος) τοίνυν πυθόμενος, ὡς ἐγγελᾶτα, τὸ Αἰσχύλε πυξίον, εἰς ὃ ἐκεῖνος ἐγραφε, σὺν πολλῇ σπουδῇ κτησάμενος αὐτὸ· ὥετο ἔνθεος ἔσεσθαι, καὶ κάτοχος ἐκ τῦ πυξίε.

Ceterum in extrema hujus longioris capitis cera ſervavi cariſſima mihi Herodoti verba, quæ ferme ἀποδεικτικῶς præſtant Græcorum gentem indolis elegantiſſimæ adeo ab ſtilis ſcriptoriis, & tabulis ceratis abhorruiſſe, ut & membranas ipſas ſcriptioni aptiſsimas, veluti barbaricam materiem damnarint, & longe conqueſti ſint de quibuſdam Græcanicis populis, qui nondum papyros chartaſque cognoverint: quibus ſane dicteriis oneraſsent, ſi qua Græca civitas in tabellis ceriſque ſcriptitaſset? Herodoti verba legere eſt in Polymn. cap. 50. Καὶ τὰς βίβλες (corr. βύβλες, ut oſtendam in παρέργῳ in fin. hujus lib.) διφθέρας καλέσι ἀπὸ τῦ παλαιῦ Ἴωνες· ὅτι ποτὲ ἐν σπάνει βίβλων (corrige βύβλων) ἐχρέωντο διφθέρῃσι αἰγείῃσί τε, καὶ οἰέῃσι. Ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ' ἐμὲ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας, quæ ſic vertas, poſthabita interpretatione vel Gronovianæ editionis, in qua quædam involuta leges: *Papyros pelles appellant priſca conſuetudine Jones: quoniam olim ob papyrorum caritatem pellibus caprinis, ovilliſque utebantur. Atque adhuc mea tempeſtate plerique barbarorum in id genus pellibus ſcriptitant*. Qui ſane unicus locus ſatis abunde eſſet, quo ſententiam tuear, Græcos nunquam ceratas tabellas noviſse, licet eam etiam multiplici argumentorum vi firmarim, & objectis appoſite reſponſum ſit. Quare ſecundum hanc Herodoti ſententiam Perſas etiam inter barbaros ableges res ſuarum geſtas membranis inſcribere ſolitos, uti prodidit Diodor. Siculus biblioth. lib. II. ex Cteſia, qui ſua ſe hauſiſſe dicit: Ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν, ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον εἶχον συντεταγμένας. Atque hæc habui a Græcis meis, quæ atramentarium ſcriptionis morem infirmare videbantur; quæ, utpote perobſcura, vel ſubleſtæ fidei, egregie cordatum hominem inflectere ſatis eſſe haud credam, ut adhuc exiſtimet gentem illam indolis elegantioris γραφικὰς ceras, ac tabellas habuiſſe; cum ceteroqui vehementiora ſolius τῦ μέλανος teſtimonia jam a me prolata ſint.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Princeps, & ſueta ſcribendi Latinorum ratio per atramentum, raro admodum per ceratas tabellas.

I. *Latinorum ſcribendi ratio apud ἀρχαιλόγους univerſos ſuſque deque turbata. Totius hujus cap. diviſio.* II. *Error communis detegitur, veteres ſcil. ſcripſiſſe in corticibus, atque in lignis, non vero in chartis.* III. *Vox* liber *quid: ejus etymon a doctis viris cuſum refellitur.* לבלר *vox Rabbinica: Mazochio τῷ παίνῳ pleraque γραφικὰ vocabula Targumiſtarum antiqua eſſe ajenti reſiſtitur.* IV. *Bene multis veterum auctoritatibus oſtenditur unos Latinos puellos cera uſos, pro characterum ſcil. conformatione.* V. *Locus Quintiliani aptiſſimus, qui contra Salmaſium reſtituitur: ab hoc Rhetore Martiali lux. Aliorum Scriptorum loca pro puerorum cera.* VI. *Idipſum firmatur ſatis opportuni anaglyphi marmorei ſchemate. Clariſſ. duoviri Mamachius, & Facciolatus in voce* pædagogus *notantur.* VII. *Pueros ſtilis ſcriptoriis uſos non unis ſacris monumentis patefit. Sozomeni verba male Latine reddita Græcæ fidei reſtituuntur. Quid revera μετωπείζω, & μετώπῳ contra interpretes, nec non Bollandum, & Mamachium.* VIII. *Græcos puellos characteres diverſo a Latinis modo edoctos ex Platone, & Max. Tyrio eruitur, quorum verba inficete converſa reparantur. Quid revera ὑπογράφειν. Vox μνήμη ab Tyrio detergitur, & genuina, i. e. μίμησις illinitur.* IX. *Etiam femellæ Latinæ in ceratis tabellis ſcribillabant characteres docendæ.* X. *Viri aliquando cera γραφικῇ utebantur, ſcil. in miſſitandis ad præſentes epiſtoliis: quod multorum Scriptorum teſtimoniis evincitur; præſertim duabus Ovidii elegiis.* XI. *Quid* tabulæ laureatæ. XII. *Contra vero, cum ſcribendum eſſet ad abſentes ab urbe, chartas adhibuiſſe conſtat; hinc nulla cereæ mentio in epiſtolis Cic. & Plin.* XIII. *Præter ceratas haſce epiſtolas ferebant ſecum Romani tabellas, in queis extemporalia adnotabant.* XIV. *Quod ex Auguſtino etiam diſcimus, atque ex Zachariæ πινακιδίῳ.* XV. *Etiam liber ephemeridum, & rationes accepti, & expenſi in ceris.* XVI. *Quid* pittacium, *& λεύκωμα. Quædam de* pugillariorum, *&* cerariorum *collegio ex ſaxis litteratis.* XVII. *In judiciis, & ſuffragiis etiam tabellæ cera illitæ adhibitæ: duplex Suetonii locus illuſtratur: Plutarchus explicatur: ſententiæ Pollucis tenebricoſæ lux.* XVIII. *Fere omnis hujus capitis argumentum adeo firmum eſt, ut in ipſo Polluce me inveniſſe gratuler: cujus verba male antehac interpuncta, & turbata.*

I. HEBRÆI Græcique non tantum mihi negotii facere viſi ſunt, quippe in eorum voluminibus conſtantius, & apertius atramentarias dictiones mihi facile invenire fuit; ita ut ſine periculo auſus ſim firmaſſe eos ceratas tabellas ſtilumque ne agnoviſſe quidem. Verum Latini, &, qui cum iis convixere, Græci omnia perturbarunt; & haud ſatis eſſet laborioſiſsimus quiſque internoſcere, num atro liquore chartas membranaſque tinxerint, an dolatas ceraque obductas tabellas exaraverint, ut longinquis, aut poſteris ſenſa ſua communicarent. Evolvi eruditiſsimos quoſque, qui de veterum ratione ſcribendi ſelectiſsima quæque collegere, Pancirolum, Herm. Hugonem, Voſsium, Calmetum, Pignorium, Eſchembachium, Bariſſonium,

Digitized by Google

nium, Scwartium, Montfauconium, Jo. Clericum, Funcium, Trotzium, qui omnium optimus Hugonem ipsum commentario æterno, & docto oneravit honestavitque; & binos anonymos Benedictinos in opere diplomatico, ut taceam bene plures, qui Justinianei juris verba ad testamentorum, & codicillorum scriptionem facientia præ ceteris elegantius interpretati sunt, uti Salmasius de mod. usurar. in iisque nihil sane miratus sum, nisi longam exemplorum struem pro utraque Latinorum ratione scribendi, & lectores eadem ambiguitate laborantes, & forsitan etiam tædio affectos dimittunt; veluti si sat habuerint Auctorum disjecta hac illac exempla perquam sedulo colligentium partes egisse, de optime concludentis argumenti fide nihil solliciti; tanquam ii, qui totum diem jaculantur, nunquam vero collineant. Sentio autem, quam arduum & operosum sit tot veterum Scriptorum solutæ, & ligatæ orationis testimonia, & præsertim legum dictata raro pro atramento, passim vero pro tabellis, aliquando etiam sibi adversantia conciliare: utinam sicuti Hebræorum, Græcorumque τῷ μέλανι concordem, & plenam exemplorum vim in lucem protuli, etiam Latinorum constantem atramentariæ scripturæ morem fuisse, ipsosque cum his antiquioribus ambabus nationibus, uti fere in rebus ceteris conspirant, consentire testatum faciam; quod si assequar, nihil ambigo, quin lectoribus carus viverem.

Ut autem, quæ antehac in animis insedere omnium, sensim adimantur, sic statuo: Latiales scribas nunquam in corticibus arborum, seu codicibus; in ceratis autem tabulis cum stilo pueros, ut elementa formarent, scriptitasse; senatusconsulta, decreta, & id genus sanctiones publicas in ære, in saxo, in ligno, vel in albo, sive λευκώμασι ferro etiam incidisse; quæ pugillaria appellata sunt, usui privato, & notandis memoriæ ergo rebus extemporalibus addicta ferro etiam exarata: ceterum in missitandis longe gentium epistolis, & quotidiana & sueta scriptione, vel historiis, poematis, vel, quicquid aliud vis, conscribendis, calamos, & atramentum Romanos adhibuisse: demum formulas quasdam, veluti, stilum vertere, stilus elegans, ubertas stili depascenda; tabellarius, testamenti tabulæ, rumpere testamentum, & sexcenta id genus, ad orationis ornatum, & τροπικῶς celebrasse: hinc etiam proclive est nosse, quid notet heres prima cera institutus, quid codicis extrema, vel ima cera. Quæ omnia cum exemplis, & vehementi vestigatione probanda sint, duo mihi timenda sunt, ne longior sermo oberret, & ne animus tandem oblivioſus languescat, & quædam missa faciat. Id tamen spondeo lubens, quæ ab aliis docte occupata sunt, minime surrepturum; demiratus enim semper sum, cur in re litteraria nemo repetundis postuletur. Ne autem in ordine, quem in primis amo, peccetur, vel ingens argumentum turbatione laboret, illud in duplex caput dispescere optavi: atque in hoc quidem γενικόν Latinorum scribendi modum, in sequenti jureconsultorum formulas, & rem eorum omnem scriptoriam pro virili complectar.

II. Ve-

Digitized by Google

II. Veteres autem ſcripſiſſe in arborum codicibus Latini Scriptores plerique omnes pro arbitrio aſſerere adniſi ſunt, ſicuti etiam in earundem foliis; interea nullos teſtes proferunt, cum inter barbaras gentes morem hunc invaluiſſe credam, & apud caſcos, ut ait Hieron. & qui ferinam vitam victitabant: vel a Sibyllarum fabellis derivarunt, ut vocabulis μυθικοῖς potius linguæ ſuæ ſermonem ditarent, quam ut rerum veritati ſtuderent. Hinc in eorum libris ad ſatietatem legimus *codices*, *tabulas*, *ligna*, *folia* pro re ſcripta; hinc etiam Romana jura κατ' ἐξοχήν dicta *codex* pro legum majeſtate vocabulo inficetiore & ἀκόμψῳ, ultimæque ſanctæ voluntates ὑποκοριστικῶς *codicilli*. Sed præſtat referre Hieron. ipſius verba epiſt. 42. ad Niceam: *Quid enim eſt, ut ita dicam, tam præſens inter abſentes, quam per epiſtolas & alloqui, & audire, quos diligas? Nam & rudes illi Italiæ homines, quos caſcos Ennius appellat, qui ſibi, ut in Rhetoricis Cicero ait, ritu ferino victum quærebant ante chartæ & membranarum uſum, aut in dolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutua epiſtolarum colloquia miſſitabant, unde & portitores earum tabellarios, & ſcriptores a libris arborum librarios vocavere: quanto magis nos expolito artibus mundo... præſtat, ut chartæ ſchedulam, &c.* Igitur poſt chartæ uſum, ne ipſa quidem epiſtolia in dolatis lignis exarata ſunt, quæ vel ad caſcos, vel ad fabulas amandanda. Græci contra, qui caſtigatius ſuæ locutionis ſanctitatem, & ſollertius confinxere, nullam vocem γραφικήν vel a fabulis, vel a feris nationibus mutuati ſunt; nunquam enim reperies φύλλα pro paginis librorum, uti apud degeneres Latinos uſurpatum eſt; neque κορμός, & στέλεχος, neque λέπισμα, aut φλοιός, *codex*, & *cortex*, atque id genus rudia vocabula pro βιβλίοις· quod valde quam mihi mirum eſt, nam ſi vetuſti homines in corticibus arboreis ſcripſiſſent, ante Latinos noviſſent Græci, Hebræique, privamque ſaltem voculam ex eo ſcriptionis modo ſua civitate donaſſent. Et mihi egregie arridet, quotquot politioris noſtri ævi veteris ſcripturæ negotium illuſtrarunt, eos non ex Græco, ſed ex Latiali ſermone cuncta *ſtili*, & *ceræ* exempla corrogaſſe.

III. Neque vocem ipſam *liber* antiquiſſimam, & tanto a Latinis celebratam, ignotæque originis, (nam fruſtra quis ejus etymon vel ab Hebræo, vel ab Græco fonte vi extorqueret, ut moris eſt quorundam,) opponere quis poſſet, quo oſtendat Romanos antiquiſsimi ævi in corticibus arborum incidiſſe litteras; nam *liber* in eodem cenſu habendus eſt, ac philyra, papyrus, tilia, δέλθος, & βύβλος, utpote ſolummodo atro liquore imbibendo idoneæ; tenuiſsima enim *liber* eſt, & *uda* quarundam arborum membrana, Virgil. Georg. 1. v. 77. & Iſidorus lib. VI. cap. XIII. non corticem, ſed interiorem corticis tunicam appoſite appellat *liber*. Tenuem autem, ac interiorem hunc corticem adcenſendum eſſe inter γραφικὰς frutices definit Ulpianus l. 52. D. de leg. 3. qui inter ſpecies librorum enumerat tiliam, & philyram; *tilia* hic non ar-

Digitized by Google

bos, ſed exilis admodum membrana eſt, quæ inter corticem, & lignum coarctatur, ita Plin. l. 16. c. 14. quæ Græce audit φιλύρα, atque in ſcribendo utebantur, ex eaque volumina conformabant, ut ex eodem jureconſulto habes, ſicuti etiam ex charta, & papyro, qui cortices ob exilitatem non ſtilos, ſed ſolummodo atramentum ferre poterant, quos inter γραφικὰς tenues cortices *liber* etiam adcenſendus. Igitur ex voce *liber* nemo objicere quid mihi poſſet contra veterum Latinorum atramentariam ſcriptionem, cum ſit lignea, & molliſsima plagula ſoli atramento apta, neque invenire unquam eſt *ceratus liber*, ſicuti nec *cerata papyrus*, aut *philyra*, quæ ſcriptorio ſtilo minime indigebant.

Pauca autem dabo de ejus vocabuli origine, cum hac de re ad Grammaticos lectorem provocem. Paullo ante dictum mihi eſt, neque ex Græco fonte, neque ex Latiali illam trahi poſſe: Gerardus Voſsius ab λέπος, *cortex*, educit, quæ vox ſignificatione melius cum ῥήτη *liber* conjurat, quam cum ejus στοιχείοις, pleraque enim ex his permutanda ſunt; neque Claud. Salmaſium moror de mod. uſur. p. 406. qui ex Græcanica voce βίβλος docte extorquet Latialem *liber*, ſcil. ex Æolico γλίβορ pro βίβλος, deterſa prima litterula, tandem recuditur *liber*. Neque originationem Hebræam præfert, licet apud Rabbinos, & Targumiſtas reperiam לבלר *libellarius*, *ſcriba*; cum id genus hominum ab Hebræa puritate late defecerint, & cum Latinis victitantes, legenteſque Græculos linguam ſanctam puramque innumeris peregrinis vocabulis deturparunt, & tanquam monſtrum τερατῶδες efformarunt; uti illorum ſcripta & commentarios verſanti ſtatim patet; quare dictionem לבלר inter cetera adſcivere, quæ pura putaque Latina eſt. Miror autem cur Mazochius in laborioſiſſimis ſuis libris, qui utinam omnium manibus nocturnis, diurniſque terantur, hujus furfuris voces Rabbinicas pleraſque bene multas edicit eſſe primigenias, ex eiſque & Græcos, & Romanos traxiſſe ſuas tanquam ſubolem, cum contra ſit omnino; apponam hic voculas Rabbinorum, quæ ſolummodo ad meam γραφικὴν rationem faciunt, quas ſummus vir in fine diſſert. de Quirin. dipt. collegit, barbaras quidem, ſed ipſe in oriente natas adſtruit, כורא *codex:* טבלא *tabula*, חרתא *charta*, פנקס πίναξ, פטקא *pittacium*, קולמס, *calamus:* adtexuiſſet etiam, ſi Mazochii oculos non fugiſſet, librarium etiam vocabulum ſuperius לבלר; ex his autem quædam, uti טבלא ſententiæ meæ atramentariæ longe officiunt probantis nunquam Hebræos ſcriptorias tabellas ſtilo exaraſſe; quare tanti viri auctoritas honeſte elevanda mihi erat, & voces haſce in inficetam ætatem, qua e tenebris emerſerunt, amandare non tanti mihi ſtetit; nam cuivis eas expendenti quaquaverſus Græcitatem, & Latinitatem olent. Si quis quærat, in qua officina cuſa ſit ῥῆσις *liber*, reponam prompte ex Hetruſcis ad Latinos advectam, atque eſſe ex vocibus Italis πρωτοτύποις· quarum reliquiæ multæ ſatis poſt Græcas colonias minime ejectæ ſunt e nativo ſolo, ac deturbatæ.

Igitur vox *liber* nihil contra ſcriptorium atramentum eſt. Verum in ſco-

Digitized by Google

ſcopulos urgeor, quos an ſuperare ſatis ſim ἄνευ Θεὰς κρηδέμνυ, Hom. Od. ignoro. Scio equidem plena eſſe Romanorum volumina vocum *ſtilus*, *tabella*, *cera*, in quas ſane frequentius, quam in atramentum, & chartas incurrimus, & valde quam arduum eſt inficiari hanc gentem in re libraria ab illis abſtinuiſſe; opinio autem ceratarum tabularum γραφικῶν adeo in animis omnium eruditorum radices egit, ut nemo unus ſit, quos lectitavi, evolvi enim quamplurimos, qui ea de re ſaltem addubitet, nedum neget; imo ὁμιληδόν, ut iterato Homeri verbis utar, & amiciſſime in eam ſententiam conjurarunt; quos inter Mazochius noſter omnium poſtremus ſymbolam ſuam in Dipt. Quirin. p. 38. ponderoſiorem injecit, *Antiquitus*, inquit, *litteræ ſcalpebantur, & charta ex duriori materia fiebat, unde chartam plumbeam apud Sueton. in Nerone cap. 20. inde a ſcalpendo tractum eſt chartæ nomen, at poſtquam illinendi litteras uſus invaluit, chartæ vox apud Talmudicos atramentum ſignificare cœpit*. Verum contra tot eruditiſſimorum Scriptorum turbam neſcio quid animus magnopere confidit, ſpondetque ſe lætiorem colorem veteri atramento allaturum, ſtilumque, & ceras longe etiam ab Latinis averruncare; ſicuti ab Hebræorum, & Græcorum libris ſcriptione ferrea deterſa, μέλαναν reſtitutam quaſi poſtliminio vidimus.

IV. Salubri conſilio me uti reor, ſi non divortia quæram, ſed ſi certa ab dubiis ſecernam. Ex veterum auctoritate liquido deprompſi tantummodo ἀναλφαβήτους pueros, puellaſque ceratis tabellis, ut ad ſcribendum inſtituerentur, abuſos eſſe, idque ſana ratione factum eſt; chartarum enim jacturæ proviſum ibant, nam indoles puerorum ad luſum prona illas vel atramentaria labe facile adſpergebant, vel ad varias nugas complicabant lacerabantque; nam ea tempeſtate chartarum caritate fere laborabatur, membranæque raro iiſdem puellis pro characterum conformatione concedebantur: rem ita fuiſſe non unis exemplis haud facili otio collectis commonſtrare aggredior.

In Plauti Bacchidib. act. 3. ſc. 3. v. 33. Philoxenes ſenex queribundus, quæ devexæ ætatis hominum conſuetudo eſt, increpat ævi ſui adoleſcentum mores:

P. Alii, Lyde, nunc ſunt mores. L. id equidem ego certe ſcio,
Nam olim populi prius honorem capiebat ſuffragio,
Quam magiſtro deſinebat dicto eſſe obediens.
At nunc, priuſquam eſt ſeptennis, ſi attingas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabula dirumpit caput.

Igitur huic ætatulæ puellis tabellæ ſcriptoriæ, non chartæ in more erant, qui aliquando vapulantes pædagogi caput frangebant, erantque certe craſſiores, ſi ad tantum facinoris aptæ erant; alioquin eas etiam petulans illa ætas ſæpe dirupiſſet. Idipſum ſed aliquanto obſcurius Horatius adſtruit de pueris artem arithmeticam docendis lib. 1. ſat. 6. v. 71. laudatque patris ſedulam ſui educationem:

Digitized by Google

Cauſa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavii ludum me mittere; magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti
Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto
Ibant octonis referentes idibus æra.

In tabulis adoleſcentes numerorum rationes addiſcebant, ne chartarum affatim abſumerent. Juvenali gratias habeo, qui præ omnibus apertius puerilem hanc inſtitutionem canit ſat. 14. v. 189.

Poſt finem autumni media de nocte ſupinum
Clamoſus juvenem pater excitat: accipe ceras,
Scribe, puer, vigila, cauſas age, perlege rubras
Majorum leges.

Ubi graphice depingit puerorum ſupinitatem, & patrum noſtri ævi ſollicitudinem. Locus Martialis non me fugit, qui vult filiolos ſtilo donandos vice largi muneris lib. 14. ep. 21.

Hæc tibi erunt armata ſuo graphiaria ferro;
Si puero dones, non leve munus erit.

Bonæ frugi adoleſcentibus ſcholaſtica ſupellex cupediis ipſis contra ſolent eſſe longe cariora.

Inter Latinos cooptandus Pollux περὶ βιβλίων, καὶ τῶν αὐτὰ γράφειν σκευῶν, lib. x. c. 14. frag. 59. ſub Commodi enim imperio Romæ ſcripſit, moreſque Romanos imbibit; Τῷ δε παιδὶ δέοι ἂν προσεῖναι γραφεῖον, παραγραφίδα, κλαμίδα, πυξίον, *puero autem adeſſe debent ſtilus, theca ſtilorum, & calamorum* (non ut barbare verſum eſt, *notatorium, calamarius*) *tabella*. Sane quam animadvertendum eſt hunc ὀνομαστικῶς γράφον inter ſcribarum inſtrumenta γραφεῖον paullo ante minime adnumeraſſe, veluti ſi proprium puerorum eſſet inſtrumentum. Addam præterea locum peræque opportunum ex libro m. ſc. cui titulus, *colloquia puerilia*, quem fortuito in adnotationibus in Petron. p. 585. edit. Burman. reperi: Μετὰ ταῦτα γραφεῖον ἐπεζήτησα, καὶ σωμάτιον, καὶ ταῦτα παρέδωκα ἐμῷ παιδὶ· ἑτοιμασθεὶς ἦν εἰς πάντα πρόηλθον, ἀκολουθοῦντός μοι παιδαγωγοῦ, quod ita verto: *poſtea graphium expoſtulavi, & tabellam, atque hæc ſervo meo ferenda tradidi: expeditus igitur ad omnia proceſſi, ſequente me comite:* vides porro tradi puello ad ſcholam itanti γραφεῖον, *ſtilum*, & σωμάτιον, *tabellam*. Et ut noſcas omnia probe conſpirare, eo quod puerorum erant graphia, non parum lucis eſt huic ſatis noto Senecæ loco de Clem. lib. 1. cap. 1. in fin. *Erixonem equitem Rom. memoria noſtra, quia filium ſuum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit: vix illum Aug. Cæſaris auctoritas infeſtis tam patrum, quam filiorum manibus eripuit.* Hoc cap. ſapienter inculcat parentibus Seneca, ut ne filios inique puniant; utiturque hujus Erixonis furentis exemplo, in quem ira perciti interfecti pueri ſodales ſtilis, ſive graphiis irruentes ob armorum imbecillitatem patrem confoderunt quidem, at enecare minime ſatis fuere; qua-

Digitized by Google

quare Auguſti auctoritas ab eorum filiorum manibus vix eripere valuit: haud dubium eſt, quin pueri e gymnaſio egreſſi cum ſtilis patri παιδοκτόνῳ obviam facti ſint irarum pleni.

v. Damni mihi foret, ſi Quintiliani auctoritas ex Burmanni edit. lib. 1. orat. inſt. cap. 1. circ. med. me defugiſſet, qui præ omnibus clarius ſtilum, ac ceram pueris dumtaxat tribuit in ſcribendo, & ornate more ſuo, *Cum vero ductus ſequi cœperit*, inquit, *non inutile erit eas* (litteras) *tabellæ quam optime inſcalpi, ut per illos velut ſulcos ducatur ſtilus: nam neque errabit, quemadmodum in ceris; continebitur enim utriſque marginibus; neque extra præſcriptum poterit egredi, & celerius, ac ſæpius ſequendo certa veſtigia firmabit articulos, neque egebit adjutorio manum ſuam manu ſuperimpoſita regentis*. Salmaſius de mod. uſur. pag. 484. *certa veſtigia* in *raſa* invertit; non animum attendit vir ſummus ad voces fingendas pronus τὸ ῥῆμα *radere* juxta eſſe, ac *delere*, quod contra Rhetoris mentem eſt: idque ratum habeo ex Ovid. Amor. lib. eleg. XI. v. 21. qui optabat, ut in Corinnæ ſuæ pugillaribus ceratis quidam characteres eſſent raſi, quo diu, & jucundius in iis interpretandis immoraretur: *Comprimat ordinibus verſus, oculoſque moretur Margine in extremo littera raſa meos*. Sane melius apponerem *cæſa veſtigia*, ut τῷ *inſcalpi* apprime reſpondeant, quod non vidit Burmannus. Præterea nullus dubitet, quin ſponte mihi ipſe objiciam alterum Quintiliani locum, qui ceratam ſcribendi rationem ſtabilire pleriſque viſus eſt, ſed mihi ſpecie tenus officit, is eſt Inſtit. lib. 10. in fin. cap. 3. *Illa quoque minora* (*ſed nihil in ſtudiis parvum eſt*) *non ſunt tranſeunda, ſcribi optime in ceris, in quibus facillima eſt ratio delendi, niſi forte viſus infirmior membranarum potius uſum exiget, quæ ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, & cogitationis impetum frangunt. Relinquendæ autem in utrolibet genere contra vacuæ tabellæ, in quibus libera adjicienti ſit excurſio. Nam interim pigritiam emendandi anguſtiæ faciunt, aut certe novorum interpoſitione priora confundunt. Ne latas quidem ultra modum eſſe ceras velim expertus juvenem ſtudioſum alioqui prælongos habuiſſe ſermones, quia illos numero verſuum metiebatur; idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus, eſſe ſublatum*. Hæc, inquam, ſpecie tenus γραφικὰς ceras tuentur, meamque ſententiam e contrario enixe firmant; nam Quintilianus adoleſcentulos inſtituendos ſibi proponit, qui, cum non eis ſit libera adhuc recte ſcribendi facilitas, turbata, vel luxuriantia omnia procudunt, quare eiſdem ceras offert, in quibus prona eſt ratio delendi ordinandique melius, quam in chartis & membranis, ut non nimium & papyri, & otii terant: & quiſque ab ſe ipſe dignoſcit de tironibus loqui Rhetorem, cum apponat *juvenem ſtudioſum*, & ubique hujus capitis adoleſcentum meminit. Ex hoc Quintiliani loco lucem mutuantur ambo Martialis diſticha de ceris lib. 14. ep. 4.

Eſſe

Digitized by Google

Esse putes ceras, licet hæc membrana vocetur,
Delebis, quoties scripta novare velis.

ideſt utere membranis inſtar puerilium cerarum : atque eodem lib. 14. epigr. 3.

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

De pueris ditioribus artem γραφικὴν edocendis videtur poeta loqui, quibus eboreas tabellas deletu faciles, & oculis laborantibus ceris clariores proponit.

Præterea eodem pacto intelligenda, quæ idem Quintil. ibid. lib. XI. cap. 2. n. 991. jubet: *Illud neminem non juvabit iisdem, quibus scripserit, ceris edisscere: sequitur enim vestigiis quibusdam memoriam, &c.* adoleſcentes ſiquidem docet Fabius, quo pacto colant juventque memoriam: quibus, ut jam ante dictum eſt, appoſuit, quo ſcriberent, ceras. Seneca etiam epiſtola 15. Lucilio ſuo adoleſcenti, quo recte ſcribendi ſtudio ſe exerceat, exhibet pugillares: *Neque ego te jubeo semper imminere libro, aut pugillaribus: dandum est aliquod intervallum animo, ita tamen ut non resolvatur, sed remittatur.* Cui Plinius in fine longiuſculæ epiſt. 9. lib. 7. συμφώνει, dum Fuſcum adoleſcentem monet, quibus ſtudiis det operam: *Tam immodice epistola me extendi, ut, dum tibi, quemadmodum studere debeas, suadeo, studendi tempus abstulerim: quin ergo pugillares resumis, & aliquid ex his, vel istud ipsum, quod cœperas, scribis.* Qui minores natu ſunt, ab ipſis facile peccatur in ſcribendo, quare cerati pugillares, i. e. ceratæ tabellæ eiſdem traduntur, quo facile, quod erratum eſt, reficiant.

Non ſine noxa præterirem Ambroſii locum mihi cariſſimum Hexaem. lib. 3. c. 13. qui luculentius præ omnibus definit buxum, ac proinde ſtilum, tabulas, ac ceram ἴδια puerorum inſtrumenta ſcribendi fuiſſe: *Buxus quoque elementorum apicibus utilis exprimendis levi materia usum manus puerilis informat, unde ait scriptura, scribe in buxo.* Elegantius & concinnius Ambroſio idipſum inculcat Iſidorus orig. lib. 6. cap. 9. vocatque ceras, *puerorum nutrices*, & ſententiam firmat verſu neſcio cujus, quo nihil appoſitius: *Dant ceræ ingenium pueris, primordia sensus.*

VI. Diu mihi adlaboratum eſt, an monumentum vel marmorei anaglyphi, vel depictæ tabulæ ex antiquis ruderibus forte objiceretur: quare ſemel atque iterum Regis noſtri millenas picturas Herculanei repertas inviſi, ubi quæcumque ad antiquitatem illuſtrandam optes, reperire eſt; verum puelli, qui ſtilo ceratas tabulas arent, non dum e Veſuvii cineribus emerſerunt, ſed haud dubium, quin ad regii cimeliarchii decus eos proferat tandem ætas. Verum cum hanc nuperrimam ſententiam, ſcil. quod uni puelluli ſtilo pro ſcriptionis arte uterentur, marmoribus firmandam concuperem, ſortem mihi auſpicatiſſimam gratulor, cum Romæ paucis annis

Digitized by Google

nis ante prope S. Mariæ in Monte Cælio faxeum anaglyphum, cujus



ſchema hic vides, erutum ſit: quod Boldettus primum, & nuper Mamachius pag.333. tom.3. Ant. Chr. protulerunt, ſed doctiſſimi hi duoviri præter ſtili figuram, nihil pro marmoris dignitate adnotarunt. Attamen mea magni intereſt, ut hic animi mentem advertas, quam apte hoc ſaxum mihi conjurat adſtruenti ſolummodo primæ ætatis filios adhibuiſſe ad conformanda στοιχεῖα ſtilos, & tabulas, uti tutemet cernis illum in ſiniſtro anaglyphi latere ſedentem: contra vero dextrorſum adoleſcentulum annis florentiorem verſari inter chartas, ſive membranas, quarum unam manibus evolvit; & atramenti phialam ad pedes erectam; ludique magiſtrum librum pro ſcabello premere; adeo verum eſt, cum ſemel recta progredi nobis cœptum ſit, omnia ad exitum probe conſpirare.

Hic autem mihi parum dolendum eſt, de levi Mamachii ἀβλεψία confundentis *album*, & *ceratas tabulas*; necnon *ſtilum*, & *pennarium cultrum*; quanquam ignoro, quid ſibi velit vox *pennarius* in re veteri ſcriptoria; notus erat dumtaxat tunc temporis *calamus*. Sed magis mihi viſum eſt durum atque incoctum virum longiſſimæ lectionis hunc ludi magiſtrum hirſutum, clamoſum, adoleſcentique ſtanti aſperrime minitantem appellaſſe *pædagogum*; quando munus, & vox pædagogi honeſtiſſima audiebat felici Romanorum ætate, juxta ac *comes*, qua de voce mox plura, notionemque veram aperiam: piget idipſum dixiſſe Facciolatum (de me miſſis doctis litteris benemerentiſſimum), qui in lexico adſtruit:

ſtruit: *pædagogus interdum eſt in contemptu, ut apud Italos pedante;* verum exempla, queis utitur, huic notioni adverſantiſſima reperies, nam Pœtum Thraſeam, quem Nero necandum edixerat, ex ipſo Suet. & Tac. ſummis honoribus ac muneribus floruiſſe conſtat; pædagogos autem atque comites fuiſſe adoleſcentium præſertim principum morum rectores ſolummodo ac duces me ubique reperiſſe fateor, nunquam autem magiſtrorum ludi nomine, vel officio infames. Interea ſatis ſit nunc unus Quintilianus, qui lib. 1. cap. 1. n. 14. luculentiſſime, ac longe diſtinguit pædagogos a ludimagiſtris, ſive præceptoribus, illos quidem præcipue moratos optat pueris, hos vero doctrina excultos: *De pædagogis hoc amplius, ut aut ſint eruditi plane, quam primam eſſe curam velim; aut ſe non eſſe eruditos ſciant: nihil enim pejus eſt iis, qui paullum aliquid ultra primas litteras progreſſi falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerunt: nam & cedere præcipiendi eruditis indignantur, & veluti jure quodam poteſtatis, quo fere hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi, atque interim ſævientes ſtultitiam ſuam perdocent.* Sed ex orbita in viam: affert Mamachius ibid. in adnotat. ex Boldetto parvam inſcriptionem, MARTINVS IN PACE, quæ ſculptum exhibet ſtilum, ac tabellam; hinc ego colligo Martinum fuiſſe puerum, eo quod appoſitum eſt ejus ætatis indicium, cum puelluli id inſtrumentum uſurparent, uti jam multis probatum eſt.

VII. Age parumper ſacra monumenta inviſamus, in quibus etiam a puellorum manibus ſtilos, ceraſque teri doceris, atque advertes, quam bene ſibi mutuam præſtent opem ſacri, profanique, quos vocant, Scriptores. Quo meam hanc ſententiam tuear, nihil ſolidius eſt Prudentii hymno 1. περὶ στεφάνων, quem cecinit, poſtquam S. Caſſiani Brixienſis martyrium in pictura vidiſſet, quod elegantioris ævi ſtilo deſcribit; pauca ſeligam, quæ mea magis interſunt, & ornamento ſunt:

Innumeri circum pueri, miſerabile viſu,
Confoſſa parvis membra figebant ſtilis.
v. 12. *Unde pugillares ſoliti percurrere ceras*
Scholare murmur adnotantes ſcripſerant.
v. 43. *Vincitur poſt terga manus, ſpoliatus amictu,*
Adeſt acutis agmen armatum ſtilis.
v. 47. *Conjiciunt alii fragiles inque ora tabellas*
Frangunt, reliſa fronte lignum diſſilit;
Buxa crepant cerata genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curta, & humens pagina.
Unde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant;
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur, &c.

Ex quibus nitidiſſimis verſibus clare noſcitas ſtilos, ceraſque ſolummodo puerilia in ſcholis inſtrumenta fuiſſe, neque ex hoc Prudentii hymno abſolute edicas, ut ceteri interpretes, olim homines in ceris ſcripſiſſe, verum

Digitized by Google

rum considerantius, & restrictius loquendum iisdem unos puellos usos, quo scribendi artem addiscerent.

Ejus generis martyrium fecisse Marcum Arethusiorum in Syria Episcopum apparatissimis verbis narrat Theodoret. hist. lib. 3. cap. 3. circ. fin. Εἶτα εἰς ὑπονόμους δυσώδεις (Μάρκον) ἐμβαλόντες, κἀκεῖθεν ἀναγάγοντες τῷ πλήθει τῶν μειρακίων παρέδοσαν, ἀφειδῶς αὐτὸν κατακεντεῖν ταῖς γραφίσι κελεύσαντες, *deinde in fœtidas cloacas conjectum* (Marcum,) *atque inde postea eductum adolescentulorum gregi tradunt, jubentque, ut eum stilis confodiant.* Vides iterum puellos uti stilis scriptoriis pro armis adversus martyrem, eamque consuetudinem sæculo quarto ad finem vergente adhuc perdurantem an. nempe 362. quo Marcum martyrii palma donatum legimus. Hic autem brevis mihi venia sit, ut quæ de eodem Marco asserit Sozomenus hist. Eccl. lib. 5. cap. 10. pag. 179. edit. Aug. Taurin. recitem, & pauca adnotem: Παῖδες δὲ εἰς διδασκάλους φοιτῶντες παίγνιον ἐποιοῦντο τὸ πρᾶγμα· καὶ μετεωρίζοντες αὐτὸν, καὶ πρὸς ἑαυτὸν κυλίοντες ἀντεπέμπόν τε, καὶ ἀνεδέχοντο ταῖς γραφίσι, καὶ ἀφειδῶς κατεκεντῶν, quæ ita conversa legas parum satis secundum Græcam fidem, & miror a magnis viris, qui Sozomenum illustrarunt, probari: *Sed pueri, qui scholas frequentabant, ludicrum ex eo fecerunt, eumque in sublime tollentes, & in seipsum volventes jactabant ad se invicem, atque excipiebant stilis eum atrociter configentes:* vides verba, *in sublime tollentes, & in seipsum volventes jactabant ad se invicem, atque excipiebant*, nihil intellectu facilia, neque puellorum vires ea aggredi potuisse; dicunt enim Marci corpus ab iisdem puellis jactari, atque excipi tanquam pilam, vel follem: ut brevis sim, potius convertenda reor: *Pueri, qui scholas celebrare solebant ludicrum quid patrantes Marcum in humeris impositum, atque in gyrum actum ad singulos remittebant, atque stilorum ictibus excipiebant.* Igitur pueri, ut martyrem irrisionibus exponerent, παιδαριώδει more *catomo* cædendum cujusdam humeris imponunt, verum non flagellis, sed ἀφειδῶς stilis confodiunt, & ut ordine πρᾶγμα παίδιον, *ludicrum negotium*, procederet per scholam circumducitur, quo ab omnibus puellis perfodiatur. Neque dubites, quin μετεωρίζοντες αὐτὸν adnotet, *sublimem ferentes*, ideſt *supra humeros imponentes*, hoc enim habeo ab Prudentio, qui puellum eo martyrio affectum describit, utiturque iisdem verbis, *sublime tollant*, περὶ στεφ. hymn. 10. i. e. μετεωρίζωσι.

....*Pusionem præcipit,*
Sublime tollant, & manu pulsent nates,
Mox & remota veste virgis verberent,
Plus unde lactis, quam cruoris defluat.

Tandem vocem μετέωρος reperi in S. Gregorii Naz. orat. 3. pag. 89. edit. Paris. item de S. Marci cruciatibus loquentis: Πᾶσιν ἐκ παιδῶν μετέωρος ἀντεπέμπετο, γραφίσι ὑποδεχομένων τὸ γενναῖον σῶμα, καὶ παίγνιον ποιουμένων τὴν τραγῳδίαν, piget elegantiæ plena verba ita Latine me legere: *A*

Digitized by Google

pueris ad pueros pendulus remittebatur, cultris pennariis generoſum illud corpus excipientes, atque hanc tragœdiam inſtar ludi habentes; quis ferat μετέωρος transfundi *pendulus*, & γραφίσι *cultris pennariis*, tanquam ſi Gregorii ævo *pennis* uterentur ſcribæ? Et miror Bollandum ipſum die 29. Mart. edicere hunc Marcum etiam *pendulum cultris pennariis* confoſſum: cui addas clariſs. Mamachium antiq. Chriſt. tom. 3. pag. 225. cujus antiquos mores, & doctrinam coram miratus ſum, atque ab aliis quoque concelebrari lubens audio. Si cupias quæſitiſſima & uberrima de voce *catomus*, & *catomidiare* nimium patienter conſulas Caſaubonum, & Salmaſium in Spartianum cap. 18. Voſſium in etymolog. & adnotat. in Petronium edit. Burmanni cap. 132. Tillemontius in hujus Marci vita, quanquam omnium diligentiſſimum expertus ſim, hic citiſſime ſe expedit, neque quid de τῷ μετεωρίζειν advertit. Quo autem firmem penitus voce m *ſublimis*, & Græce μετέωρος in ea notione certo eſſe, quam nunc præſtiti, gratulor me non ſemel eam deprehendiſſe in Plauto, licet omnes interpretes cæcutiſſe indoleam, & longe a Comici mente aberraſſe: in Milit. act. 5. ſc. 1. v. 1. *Ducite iſtum, ſi non ſequitur, rapite ſublimem foras ... Facite inter terram, atque cælum, ut medius ſit, diſcindite:* interpretes oſcitanter illud *rapite ſublimem* explicant *ſuſpendite*, quod in ſequentibus verbis dicit Plautus, i. e. *ſit medius inter cælum, & terram.* Eandem elegantem Latinitatis formulam legas in Menæchm. act. 5. ſc. 7. v. 3. *Facite ille homo jam in medicinam ablatus ſublimis ſiet.* Et v. 6. *Quid ſtatis? quid dubitatis? jam in ſublimem raptum oportuit.* Adde v. 13. *Herum meum indigniſſume neſcio, qui ſublimem ferunt.* Et ibid. act. 5. ſc. 8. v. 2. *Quin modo eripui, homines, qui te ferebant ſublimem quatuor*, alios Plauti locos, ſi qui ſunt, tutemet inviſas. Hinc noſcis, unde Prudentius verba illa *ſublime tollant* ſurripuerit. Non curamus, quod a Scriptoribus inſipientis ætatis traditum eſt etiam S. Felicem Nolanum ſtilis, ſeu ſubulis a pueris impetitum, ita interpretantes *in pincis*, eo quod *pincæ* ſæculis rudioribus erant *ſubulæ*: hic cum Mazochio conjuro ajente in Kal. Neap. pag. 13. tom. 1. in adnot. *Eoque demum deventum fuit, ut non erubuerit Jac. de Voragine illud in pincis interpretari in ſubulis, quaſi hoc is martyr inſtrumento confixus occubuerit:* apponam verba Jacobi de Vorag. a Bollando to. 1. p. 940. exſcripta, queis fidem ne præſtes: *Ajunt enim, quod cum puerorum magiſter exſtiterit, & eis nimium rigidus fuerit, tentus a paganis, cum Chriſtum libere confiteretur, traditus fuit in manibus puerorum, quos ipſe docuerat, qui cum ſtilis & ſubulis occiderunt.* Vide etiam Petrum de Natalibus lib. 2. c. 73. Quid revera valeat τὸ *in pincis*, adiſis ibid. ſummum virum Mazochium, & quæ poſt ipſum illevere Nolani Scriptores, a cujus ſententia diſcedunt, licet non inviſerint ejus Kalendarium.

VIII. Latini igitur puelli in ceratis tabellis ſcribillare docebantur: contra vero ſi cupias, quo pacto Græcorum filii ad ſcribendum inſtituerentur, non

Digitized by Google

non iratis musis satis fui ex Platone expromere, qui cum a ceris omnino abhorrerent, eadem ratione, qua nostrates pueri characteres efformare incipiebant: Plat. in Protag. pag. 392. edit. Aldi: Ὥσπερ οἱ γραμματισταὶ τοῖς μή πω δεινοῖς γράφειν τῶν παιδῶν ὑπογράψαντες γραμμὰς τῇ γραφίδι, ἵνα τὸ γραμμάτιον διδόασι, καὶ ἀναγκάζουσι γράφειν κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν γραμμῶν, quæ ita versa a Ficino, & ceteris vides satis inficete: *Sed quemadmodum litterarum magistri pueris adhuc scribendi ignaris, calamo exemplar quoddam præscribunt, & libellum tradunt, jubentque litterarum ductum scribendo imitari:* verum quæ non dixit Plato apposuit Latialiter Ficinus, non enim exemplar antea præscriptum, quod imitarentur, pueris concredebatur, sed solummodo characteres vel leviter, vel per puncta conformatos eisdem apponendi in more fuisse ait; quare opportune utitur vocibus ὑπογράψαντες, & ὑφήγησιν, vim autem præpositionis ὑπό in compositis vel tirones norunt, sicuti inter Latinos *sub*, hinc *subrideo*, parum rideo, & *suboscurus*; quare ὑπογράψαντες γραμμάς est, *quoad puncta & partes elementa delineantes*; & ὑφήγησιν valet eorundem *non perfectam delineationem ac ductum*, quem deinde puelli calamo complebant, quod etiam nostris magistris characterum sollemne est. Neque credas H. Stephano hunc Platonis locum laudanti, & importune ajenti ὑπογράψαντες valere hic προγράψαντες. Ut autem nihil dubites de hac τῷ ὑπογράφειν notione, testem divitem do Aristotelem, qui eodem ῥήματι utitur de pictoribus εἰκόνας solummodo delineantes, quo exinde perfecte compleant: Καὶ γὰρ οἱ γραφεῖς ὑπογράψαντες ταῖς γραμμαῖς ἔπειτα ἀναλείφουσι τὸ ζῷον, de Gen. 2.

Idipsum clarius scrutatus sum ex Maximo Tyrio Platonis studiosissimo Dissert. 8. secundum Marklandi edit. Londini 1740. pag. 81. in aliis edit. dissert. 38. circa init. Οἷον καὶ τοῖς παισὶν οἱ γραμματισταὶ μηχανῶνται, ὑποχαράττοντες αὐτοῖς σημεῖα ἀλυδρὰ, οἷς ἐπάγοντες τὴν χειρουργίαν ἐθίζονται τῇ μνήμῃ πρὸς τὴν τέχνην· piget Latina verba adjicere, quæ Maximi sententiæ omnino adversantur: *Ita pueris, qui elementa addiscunt prima, tenues quasdam magistelli notas solent præscribere, ad quas manu deducant eos, donec paullatim memoriæ beneficio arti insuescant.* Vides jam ὑποχαράττοντες male versum, *solent præscribere*, cum peræque sit, ac illud Platonis ὑπογράψαντες, i.e. *characteres leviter*, seu *punctis signantes*. Præterea voces οἷς ἐπάγοντες χειρουργίαν minime referuntur ad magistros, sed ad puellos, quare verba *manu deducant eos* contra fidem Græcam apposita sunt, repone igitur, *in quibus* (imperfectis elementis) *manu se exercentes*; & sane tirones exerceri oportet, non præceptores, præsertim cum ἀμέτρως sequatur ἐθίζονται, *assuescunt*, usus autem, & exercitatio propria est discipulorum. Verum nodus est in voce τῇ μνήμῃ, quam reddidere, *memoriæ beneficio*; quam importuna hic sit vox μνήμη, vel luscinioli vident, cum pueri non quidem *memoria*, sed *exercitatione*, & *imitatione* formam elegantium characterum addiscunt, quare sine peri-

Digitized by Google

culo, imo quovis pignore repone μιμήσει ἐθίζονται; *imitatione assuescunt*, quo recta sit Tyrii sententia; quis enim dixerit memoriam requirendam in puellis pro bona characterum conformatione, imitationem autem (μίμησιν) optandam nemo negaverit. Porro novi, quare librarii eam vocem immutarint, viderant enim Maximum in longiore hac περιόδῳ bis usum opportune vocabulis μνήμη, & ἀνάμνησις, de suo ῥῆσιν veram μιμήσει inverterunt in μνήμῃ, quam iterato legebant, sed hic futilem, atque ab sententia satis alienam; rogaris, ut longiorem Tyrii locum relegas, nam infrunitam amanuensium licentiam statim advertes. Miror doctissimum Marklandum in eleganti, & nupera hujus philosophi edit. Londini 1740. in his verbis tum Græce, tum Latine nihil animadvertisse. Habes igitur ex Platone, & Maximo rationem, qua scriptionem addiscebant Græci pueri; illam Ægyptiorum, atque Hebræorum filiorum invenire desperandum est, cum monumentis earum gentium nos desertissimos esse indoleamus.

IX. Scio præterea nullius satietatis fore addere documenta adolescentularum Latinarum, quæ etiam ad scribendum instituebantur stilo, & tabellis, testem advoco Juvenal. sat. 14. v. 29. qui matresfamilias insectatur acriter, quæ domesticis exemplis mœchas reddunt filiolas:

. . . . . *Conscia matri*
Virgo fuit, ceras nunc, hac dictante, pusilla
Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre cinœdis.

Igitur Satyricus virgunculæ adeo pusillæ ceras tradit, quæ amatorias breves epistolas non adhuc exarare didicerat, & alpha vix, & beta conformare noverat, eas sceleſta mater dictabat. Juvenali addas Hieron. epist. 8. ad Lætam de institutione filiæ, qui usum manuducendi ad scriptionem hujus ætatis puellas κομψοτάτως expressit ex Quintiliano fortasse verba mutuatus, quem Rhetorem studiose cultum ab Hieronymo norunt omnes, vide ea de re Hieronymi bene multa testimonia in Burmanniana edit. *Cum cœperit trementi manu stilum in cera ducere, vel alterius superposita manu teneri regantur articuli, vel in tabula sculpantur elementa, ut per eosdem sulcos inclusa marginibus trahantur vestigia, ut foras non queant evagari.* Duo mihi considerandа suppetunt ex appositissimis Hieronymi verbis, unum, quod sua adhuc ætate cera, & stilus perduraverit, quando atramentum perquam vulgare erat; alterum, quod eadem sedulitate & magisterio, quo hodiedum, dextera puerorum scriptitare occipientium regeretur. Præterea pueris membranæ librorum ob canitiem fatiscentium jam legendo non aptæ dabantur, scil. siqua a postica parte scriptionis patiens supereſſet; quod e Martialis lib. 4. epigr. 87. eruo: *Inversa pueris aranda charta;* quæ cum nullo usui esset, parvi referebat, si puerilis ἀκράτεια eam deturparet, vel comminueret; quam quidem atramento tingere oportuit, cum nullibi Scriptorum reperies *cerata membrana:* igitur ne huic ætatulæ quidem τῷ μέλανι tractatio prohibebatur.

Profecto si pueros puellasque excipias, reliqui omnes papyros, vel mem-

Digitized by Google

membranas atro colore inficiebant, aliquando etiam juvenes, quos nigro liquore uſos eſſe teſtatiſſimum tenes ab Perſeo initio ſatyræ 3. ubi juvenis ſcribendi faſtidioſiſſimus nunc nodoſos calamos, & ſepiam nunc craſſam, nunc evaneſcentem incuſans inducitur. Scias autem in eruditionis plena diſſert. de Dipt. Quirin. pag. 9. Mazochium latiſſime intendere uſum ceratæ ſcriptionis, ajentem Romanos orationes, poemata, & epiſtolas prius in ceris exaraſſe, quos inter Ciceronem ipſum enumerat, inde in mundum exſcripſiſſe; cum id moris ab adoleſcentulis dumtaxat ſervatum pluribus præſtitum ſit: *Prior modus* (tabellarum ceratarum) *ferme in αὐτοσχεδίοις locum habebat; veluti in poematibus, aut orationibus meditandis, quæ poſtea in mundum recipiebantur.... Quid quod etiam epiſtolas conſueverat Cicero* (*quod & aliorum Cicerone minus felicia ingenia factitaſſe credendum eſt*) *in codicillis ipſe σχεδιάζειν, quæ poſtea ab amanuenſi in mundum receptæ, ſic demum perferebantur*. Animadvertendum hic eſt me in Græcis ne umbratile quidem de ſuorum puerorum, vel puellularum ſcribendi diſciplina per ſtilum, & ceram reperire ſatis fuiſſe, quanquam perquiſitor catus exſtiterim; contra vero ſuperne pag. 32. adnotatum eſt Æſchinem puerum τὸ μέλαν τρίψαι, ita ut, quacumque ætate eſſent, liquore atro chartas infecerint, tum quia magis cultior eſt, & diuturnior ita conſcriptus liber, tum quia Ægypto utpote Græcia vicinior, non tanti, quanti apud Latinos, charta proſtabat. Igitur poſt tantam exemplorum molem ſe odioſe gereret poſthac, ſi quis ab Latinorum puerorum manu ſtilum, & ceram amoverit.

x. Penſi mei nunc temporis eſt, ut inquiram, an viri aliquoties iiſdem inſtrumentis ſcriptorias tabellas inciderint, ut veterem ſcriptitandi morem cancellis ſuis concludam, & quod confuſum antehac ea in re, perturbatumque eſt, quo concinnius fieri poſſit, componam; quare paucis oſtendam grandioris ætatis homines ceram, & ferrum uſurpaſſe vel in quibuſdam brevibus epiſtolis per non diſtans loci ſpatium miſſitandis, vel in rebus ſubitis, & minoris momenti memoriæ ergo exarandis: vel in judicialibus, & comitialibus ſuffragiis id genus tabellis ceratis uſos: ceterum in voluminibus compingendis, dandiſque ad abſentes amicos, aut gentiles epiſtolis chartam illeviſſe. Id etiam ratione niti nemo neget, alias in immanem molem liber increviſſet cera, & lignis compactus, & tabellarii, quibus plurimæ ferendæ committebantur epiſtolæ, nimio faſce multa via futuri ut fatiſcerent. Sed res agenda eſt exemplis.

Antiquius documentum epiſtolii cerati mihi ſufficit Plautus Bacchid. ſc. 4. act. 4. v. 63. ubi Mneſilochus dictante ſervo, cum jam Epheſo domum rediiſſet, tabellam cera, & ſtilo aſtu lepidiſſimo confictam patri mittit, ut ducentis nummis eum probe emungeret: *Effer cito* P. *quid?* C. *ſtilum ceram, tabellas, & linum*..... v. 77. *Quod jubebo ſcribito hic, nam propterea te volo ſcribere, ut pater cognoſcat litteras, quando legat; ſcribe*. Si igitur Comicus ceras meminit, patet eas adhibuiſſe epiſtolæ

Digitized by Google

ſtolæ cauſa, quam filius ad patrem mittit in eadem urbe, non longe gentium degentem. Verum nihil ridiculoſius, & facetiarum magis plenum, quam epiſtolium, quod finxit Plautus in Pſeud. act. 1. ſc. 1. & meretrix Phœnicium miſit ad adoleſcentem Calidorum, hic legendum tradidit Pſeudulo ſervo; quod epiſtolium ceratum, utpote omnem hanc fere ſcenam occupat, tumetipſe legas: paucos ſolummodo verſus adſcribam v. 38. Pſ. *Tace, dum tabellas pellego. Ca. ergo quin legis? Pſ. Phœnicium Calidoro amatori ſuo -- Per ceram, & linum, litteraſque interpretes -- Salutem mittit, & ſalutem a ſe expetit -- Lacrumans titubanti animo, corde, & pectore -- Ca. Perii! ſalutem nuſquam invenio, Pſeudole, -- Quam illi remittam. Pſ. quam ſalutem? Ca. argenteam -- Pſ. Pro lignean' ſalute vis argenteam -- Remittere illi? vide ſis, quam tu rem geris, &c.* Scias autem & Calidorum, & mulierculam Phœnicium in eadem urbe commorantes inducere Plautum, non vero longe gentium; quare non mirum, ſi negotium litterarium videas per tabellas, & ceras, non vero per chartas.

Præterea nihil mihi, aliiſque lectu jucundius eſt, quam Propertii eleg. 22. lib. 3. de tabellis buxeis deperditis ad ἐρασθίαν a ſe miſſis, nihilque eſt inter Latinos, quod melius Græcam ſapiat venuſtatem: *Ergo etiam doctæ nobis periere tabellæ, Scripta quibus pariter tot periere bona .... Non illas fixum chartas effecerat aurum, Vulgari buxo ſordida cera fuit. ..... Me miſerum! his aliquis rationem ſcribit avari, Et ponit duras inter ephemeridas. Quas ſi quis mihi rettulerit, donabitur auro: Quis pro divitiis ligna retenta velit?* ἡ τὰ λοιπά. Sane Propertius quanquam diſerte buxi, ligni, ceræque meminerit, non illa ad communem ſcribendi rationem extendit, ſed ad peculiares codicillos, quos amatorculi, amatriceſque ultro citroque miſſitabant, quo fides eſſet certior; nam facilius, quam charta dignoſcebantur, quare ne obſignari quidem neceſſum erat; hinc ipſe Propertius adſtruit: *Has quondam noſtris manibus detriverat uſus, Qui non ſignatas juſſit habere fidem:* & Cynthia ſua Romæ etiam commorabatur. Cum autem ad Mecænatem ſcribendum ſit vaſtum æquor navigantem, non cera, ſed calamis, ergo etiam atramento utitur, aſſeritque propalam, *Exactis calamis ſe mihi jactet equus* lib. 3. eleg. 8. ver. 20.

Addendus jure Propertio Catullus, qui tot turbas ciet in epigr. 43. (quo nihil lepidius concinniuſque inter Latinos leges,) eo quod mœcha quoſdam ejus pugillares, ſive codicillos ſuffurata eſt; exputandum eſt Catullum tabellam huic mœchæ miſiſſe, quam reddere vel ob contemptum, vel ob muliebrem avaritiam inficiata eſt, quare illam poeta amariſſimis hendecaſyllabis infectatur v. 11.

Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos.

& v. 21. *Sed nil proficimus, nihil movetur:*

Mu-

Digitized by Google

Mutanda eſt ratio, moduſque vobis,
Si quid proficere amplius poteſtis:
Pudica & proba redde codicillos.

Et ſane Romæ id ſcortum degiſſe certum dicas, quod alloqui per ceras ſtuduit Catullus.

Nemo elegantius & clarius præ Ovidio metam. IX. fab. XI. Biblidem puellam fratri ſuo Cauno ſcribentem repræſentare ſatis eſſet, cujus *Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram: Incipit, & dubitat: ſcribit, damnatque tabellas:* mox: *Scripta ſoror fuerat, viſum eſt delere ſororem, Verbaque correptis incidere talia ceris:* demum in ima cera epiſtolæ: *Talia nequicquam perorantem plena reliquit Cera manum, ſummoque in margine verſus adhæſit;* (hanc Biblidis fabellam in fontem mutatæ legat rogo, cui mens non læva ſit, ſed ἔμπεδοι φρένες, Hom.) Jam quiſque in ea noſcit ſororem ceratum pugillarem fratri miſiſſe in vicinia commoranti; alloqui vero rubebat, etenim *Non ſoror ut fratrem, nec, qua debebat, amavit;* & per litteras audaciores ſane ſumus.

Quod autem ceratæ tabellæ ad amicos in eadem urbe non in longe diſſitis locis, vel regionibus degentes, (hos enim chartis, ut mox oſtendam, alloqui ſollemne erat,) miſſitabantur, præter alios Latiares Scriptores, Ovidius me docuit, qui fere mille epiſtolarum ſcripſit, cujus carmina nimium patienter percurri, atque id moris adeo conſtans ratumque reperi, ut ſi quis poſthac ea de re ambigat, omnium pertinaciſſimus traducendus: & ne utramque ceram impleam, pauca ex eodem exempla exſcribam. De art. lib. I. v. 437. præcipit per ceratas litteras amicæ indolem tentandam eſſe: quæ in eadem urbe, ubi procus eſt, commoratur:

Cera vadum tentet raſis infuſa tabellis,
Cera tuæ primum nuncia mentis eat.

Et ibid. v. 464. hortatur, ne in his pugillaribus moleſta verba incidantur:

Sed lateant vires, nec ſis in fronte diſertus;
Effugiant ceræ verba moleſta tuæ.

Optat præterea ibid. lib. 2. ver. 395. ut tabellæ, quæ ad præſentes ἐρασθίας mittuntur, iterum legantur, nam plura interpretantur in litteris, quam ſcribuntur:

Et quoties ſcribes, totas prius ipſe tabellas
Inſpice, plus multæ, quam ſibi miſſa, legunt.

Et ibid. v. 543. oſtendit ἐρασθίας amatoribus etiam in lignis ſcripſiſſe:

Innuet illa, feras: ſcribet, ne tange tabellas;
Unde volet, veniat; quoque libebit, eat.

Sed nihil validius ſententiam firmat, quam quæ hic vates canit ibid. lib. 3. v. 469. & ſeqq. ubi præter cetera rationem adſcribit, cur in ceris puella ἐρωτικὰ epiſtolia exaret, ſcilicet quod ſit tutum negotium, & deletu facile: præterea, cum eadem ſit tabella, quæ ultro citroque it reditque, nunquam occupatura ſit geminas manus. Neque dubites, quin de ama-

Digitized by Google

amatorculis in eadem urbe commorantibus poeta loquatur, cum vel ab ancilla, vel ab puero ceras ferendas edicat, ſtabiliatque etiam ligni ſpeciem, nempe abiegnam: licet in lib. 1. eleg. XI. v. ult. dicat fuiſſe etiam ex acere.

Verba vadum tentent abiegnis ſcripta tabellis,
Accipiat miſſas apta miniſtra notas....
Ancillæ puerique manus ferat apta tabellas,
Pignora nec juveni credite veſtra novo....
Nec niſi deletis tutum reſcribere ceris,
Ne teneat geminas una tabella manus.

Nunc ſane advertimus, quare Catullus mœcham hendecaſyllabis, ut paullo ante dictum eſt, proſcindit, quod ſuos pugillares ſuffurata eſt; verebatur merito, ne, quæ ipſe inciderat, aliis mœcha pateſaceret.

Non obliviſcendum eſt mihi Ovidium de art. lib. 3. v. 621. adnotare etiam modum, quo furtim ancillæ meretriciæ artis conſciæ, & adminiſtræ codicillos ceratos tulerint, ſcilicet ſub faſcia; quos & in ſinu abdebant.

Conſcia cum poſſit ſcriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido faſcia lata ſinu.

Idipſum, & cultius jam ante Ovidium cecinerat Tibullus lib. 2. el. ult. ver. 45.

Lena vetat miſerum! Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque, reditque ſinu.

Vides ex te ipſe, ſi lenæ tabellas ferant ad procos, certe non multum itineris conficere. Ceterum miror tot viros doctiſſimos, qui Tibullum, atque Ovidium illuſtrarunt pro utriuſque vatis mutua luce bina hæc diſticha non vidiſſe, quo ſimul conferrent. Demum ſatis diu hæſeram, an binas Ovidii elegias hic illinerem XI. ſcil. & XII. lib. 1. Amor. verum, cum ſcribam ſapientioribus & cordatioribus, illas apponam, ubi graphice ἐρωτικὰς haſce ceratas tabellas, earumque uſum ad vicinas mœchas adportandas definit:

Ad Napem, ut paratas tabellas ad Corinnam perferat.

Colligere incertos, & in ordine ponere, crines
Docta, neque ancillas inter habenda, Nape;
Inque miniſteriis furtivæ cognita noctis,
Utilis & dandis ingenioſa notis;
Sæpe venire ad me dubitantem hortata Corinnam;
Sæpe laboranti fida reperta mihi;
Accipe, & ad dominam peraratas mane tabellas
Perfer; & obſtantes ſedula pelle moras.
Nec ſilicum venæ, nec durum in pectore ferrum,
Nec tibi ſimplicitas ordine major ineſt.

Cre-

Digitized by Google

Credibile eſt, & te ſenſiſſe Cupidinis arcus.
In me militiæ ſigna tuere tuæ.
Si quæret, quid agam; magna ſpe vivere, dices.
Cætera fert blande cera notata manu.
Dum loquor, hora fugit: vacuæ bene redde tabellas:
Verum continuo fac tamen illa legat.
Aſpicias oculos mando, frontemque legentis:
E tacito vultu ſcire futura licet.
Nec mora: perlectis reſcribat multa jubeto,
Odi cum late ſplendida cera vacat.
Comprimat ordinibus verſus, oculoſque moretur
Margine in extremo littera raſa meos.
Quid digitos opus eſt graphio laſſare tenendo?
Hoc habeat ſcriptum tota tabella, Veni.
Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.
Subſcribam, Veneris fidas ſibi Naſo miniſtras
Dedicat: at nuper vile fuiſtis acer.

Tabellas exſecratur, eo quod amica, quæ ipſe petierat, negarat.

Flete meos caſus: triſtes rediere tabellæ.
Infelix hodie littera poſſe negat.
Omnia ſunt aliquid: modo cum diſcedere vellet,
Ad limen digitos reſtitit icta Nape.
Miſſa foras iterum limen tranſire memento
Cautius; atque alte ſobria ferre pedem.
Ite hinc difficiles funebria ligna tabellæ,
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ
Melle ſub infami Corſica miſit apis.
At, tanquam minio, penitus medicata rubebas:
Ille color vere ſanguinolentus erat.
Projectæ triviis jaceatis inutile lignum:
Voſque rotæ frangat prætereuntis onus.
Illum etiam, qui vos ex arbore vertit in uſum,
Convincam puras non habuiſſe manus.
Præbuit illa arbor miſero ſuſpendia collo,
Carnifici duras præbuit illa cruces:
Illa dedit turpes raucis bubonibus umbras,
Vulturis in ramis, & ſtrigis ova tulit.
His ego commiſi noſtros inſanus amores,
Molliaque ad dominum verba ferenda dedi?

Digitized by Google

Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ,
Quas aliquis duro cognitor ore legat.
Inter ephemeridas melius, tabulaſque jacerent,
In quibus abſumptas fleret avarus opes.
Ergo ego vos rebus duplices pro nomine ſenſi?
Auſpicii numerus non erat ipſe boni.
Quid precer iratus? niſi vos carioſa ſenectus
Rodat, & immundo cera ſit alba ſitu.

Ne me moreris rogo, ut multa, quæ ad ligneam hanc ſcripturam ſpectant, ipſe adnotem, firmemque etiam atque etiam ſententiam, quam tueor, cum plana omnia videas, & quæ multis exemplis undique corraſis oſtendi, in binis his carminibus collecta habeas.

Neque mihi poſthabenda Auſonii auctoritas, qui in extremo epigrammate ad notarium velociſſime excipientem verba canit: *Puer notarum præpetum -- Sollers miniſter advola, -- Bipatens pugillar expedi..... Inſtarque denſæ grandinis -- Torrente lingua perſtrepo, -- Tibi nec aures ambigunt, -- Nec aucupatur pagina, -- Et mota parce dextera -- Volat per æquor cereum.....Tu ſenſa noſtri pectoris -- Vix dicta jam ceris tenès, &c.* Nam eo quod puero notario bipatens pugillar ceratum, non membranas apponit, parum dubii eſt, quin ἐφωτικά quædam brevemque epiſtolam exarandam dictaverit, præſertim cum me non fugiat Auſonium, quanquam Chriſti partes ſecutum, quæ potior ſententia eſt, ethnicis propiora & liberiora ſcripſiſſe. Contra vero, quando Auſonius de ſueta libros & membranas ratione ſcribendi loquitur, poeticis luminibus celebrat atramentum epiſt. 4. indeque litteras vocat *Cadmi nigellas filias, notaſque furvæ ſepiæ.*

Ægerrime profecto pertuli recenſere haſce vatum meras inſanias, quare rogo, nequis plura harum tabellarum exempla veſtiget. Porro ad quid decentius accedam. Reperi autem in Catullo epigr. 51. in more etiam fuiſſe id genus ceratas tabellas miſſitandi ad amicos prope degentes, in quibus ſcriptis varii numeri carminibus, aut hendecaſyllabis ſe ultro citroque laceſſebant, lepideque horas ac docte terebant, ita ut una eademque tabella circumferretur, deletis facile amici carminibus, utpote in cera ſcalptis, & pro reſponſo novis ab altero ſodali in eadem appoſitis; ita ſane interpretor verſus hoſce Catullianos ad Licinium: *Heſterno, Licini, die otioſi -- Multum luſimus in meis tabellis, -- Ut convenerat eſſe delicatos: -- Scribens verſiculos uterque noſtrum, -- Ludebat numero modo hoc, modo illoc, -- Reddens mutua per jocum atque vinum. -- Atque illinc abii tuo lepore -- Incenſus, Licini, facetiiſque, &c.*

XI. Pauca addenda reor de *laureatis tabellis*, de quibus nemo, quod ſciam, qui de ſcribendi ratione verba inſtituit, aliquid delibavit: non me fugit Lampridium id genus tabellarum in Severo pag. 1023. meminiſſe, quibuſcum ab imperatoribus de victoriis certior ordo, & populus Rom. fie-

Digitized by Google

fiebat; quas licet longe gentium missas quis mihi objicere posset fuisse ligneas, quod lubens do; etenim hæ erant ejus generis tabellæ, quæ raro admodum in urbem, & ritu sollemni inferebantur, atque fortasse longe grandiores præ ceteris, quippe lauro undique ornatæ, quas nullusdum inter epistolas suetas, de quibus mihi sermo est, adnumeret. Vide magnum Salmasium plurima inibi adnotantem, licet oblitus sit Ovidii versus, qui Corinnæ suæ pugillarem instar harum militarium tabellarum lauro se exornaturum spondet Amor. lib. 1. el. XI. v. 25. *Non ego victrices lauro redimire tabellas, Nec Veneris media ponere in æde moror.* Sæpe viros summos, quæ opportuniora sunt, latent.

XII. Quoniam autem argumenta, quæ a contrariis petuntur, non minus ponderosiora sunt, quot haud deside otio collegi exempla proferam, atque ostendam epistolas licet breviores ad amicos vel ab urbe, vel longe gentium absentes, in chartis solummodo conscriptas. Sane si omnem Ovidii librum epist. heroidum perlegas, quæ ad exteros universæ datæ sunt, nunquam in eisdem vel *cera*, vel *tabella* reperies; idipsum dicendum de epistolis librorum quatuor ex Ponto, queis addere possem quinque libros Tristes, quorum elegias meras epistolas dicas, in iisque chartarum, & calamorum mentio, ceræ nunquam, vel ligni. Ep. XI. Heroid. ver. 1.

Si qua tamen cæcis errabunt scripta lituris,
Oblitus a dominæ cæde libellus erit.
Dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrum,
Et jacet in gremio charta soluta meo.

Et ibid. eleg. 18. v. 19. *Talibus exiguo dictis mihi murmure verbis, Cetera cum charta dextra locuta mea est.* Atque epist. 21. v. 244. *Non timuit tecum, quod mea charta loqui. Tam satis invalidos calamo lassavimus artus, &c.* Ut taceam versus, ubi sæpe vides ῥῆσιν *litura*, quæ chartarum propria est, hinc tritum illud *illinere chartis*, exemplo sit ver. 3. epist. 3. *Quascumque aspicias, lacrymæ fecere lituras, &c.* ceras autem scriptas quis unquam dicat ab lacrimis deleri posse?

Eadem habeo in epistolis ex Ponto, lib. 4. ep. 13. ubi Ovidius scribit amico suo eum posse perspicere, unde veniat longe gentium missa epistola ex chartæ colore. Et ubique librorum Tristium ῥῆσιν *chartam* legere est, lib. 3. el. 1. v. 4. *Nullus in hac charta versus amare docet;* & v. 55. *Aspicis exangui chartam pallere colore.* Addas ibid. lib. 4. eleg. 7. v. 7. *Cur quoties alicui chartæ sua vincula dempsi, Illam speravi nomen habere tuum?* Et ibid. lib. 5. eleg. 13. v. 38. ubi certa mentio epistolæ in charta a Getico solo Romam ad amicum missæ: *Sic ferat, ac referat tacitas nunc littera voces: Et peragant linguæ charta manusque vices.* Nec non epist. 7. lib. 3. ibid. v. 5. *Nostraque quid portat jam nostis epistola, quamvis Charta sit a vinclis jam labefacta suis.* Ne autem semper ad Ovidium te provocem, Catullus suam epistolam ad Manlium v. 45. epigr. 69. vocat

Digitized by Google

chartam . Hic autem parum reſiſtere oportet, ne credas me nodos quoſdam devitare; reperi etenim in epiſtolis ex Ponto lib. 4. ep. 1. v. 11. vocem *ceras* pro litteris : *O quoties alii vellem cum ſcribere , nomen Rettulit in ceras inſcia dextra tuum*, atque notum eſt, dicat quis, eas epiſtolas Romam ad amicos datas , non ad proximos : verum ſi Ovidii verba propius ſpectes, vates videtur procul dubio indicare non epiſtolas in Urbem miſſas, quas attentius in charta ſcribi oportuit, ſed ſuetos illos codicillos & pugillares ceratos, qui ad præſentes amicos ſcribebantur, in quibus, amore urgente, atque uſu, pro alterius nomine illud Pompeji errore non pœnitendo incidebat, quare ſubdit: *Ipſe mihi placuit mendis in talibus error, Et vix invita facta litura manu eſt*. Vel ſi dicas *ceras* hic accipi τροπικῶς pro quavis materia ſcriptioni apta, etiam charta, non intercedam ; præſertim cum Ovidius adjiciat vocem *litura* , quæ chartarum propria eſt, & chartis illinitur; & ipſe cap. ſeq. aliquando ceras pro papyris adhiberi multis oſtendam ; verum quod primum repoſui, arridet magis, cum nullibi ſuorum voluminum Ovidius τροπικῶς *ceras* celebret, ne in iis quidem verſibus 101. & 102. ex Pont. lib. 4. ep. 9. *Nec mihi credideris ; exſtant decreta, quibus nos Laudat , & immunes publica cera facit ;* nam interpretes certant, num hic *publica cera* ſint decreta publica ſcripta in tabulis ceratis , an ſigilla reipublicæ Tomitanæ, vide varior. adnotat.

Præterea volumen epiſtolarum Plinii verſare aggreſſus ſum, inibique ſæpe chartarum nomen, ceras autem ſcriptorias nunquam inviſi, eæ etenim epiſtolæ ad abſentes amicos ſcriptæ ſunt: ne ſatietatis ſim, locos binos adſcribam: lib. 3. ep. 14. *Quid præterea novi? quid? nihil , alioquin ſubjungerem ; nam & charta adhuc ſupereſt , & dies feriatus patitur plura contexi*. Et ep. 15. lib. 8. *Igitur mihi quoque licebit ſcribere , quæ legas, ſit modo, unde chartæ emi poſſint , quæ ſi ſcabræ bibulæque ſint, aut non ſcribendum, aut neceſſario quidquid ſcripſerimus boni, malive, delebimus ;* adnotes veterum chartarum vitia, peræque ac noſtrarum. Et cui mirum non videbitur in tot Tullii libris epiſtolarum ad Att. & ad Familiar. nunquam inveniri vocem *ceram* , aut *tabellam ?* contra vero ῥήτεις *charta* , *atramentum* , *calamus* lectites , quas promptas habes ex Ciceronianis lexicis : neque alia ſubeſt ratio , quam quod ad abſentes datas legas. Si autem ſemel aut iterum *cera*, *tabella*, aut *ſtilus* in ceteris Tullii voluminibus videas, vel τροπικῶς illum eas voces adhibuiſſe , vel longe aliena notione ab ſcriptura, atque epiſtolis accepiſſe, niſi falli ames, animadvertes . Miratus ſum ſane Senecam in ſuo epiſtolarum volumine ad Lucil. neque ceræ, neque chartæ unquam meminiſſe. Demum ab Suetonio aperte habes litteras per longius ſpatium miſſas in charta conſcriptas ; quin formam, & exarandi modum noſces, in Jul. cap. 56. *Epiſtolæ quoque ejus exſtant ad ſenatum, quas primus videtur ad paginas, & formam memorialis libelli convertiſſe; cum antea coſſ. & duces nonniſi tranſverſa*

char-

Digitized by Google

charta ſcriptas mitterent. Quin *charta tranſverſa* ſit illa, quæ, dum illinis, longior eſt, quam lata, nemo dubitet: ſicuti *charta averſa* eſt pars oppoſita ſcripto, ſive quæ a tergo ſcripta eſt, Juvenal. ſat. 1. v. 5. Hinc Martialis Picenti cuidam illudit lib. 8. ep. 62. *Scribit in averſa Picens epigrammata charta, Et dolet averſo, quod facit illa, Deo*, jocatur, quod Picens ad nauſeam longa epigrammata ſcriberet, ut opiſtographo indigeret. Verum jam ſatis de ceratis tabellis, atque epiſtolis in charta exaratis.

XIII. Reſtat, quo omnia, quæ de cera γραφικῇ dici poſſunt, abſolvam, intraque fines ſuos ſtrictius coarctem, ut inquiram, an Romani præter breves epiſtolas in cera inciſas ad viciniores amicos datas, in aliis ſcribendi occaſionibus ea abuſi ſint; & ſane adverti ex non unis exemplis eos ſecum habuiſſe ceratos quoſdam pugillares, ſive codicillos, in queis adnotabant extemporalia memoriæ cauſa, quos ſæpe etiam ſecum comportabant, ſi quid exarare accidiſſet; id moris etiam nunc ſervamus, cum plerique omnes libellum nobiſcum geſtamus pagellis diſtinctum gypſo, vel ſimili materia illitis pro ſubita ſcriptione, aut pro adnotandis, quæ in itineribus eveniunt, ne obliviſcamur. Ne autem te exemplis ex Cic. epp. ad Att. atque ad Familiar. obtundam, id facile ab indicibus, & ex lexicis tenes, vide in voce *codicilli*, quos Orator maximus ab epiſtolis in charta ſcriptis aperte diſtinguit; ſicuti Plinius ep. 18. lib. 3. *codicillos* a *libellis* diſcrevit: *Cœpi autem non mediocrem voluptatem, quod hunc librum cum amicis recitare voluiſſem, non per codicillos, non per libellos, ſed*, &c. ſcil. non in cera, neque in charta raptim, & incompte ſcriptum. Eadem autem fere verba ſcripſerat Seneca in ima cera epiſtolæ 55. *Video te, mi Lucili, cum maxime audio: adeo tecum ſum, ut dubitem, an incipiam non epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere*; quæ ita illuſtrat Lipſius in adnotat. *mitti ſolitos ad præſentes*; atque paullo ſuperne multis oſtendi ceratas tabellas ad amicos in eadem urbe degentes miſſitari. Ita etiam diſtinguit ep. 6. lib. 9. *Omne hoc tempus inter pugillares, ac libellos jucundiſſima quiete tranſmiſi*. Et epiſt. 5. lib. 6. *Nam & Celſus Nepoti ex libello reſpondit, & Celſo Nepos ex pugillaribus*. Neque unus Lipſius oboluerat pugillares ad præſentes miſſitari; verum etiam magnus Salmaſius, licet dubitanter id aſſerat, adeo cerata ſcriptura ejus oculos perſtrinxerat: *Videntur epiſtolæ ad longinqua mittendæ in charta tum fuiſſe ſcriptæ; quæ vero in urbe ad amicos mittebantur, in tabulis ceratis perſcribebantur*, de ſubſcribend. teſtament. pag. 273.

Verum nemo clarius dat intelligere notionem codicillorum, quam ipſe Plinius ep. 16. lib. 6. dum ait avunculum ſuum diſceſſurum ad Veſuvii incendium propius inviſendum, codicillos accepiſſe, atque in itu dictaſſe, & notaſſe omnia; nemo ſane in re ſubita credat Plinium thecham calamariam, chartaſque ſumpſiſſe, non vero tabellas cera oblitas iter agentibus opportunas ſatis. Ita etiam Plinius nepos in more habuit, cum venatum iret, non chartas, ſed pugillares ſecum geſtandi, quod a binis

locis

Digitized by Google

locis habeo ep. 36. lib. 9. *Venor aliquando, sed non sine pugillaribus, ut quamvis nihil ceperim, non nihil referam.* Et clarius idipsum dicit ep. 6. lib. 1. quam fere omnem exscribam, jucunda enim lectu est: *Ego ille, quem nosti, apros tris, & quidem pulcherrimos cepi.... Ad retia sedebam. Erant in proximo non venabulum, aut lancea, sed stilus, & pugillares: meditabar aliquid, enotabamque, ut si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem... Jam undique silvæ, & solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde, cum venabere, licebit auctore me, ut panarium, & lagunculam, sic etiam pugillares feres. Experieris non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare. Vale.* Addas Senecam epist. 87. circ. init. ajentem se, cum iter ageret, semper circumtulisse *caricas, & pugillares.* Idemque philosophus epist. 108. circ. init. longe queritur *de multis auditoribus, queis schola philosophorum diversorium otii erat, de paucis, qui cum pugillaribus veniebant, non ut res exciperent, sed verba;* castigat igitur Seneca usum pugillarium in scholis, utpote qui ad scribendas magni momenti res importuni.

Quæ cum ita sint, si aliquando in veteribus Scriptoribus quosdam domi in pugillaribus quid exarare advertas, dicas illos res, vel extemporales, vel memoriæ causa, vel etiam ea, quæ in libellos vel chartas deinde transfundenda sunt, insculpere, ut in Plin. ep. 1. lib. 3. *Peractis septem millibus passuum, iterum ambulat mille, iterum resedit, vel se cubiculo, ac stilo reddit: scribit enim, & quidem utraque lingua lyrica doctissime, &c.* Sane versus non tam prompte scribimus, & non sine lituris procudimus, quare ceræ aptiores sunt, quæ facile complanantur, quam chartæ. Neque aliter accipias verba epist. 27. lib. 3. *Ubi cœpit advesperascere, jubet sterni sibi prima domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen, &c.* & paullo inferius: *Rursusque ceris, & stilo incumbit.* Hæc ita se habere colligo luculenter ex ejusdem Plin. ep. 21. lib. 7. qui fatetur eo, quod oculis laborabat, nonnisi stilo, & lectioni studebat parcissime; qui enim oculis non valet, res longiores scripturus non est, quare ceris merito utitur: *Infirmitati oculorum, ut jubes consulo... & hinc non stilo modo, verum etiam lectionibus difficulter, sed abstineo, solisque auribus studeo.*

XIV. Ceterum ne semper ad profana provocemus, rem, de qua disputamus, Augustini verbis in libr. confess. 9. cap. 4. n. 8. statuam, qui, urgente re subita, & dentium dolore eum urente, pro scriptione ad ceras confugit: *Dolore dentium tunc excruciabas me, & cum in tantum ingravescceret, ut non valerem loqui, ascendit in cor meum admonere omnes meos, qui aderant, ut deprecarentur te pro me Deum salutis omnimodæ. Et scripsi hoc in cera, & dedi eis, ut legeretur: mox ut genua supplici affectu fiximus, fugit dolor.* Hinc lux erit Lucæ cap. 1. v. 62. ubi de Zacharia dicitur: *Et postulans pugillarem scripsit dicens,*

Joan-

Digitized by Google

Joannes est nomen ejus, Καὶ αἰτήσας πινακίδιον ἔγραψε λέγων, Ἰωάννης ἐστὶν ὄνομα αὐτῦ. Vides in re subita, & in paucorum verborum πεμόδῳ Zachariæ muto, & jam seneſcenti satis fuiſſe *ceratam tabellam*, πινακίδιον. Neque hic moleſtus ſis, me cap. 3. multis oſtendiſſe Hebræos ceras, & tabellas γραφικὰς ignoraſſe, reponam etenim, me de Hebræis locutum iis, qui cum Romanis nunquam communicarunt: Servatoris Jeſu Chriſti ævo, quoniam Syria Romanorum imperium ſubierat, plurimos eorum mores Judæi amplexi ſunt; & Græcanicam etiam linguam innumeris Latiaribus vocibus, & formulis infecerunt, veluti κράββατος, κῆνσος, πραιτώριον, δηνάριον, πίτλος, vid. πολυμαθεστάτυ viri, & acerrimi ingenii Jo. Lamii librum de erudit. Apoſt. quare pronum fuit, ut præter bene multa Romanorum inſtituta, inductum etiam morem ſcribendi in pugillaribus. Præterea relegas, quæ multa de voce πινάκιον, & πινακίδιον cap. 4. n. 4. ſuperne adnotavimus. Poſthabeas rogo, quæ de his Zachariæ pugillaribus adſtruit Trotzius in Hugonem de pr. ſcrib. orig. pag. 594. & diſſertat. Franciſci Beringii, quam in Theſauro Theolog. Philolog. N. T. reperies, qui hos pugillares quadrangulum librum fuiſſe exputant. Ceterum ſuetam tunc temporis Hebræis ῥωμαΐζεσι rationem ſcribendi notum eſt fuiſſe per *calamum*, & *atramentum*: Joan. epiſt. 3. v. 13. Πολλὰ εἶχον γράφειν, ἀλλ' οὐ θέλω διὰ μέλανος, ἀλλὰ καλάμυ σοὶ γράψαι.

XV. Verum ut uſum omnem ceratarum tabellarum apud Romanos expromam, reperi eas etiam adhibitas in adnotandis vel expenſis, vel ſtrictim iis, quæ quotidie accidere ſolebant: hinc Cic. pro Quint. cap. 18. *Ad ephemeridem revertitur, invenitur dies profectionis*, id genus pugillares Græca voce *ephemeridas* appellitabant; eos enim facile erat ſecum ferre, utpote ſcriptioni extemporali aptiores. Hinc Propertius el. 22. lib. 3. v. 19. pugillares deperditos timet, ne quis avarus reddat ephemeridas: *Me miſerum his* (tabellis) *aliquis rationes ſcribit avari*, *Et ponit duras inter ephemeridas*. Contra vero Ovid. Amor. lib. 1. eleg. 12. v. 25. ſuas ceratas tabellas ab ἐρασείᾳ rejectas exſecrans optat, ut quis inter ephemeridas apponat. *Inter ephemeridas melius tabulaſque jacerent*, *In quibus abſumptas fleret avarus opes*. Adde his quoque pugillaribus uſos proclamatores, ac rabulas, cum accirent, qui ſponſiones dederant ad certum diem ſe ſiſtendi in judicio; Ovid. ibid. v. 23. *Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ*, *Quas aliquis duro cognitor ore legat*.

XVI. Ceterum cum ſermo ſit de ligneis pugillaribus, laboris pretium eſſet quædam adjicere de *pittaciis*, verum cum ſit vocabulum admodum inſuetum, & ſatis parva tabella, aut ſchedula paucorum στοιχείων, vel ſtilo ſcalpta, vel atramento illita, quæ præſertim vaſis, plerumque vinariis, pro liquorum vetuſtate adnotanda appendebatur, prætereundum reor: Petron. in ſatyr. cap. 35. *Allatæ ſunt amphoræ vitreæ diligenter gypſatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum annorum centum*; vide Burmanni inibi adnotat. & Salmaſium in Lampridium

Digitized by Google

dium in Severo cap. 21. Sed omnium diligentius quædam de pittaciis collegit Trotzius de prima ſcrib. orig. pag. 356. verum oblitus eſt Diogenis Laert. locum in Cratete fragm. 89. pag. 357. edit. Menag. qui tabellam, quam fronti ſuæ hic philoſophus affixit ab Nicodromo in faciem cæſus inſcriptam binis his verbis, Νικόδρομος ἐποίει, jure appellat πιττάκιον. Præterea cum hæc tabella gypſo perlita eſſet, vocabatur etiam λεύκωμα, hinc idem Laertius in Diogene fragm. 33. pag. 331. ait, Πληγὰς ἔλαβε, μετὰ δὲ ἐγγράψας τὰ ὀνόματα εἰς λεύκωμα τῶν πληξάντων περιήει ἐξημμένος, *plagas accepit, deinde nomina eorum, qui eum ceciderant, in albo, ſive pittacio inſcribens, atque alligans circumibat*. Notionem pittacii in Cod. Theodoſ. & ejus ætatis Scriptoribus nihil curo: quid valeat ea vox apud Celſum, & medicos tutemet legas. Hinc titulus Crucis Chriſti ſervatori, barbare πίναξ dictus, qui γνησίως audiret πιττάκιον. An idem titulus ſcalptus, an vero atramento tinctus fuerit, ſumma animi contentione id definire aggreſſus eſt Salmaſius initio libri de modo uſurarum, quod, ſi tibi otium ſuppetat, non ſine fœnore evolves. De eodem titulo multa amiciſſimus & benemerentiſſimus Gorius in ſuis ſymbolis volum. IX. de tit. Crucis Chriſti cap. 7. edenda curavit.

Præterea ne exputes me marmorum oblitum eſſe, a quibus etiam quædam de pugillaribus edocemur, ſcilicet horum artifices vocitatos *pugillariarios*, uti habes e ſaxo paucis ante annis Romæ eruto, quod affert Ficoronius de perſonis ſcæn. pag. 192. M. CAECILIO HILARO PVGILLARIARIO, hos quidem artifices fabricaviſſe pugillares ex multiplici materie, citreos ſcil. & eboreos ex Martiali tenes, imo etiam membranaceos ex Gruter. inſcript. 7. pag. 174. ubi inter cetera TI. TARFENIVS. TI. F. SABINVS. TESTAMENTO. LEGAV. PVGILLARES. MEMBRANACIOS. OPERCVLIS. EBOREIS, &c. Præterea reperi in Fabretto cap. 10. pag. 731. collegium horum artificum nomine *cerariorum*, quoniam id genus tabellas cera inducebant pro puellis, & ceteris, qui eas ſecum comportabant pro aliqua re ſubita adnotanda, vel pro litteris ad præſentes mittendis, ut dictum eſt: hinc eorum ſodalitia Romæ floruiſſe legimus: DECVRIAE. SCRIBARVM. CERARIOR. ET LIBRARIOR, quod epigramma, cum Trotzius de pr. ſcribend. orig. pag. 468. recitet, in hac voce CERARIORVM miror ſane nihil vidiſſe.

XVII. Demum non obliviſcendæ tabellæ ceratæ, quibus in judiciis, in ſuffragiis, atque in omnibus comitiis utebantur Romani; de quibus notiſſimæ exſtant quaternæ leges tabellariæ, Gabinia an. v. c. 614. Caſſia 616. Papiria 621. & Cælia 635. & in nummis earumdem monumentum ſervatum cernimus, vide Scriptores, qui ſupellectilem Rom. familiarum collegerunt in gente Licinia, & Caſſia. Quæ quidem tabellæ populo a diribitoribus diſtribuebantur; & ſane neque ex papyro, neque ex charta eſſe oportuit, quo commodiores inſano Romanorum numero in ſuffragia coeuntium citius traderentur, promptius ſtilo exararentur, & facilius etiam colligerentur in ciſtam, ad longi temporis ſpatium duraturæ.

At-

Digitized by Google

Atque ceratas fuisse aperte habemus ex Tullio in divinat. in Q. Cæcilium cap. 7. *Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami ac nefaria.* De his tabellis, ac suffragiis omnis est epistola Plinii 20. lib. 3. *Meministi te sæpe legisse quantas contentiones excitavit lex tabellaria? .... Omnes comitiorum die tabellas postulaverunt, &c.* Et circa finem: *Interim beneficio tabellarum habebimus magistratus, qui maxime fieri debuerunt, &c.* & epist. 25. lib. 4. etiam circa comitiorum suffragia versatur, meminitque stili, & tabellarum: *Proximis comitiis in quibusdam tabellis multa jocularia, atque etiam fœda dictu... Popposcit tabellas, stilum accepit, demisit caput, &c.* Verum de re protrita sat exemplorum frustra est colligere. Si vero concupias id genus tabellas satis parvas, quibus suffragia, vel comitia celebrabantur, inspicere, adeas ἀφθωνότατον Regis D. N. cimeliarchium, in quo bene multas buxeas tabellas numeris distinctas, duobus circiter digitis longas, uno latas, ex Herculanei ruderibus erutas non exigua animi voluptate invises.

Sane cum in judiciis, atque in curia id genus tabellas stilo incidere sollemne fuisse fateamur, clare elucet, cur J. Cæsar brachium Cassii arreptum graphio trajecerit, etenim Cæsarem curiæ assedisse ait Suetonius cap. 82. qui illo se instrumento ad tutandum aggressus est, quod eo loci pro exarandis ceratis tabellis judicialibus prostabat. Præterea lux est capiti 28. in Caligula, qui imperator, *Cum discerpi senatorem concupisset, subornavit, qui ingredientem curiam, repente hostem publicum appellantes invaderent, graphiisque confossum ceteris traderent; nec ante satiatus est, &c.* Vides igitur in curia dumtaxat exstare *graphia*, ubi & Cæsarem eis usum fuisse, & senatorem confossum; non alia scil. de causa, quam quod eo ferro judiciales tabellæ inciderentur. Adde me in eodem Suet. in Claud. cap. 15. in fin. reperisse hujus Cæsaris genas ab equite Rom. leviter perstrictas, in ejus faciem in tribunali degentis graphio injecto: quod inibi erat id genus instrumenti celebratissimum: *Equitem Romanum . . . satis constat . . . graphium, & libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiæ, & sevitiæ exprobratione jecisse in faciem ejus, ut genas perstringeret.* Miror interea tot doctissimos Suetonii interpretes id non advertisse. Idipsum vehementius firmat Plutarchus in Gracchis pag. 840. edit. Francofurti, ubi narrat Antyllium consulis Opimii lictorem ab iis, qui Gracchianis partibus studebant, interfectum esse, confossum magnis graphiis ad idipsum paratis: Ἀποθνήσκει γὰρ ὁ Ἀντύλλιος ἐκεῖ μεγάλοις γραφείοις κεντούμενος ἐπ' αὐτὸ τοῦτο πεποιῆσθαι λεγομένοις· etenim populum ait convenisse in capitolium ad Gracchorum leges antiquandas, qui cum non sine tabellis stilo incidendis suffragia ferret, & tunc omnia ad seditionem prona essent, sibi consuluit, & longiora graphia comparavit; vides igitur ex quaternis exemplis in judiciis, & in curia stilos adhibitos. Præterea satis affecto Pollucis segmento 61. lib. x. cap. 15. medela affertur, & sen-

Digitized by Google

tentia antehac tenebricosa luculentior prodit, dum enumerat vascula forensia: Κιβώτια & ἴσως γραμματοφόρα, καὶ γραμματεῖα, καὶ κάλαμοι γραφεῖς, καὶ κληροτήριον, quæ ita versa legis: *Tum & arculæ tabellariæ, & tabellæ, & calami, & stili, & sortilegium.* Verum restitue cum Jungermanno, καὶ κάλαμοι, καὶ γραφεῖα, ut fori instrumenta, quæ vera sunt, enumerentur, & turbæ hic commotæ ab interpretibus facessant, cum certe constet in curia fuisse γραφεῖα, quod nomen optarunt etiam sibi Latini *graphium*. Stilorum usum in curia, quo judices sententiam vel in reos, vel pro insontibus in calculis inciderent, aperte teneo ab Apulejo in metam. lib. 10. pag. 215. edit. Pricæi 1650. *Cum jam sententiæ pares, cunctorum stilis ad unum sermonem congruentibus, ex more perpetuo in urnam æneam deberent conjici . . . unus e curia senior præ ceteris compertæ fidei, atque auctoritatis præcipuæ medicus orificium urnæ manu contegens, ne quis mitteret calculum temere, hæc ad ordinem pertulit.* Quæ Apuleji verba si vidissent Pitiscus, & Burmannus pro ternis Suetonii, quos nuper laudavi locos, illustrandis attexuissent ad doctos suos commentarios.

Atque hæc de satis circumscripta Latinorum cerata scriptione: cum quoties ab eisdem adhibitam testatissimum fecerim, scil. in edocendis puellis characteres: in missitandis ad viciniores epistoliis: in adnotandis rebus extemporalibus: atque in judiciariis, vel comitialibus tabellis: neque alias ceram usurpatam reperies: contra in ceteris omnigenis scribendi modis atramentum principem & suetam materiem fuisse dicas: qua quidem distinctione invecta, ambages omnes in negotio scriptorio longe facessent, & veteres Scriptores coibunt in fœdus. Quare irascendum jubeo tot doctis viris, (sunt autem, quorum numerum assequi haud poteris, qui de veterum scribendi ratione bene longos commentarios illeverunt,) eo quod omnes, ne unum quidem excipias, veteres γενικῶς in corticibus arborum, in lignis, in cera scriptitasse edixerunt, celebratissimo atramenti usu pæne posthabito. Verum si in corticibus scriptum sit aliquando, Aborigenes id feciisse ait Symmachus lib. 4. ep. 28. quorum morem jam senex optabat, cum ipsum pigeret longas epistolas amicis expetentibus scriptitare: nam eæ gentes lignis paucas admodum voces incidebant, missitabantque brevem alternæ salutis dictionem: verba Symmachi tutemet legas, habent enim cum amabili brevitate elegantiam concinnam.

XVIII. Hæc cum a me ipse cogitassem, atque ex sat multis Auctorum monumentis concoxissem, non mediocriter mihi gratulari visus sum, reperisse Pollucem in hoc scribendi discrimine mecum lib. x. cap. 14. summa fide conjurantem; licet adeo turbata ejus verba, & fœde interpuncta vel in bene castigatis editionibus prostent, ut sine multa vi ingenii, & sedulitate onomasticographi sententiam non extrudas; neque interpreti confidas, longe enim a Pollucis mente peregrinatur.

Pollucis mens facile dignoscetur, si omne caput XIV. in ternas suas partes

Digitized by Google

partes dispensaveris, ipse enim primum edisserit γενικῶς de libris, deinde de pugillaribus cera obsitis, demum de instrumentis puerorum scriptoriis: inquit enim, qui inter libros versari cupiat, habeat βιβλία, χάρτας, πέλλας, διφθέρας, γραμματεῖα, γραμματίδια, δέλτους, δελτία, ὡς ἔστιν εἰπεῖν, γραμματίδιον δίθυρον, ἢ τρίπτυχον, ἢ πλειόνων πτυχῶν, statimque apponit, ut moris Pollucis est, famosum Homeri locum obscuritatis plenum πίνακα πτυκτόν, quem multis illustrare adnisus sum pag. 50. & seqq. & locum Aristoph. in Thesmoph. vides igitur hunc grammaticum in hac prima capitis parte communia librorum fere omnia nomina, nihilque ligni, vel ceræ meminisse.

Aggreditur ad alteram capitis partem onomasticographus, ubi de pugillaribus agit, quos πινακίδας apposite vocat, jubetque oportere esse ceratos, atque orditur ab verbis: Καὶ πινακίδας .... ὁ δὲ ἐνῶν τῇ πινακίδι κηρὸς, ἢ μάλθη, iterumque apponit ab priscis Scriptoribus Herodoto, Cratino, & Aristophane exempla. Verum ne credas Herodotum loqui de Græcorum pugillaribus, qui nunquam vel ligneos, vel ceratos habuerunt, sed de Persarum, uti pag. 63. a me ostensum est: Cratinus autem, & Aristophanes meminere quidem *signatoriam* ceram, quorum comœdiæ, si pessum non iissent, de id genus cera locutos hos comicos certo dignosceres: immo Pollux ipse statim ad signatoriam ceram verba convertit: atque ipse fortasse ad tædium ostendere adlaboravi Græcos nunquam voce κηρός pro re scriptoria abusos esse: contra vero si Pollux ait, ὁ δὲ κηρὸς ἐνῶν τῇ πινακίδι, more Latinorum loquitur, nam Romani solummodo ceratos codicillos & pugillares habuere.

Ad tertiam capitis partem progreditur Pollux, edicitque puero esse ad scribendum necessaria, *stilum*, *thecam graphiariam*, *regulam*, & *tabulam buxeam*: Τῷ δὲ παιδὶ δέοι ἂν προσεῖναι γραφεῖον, παραγραφίδα, καλαμίδα, (appone, ut inferius ostendam, καινονίδα,) πυξίον· hæc quam barbare versa sint, accipe: *puero vero adesse debent stilus*, *notatorium*, *calamarius*, *tabella*, quæ verborum monstra miror tot doctissimos interpretes non statim induxisse. Jure igitur scriptoriis tabellis, stiloque unos puellos, donavimus, atque hunc morem corrasis undique exemplis sulciendum adlaboratum mihi est. Advertas rogo hic Pollucem loqui de Latialibus pueris, nam Græcos παῖδας elegantius ad scribendum edoctos ex Platone, atque ex Max. Tyrio (vide superne pag. 90.) novimus.

Nollem autem, ut addubites de tribus hisce membris in hoc Pollucis de scribendi instrumentis capite, quoniam ipse per particulam triplicem δέ apte illud dispescuit; imo veteres membranæ titulum unicuique κώμματι apponunt, vide adnotationes. Demum Pollux in fine ejusdem cap. tanquam quid satis notum ac tritum, addendas ait voces *atramentum*, *atramentaria*, & *calamos*, μέλαν, μελανοδοχεῖα, κάλαμους, veluti sibi supervacanea, adeo communia, & usu celebratissima rebatur. Hæc διὰ βραχέων de onomasticographi mente; exputans me gratiam initurum, cum

Digitized by Google

ceteri doctiſſimi interpretes circa nuda verba locupletes adnotationes aggeſſerint. Atque iterum teſtor omnium fidem me hoc veterum ſcribendi diſcrimen minime ab Polluce hauſiſſe, verum poſtquam ipſe excogitavi, in ejus onomaſtico latitare deprehendi.

Cum hæc jam typographi edidiſſent in lucem, contigit mihi magnum Auguſtinum lectitanti de quant. animæ cap. 41. pag. 320. edit. Anverſæ to. 1. reperiſſe ipſum bis ſtili puerorum, qui ſecum ſtudiorum cauſa verſabantur, meminiſſe, & ne locus ſatis opportunus te fugeret, in extrema cera hujus cap. adnotandum ratus ſum; licet adſcribendus fuiſſet pag. 86. cumque verbis Ambroſii conjungendus. Rogatum te volo, ut Auguſtini κείμενον relegas, longius enim eſt, quam hic allini poſſit: inibi vermiculos illos graphice deſcribit, quos nunc phyſici *polypodas* vocitant, quique diſciſſi in fruſta, totidem oboriuntur, ita ut ſeparatim natos dicas: & diſces id monſtroſi fœtus inventum Auguſtino acceptum referre Batavos.

Reliquum eſt, quo fidem ſolvam, quam ab initio hujus cap. ſpoponderam, ut de ceris, tabuliſque jureconſultorum agam: negotium ſane longum, & difficultatibus quaquaverſum ſeptum; ſcio, me plus quam pars virilis poſtulat, oneris ac muneris ſuſcipere, verum animum non deſpondendum eſt, fortaſſe mihi potenter lecta fuit res.

CAPUT VI.

Teſtamenta & ſyngraphæ in unis chartis, aut membranis olim atramento illita: voces *tabulæ* apud juriſconſultos, & *ceræ* τροπικῶς accipiendæ.

I. *Vox* tabulæ τροπικῶς *accipienda apud jureconſultos: teſtamenta chartis illita.* II. *Unde orta ſit* τροπικὴ *hæc* tabularum *dictio pro chartis.* III. *Id eruitur etiam ex Ulpiano.* IV. Tabulas *juxta valere, ac membranas multa exemplorum vi firmatur.* V. *Juriſconſultorum etiam auctoritate. Quid vox* figura. VI. *Trotzius huic* τροπικῇ *locutioni videtur adſtipulari. Si in charta ſit ſatis tenebricoſa pupillaris ſubſtitutio omnem lucem adipiſcitur.* VII. *Cur raro vox* tabula *in lib. Inſtitut. variſſime in Cod. nunquam in Novell.* VIII. *Juvenalis verſus mire corruptus de lignea ſcriptione in integritatem reſtituitur: pro ea medela Suetonii locus aptiſſimus, ſed librariorum noxa affectus.* IX. *Ovidii verſus pro* lignis *haud jure affertur a Cujacio* X. *Homerus defenditur contra Salmaſ. Euſtath. nec non & Plin.* XI. *Vox* ceræ *pro ſcriptura etiam* κατὰ τρόπον *accipienda: quarum nulla mentio in juris* σώμασι. *Binæ leges depravatiſſimæ ſanantur.* XII. *Formulæ*, uti in his tabulis ceriſque, &c. *vera ſententia. Briſſonius, & Trotzius notantur.* XIII. *Quid* prima, *&* ima cera. XIV. *Paulli lex, quæ miſerrime perdita torſit interpretes, tandem in nativam lucem reſtituitur.* XV. *Quid* extrema cera *in Cic. Vox* cerarium *ejuſdem Oratoris antehac ignota explicatur.* XVI. *Præceps Scriptorum quorundam, & amicorum opinio ab præclariſſimo marmore*

Digitized by Google

more colligentium teſtamenta exarata in lignis rejicitur. XVII. *In eo ſaxo exſculptum non* tabellionem, *ſed* medicum *multis firmatur. Quid* προσεδρίη, *&* προσεδρεύειν, *&* *Latine* aſſidere, *voces propriæ medentium. Hippocrates, & bini ep. ad Corinth. loci illuſtrantur.* XVIII. *Quid* κατασταλή, *&* περιστολή *in Hippocr. ab omnibus male verſæ. Vox* περιβολή *in Plutar. importuna, cujus verba multa luce donantur.* XIX. *Cur bovis ſacrificium, & Dea Hygia in marmore.* XX. *Errori communi conſulitur medicos ſchedulas* (recepta) *pro ægrotis non ſcriptitaſſe.* XXI. *Vox barbarica* receptum, *Græce appoſite dicitur* πρόσταγμα· *&* προστάττειν *verbum ἰδιώτατον medicorum, quod antehac ignorabatur. Platoni lux, quædam etiam male verſa. Olympiodori verba ſatis opportuna pro ſchedulis medicorum.* XXII. *Perizonius pro notione* προστάγματος *mecum jurat. Hippocrati lux. Vanderlindenius notatur. Quid* πικρῶς *in Hippocrate, vox inficete transfuſa, ejus etymon Phaleſgicum.* XXIII. *Latinorum medentium erat* jubere, *&* juſſa, *Græcorum* προστάττειν, *&* προστάγματα. XXIV. *Fuiſſe etiam olim* pharmacopolas *nunc primum firmatur. Salmaſio, & Voſſio reſtitutur.* XXV. *Ariſtophanes videtur dixiſſe medicos viſitaſſe* φαρμακοπωλεῖα, *& vaſa urente ferro ſignaſſe. Vox* παῦσαι *nullius frugi in Ariſtoph. reſtituitur bona, ſcil.* καῦσαι. XXVI. *Floruiſſe pharmacopolas conſtat etiam ex Herculanei pictura, quæ hic deſcribitur.* XXVII. *Idipſum omnium apertiſſime ex Plinio, ex Themiſtio, atque ex ipſo marmore oſtenditur.* XXVIII. *Cum marmor non* tabellionem *exhibeat, ſed* medicum, *nihil officit ſententiæ neganti teſtamenta in cera, & lignis exarata. Ratio affertur, cur medentes in tabella lignea* προστάγματα *incidere potuerint.* XXIX. *Saxum ſcalptum pro votivæ tabella. Inſcriptiones quædam illuſtrantur. D'Orvillius notatur. Quid* ἐπήκοος *in ſaxis. Demum juſtæ querelæ. Capitis concluſio.*

I. AGEDUM pro atramento contra jureconſultos officia & partes ſumam, qui a ſuis libris illud omnino ablegaſſe viſi ſunt, mihique defenſitanti eorum auctoritas grande negotium creat, ut ſit tandem atro huic liquori poſtliminium; nam ad faſtidium in immani collectione Juſtinianea legere eſt, *tabulæ teſtamenti*, *tabellæ dotales*, *nuptiales*, &c. *ruptum teſtamentum*: præterea, *prima*, *ſecunda*, *ima cera*, & id genus voces ſexcentas, quibus aſſiduiſſime Romanum forum perſtrepebat. Fateor autem, ſi tot legum locos luce offundere pertentem, duo mihi timenda, unum ne longius vagari jure reprehendar, alterum ne quis obganniat tritum illud, *veniat de plebe togata*, *Qui juris nodos*, *& legum ænigmata ſolvat*, Juvenal. ſat. 8. v. 39. Mirari non deſinam, quotquot perlegi interpretes vel ſagaciores, univerſos ἁπλῶς pro ligno ὑπερβόητον illud juris vocabulum τὸ *tabulæ* accepiſſe, neque cuiquam ſuboluiſſe legum latores τροπικῶς locutos, ut antiquas opinione tantum inductas dictiones & verba juris ſancte ſervarent; ceterum quodvis genus conventionum, ultimas voluntatis ſententias, ſtipulationes, atque aliorum farraginem contractuum, & nomina, ὅσα κόνις, vel chartis, vel membranis mandari oportuit, niſi velimus ſuſque deque omnia turbare & commiſcere; quis enim in animum induxerit ad Juſtiniani Imp. ævum cerata ligna duraviſſe, cum membranæ chartæque adeo in vulgari quæſtu erant, ut jam viliſſima quæque iis advolverentur: imo longe antea poeta cecinerat, *Laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas*; teſtes ſunt tot libri Juſtinia-

no

no ſuppares, atque etiam antiquiores omnes ex membrana, vel ex papyro, nullique prorſus lignei; qui ſi unquam exſtitiſſent, ſaltem quid reliquiarum hanc ætatem attigiſſet, & ſi unus, aut alter oſtendatur & prædicetur, νοθείας, vel νεότητος facile arceſſendus. Neque interpretes quid rationi conſonum procudere ſatis haberent, cur Imperator in tabulis potius, quam in communi charta teſtamenta, & pacta cujuſvis generis exarari juſſerit, niſi ut quædam verba ſollemnia, & vetuſtate jam honeſtiſſima adſervarentur; habet enim, præcipue in legibus, majorem auctoritatem antiquitas.

De ratione autem ſcribendi τροπικῶς locutos eſſe jureconſultos palam eſt, aliter ubique aqua nobis hæreret, ſi verborum tenus *tabulas*, & *ceras* interpretari in animo ſit: etenim nemo ſibi unquam perſuaſerit jureconſultos in re teſtamentaria, & ceteris conventionibus indicendis fere ſemper tabulas meminiſſe, tanquam ſi in papyro & in membrana teſtatoris & contrahentium voluntas irrita eſſet; nam valde quam rara chartarum apud legum latores, tabellarum vero ad tædium frequens mentio celebratur; quare ſi hujus generis ligna νομικὰ accipiantur τροπικῶς, i. e. pro quavis materia ſcriptioni apta, quæ tunc temporis uſui erat, & καταχρηστικῶς *tabulæ* nomenclatura donabantur, vera atque opportunior legalis pactiones & teſtamenta ſcribendi ratio reſtituetur, quæ in membranis chartiſque eſſe oportuit non ſine atro liquore, ſeu atramento, quo reliqui libri ac volumina tingebantur, uti ſuperne multis demonſtratum eſt.

11. Quoniam fortaſſe adhuc quis de hac τροπικῇ legum locutione dubitare poſſet, idipſum ἰδιωτάτῳ exemplo firmius fulciendum eſt; ſicuti enim ſequioris temporis Scriptores librorum paginas *foliorum* nomine inconcinne compellabant, (quod nomen adhuc temporis durat,) non alia ratione ducti, quam temere ac cito ſibi perſuaſere & Sibyllas, & caſcos in arborum non modo corticibus, verum etiam in earum foliis ſcriptitaſſe, membranæ papyrique alieno, atque ex fabellis petito nomine *folia* audivere; nil ergo mirum, ſi idem ligneæ ſcriptioni accidiſſe dicas. Si autem ſolidiori conjecturæ ſit locus, cur in omni quotum eſt juris corpore quidquid contractuum eſt, & quævis extrema voluntas *tabularum* nomine exprimitur, dicerem ſane Latinos frequentiſſimas has juris locutiones derivaſſe ex eo, quod leges Decemvirales in lignis inſculptas rati ſint, (hinc tot turbæ interpretum, an roboreæ, vel eboreæ fuerint; quanquam Horatius aperte canat: *Fuit hæc ſapientia quondam .... leges incidere ligno*, de art. poet. v. 399.) invaluitque, ut nomen *tabulæ* ἁπλῶς pro legibus ipſis acceptaretur; inde poſteriores ſanctiones, & privatorum ſyngraphæ & contractus veteri *tabularum* vocabulo, licet chartis inſcripti, appellarentur. Propterea nunquam mirum mihi viſum eſt, ſi nullibi Juſtinianus utatur *ſtili*, & *ceræ* voce, licet tabularum ſemper meminerit; ſed τὸ *ſcribere*, quod proprium calami eſt, ubique uſurpet; hinc probe concludam vocem *tabulas* apud prudentes

Digitized by Google

tes jure membranas esse, vel papyros ; quis enim vero credat infinita pæne chirographa, publica, privataque instrumenta, testamenta, litium & causarum acta, & sexcenta conventionum vana plerumque nomina lignis mandata fuisse? præsertim cum minus malignitati temporis obstent; brevique ævo computrescant, & *carioſa ſenectus rodat*, Ovid. de art. el. 12. v. 29. si vero ceris illita, uti vulgus fert, fateamur, illæ quidem facili obliterationi obnoxiæ corruptelæque fuissent, & *immundo cera fit alba ſitu*, Ovid. ibid. quod sanequam acerrima cura vitandum, ut familiæ bona, & latifundia heredibus firma, & cautiora perdiu servarentur, quod per membranas melius & securius adsequebantur : ita ut quidam avarissimi, uti Staberius, quo relictæ hæreditati caverent, saxo summam patrimonii insculpere hæredes jusserint, Hor. serm. lib. 2. sat. 3. v. 90. Quod prompte deleri ceræ possent ex Martialis ep. 7. ult. lib. constat : *Esse puta ceras, licet hæc membrana vocetur, Delebis, quoties ſcripta novare voles.* Hinc etiam conficta nomina *tabularium*, *tabellarius*, *tabellio*, nihil negotii creant, cum unde educta sint, eodem sensu, ac δυνάμει polleant.

III. Ut autem, quæ disputo, propius veritatem sint, ad verba Ulpiani provoco, qui partes meas agere jussus est in omni leg. 52. de legat. 3. ab §. 1. usque ad 7. adscribam hanc longiorem legem, scio enim lectores pigere libros, qui recitantur, invisere: *Librorum appellatione continentur omnia volumina, ſive in charta, ſive in membrana ſint, ſive in quavis alia materia; ſed & ſi in philyra, aut in tilia, (ut nonnulli conficiunt,) aut in quo alio corio, idem erit dicendum. Quod ſi in codicibus ſint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis: an debeantur, videamus? & Gajus Caſſius ſcribit deberi & membranas, libris legatis.* Inde in §. 1. & 2. jurisconsultus ad librorum legata transit. §. 3. *Libris autem legatis, bibliothecas non contineri Sabinus ſcripſit: idem & Caſſius; ait enim membranas, quæ ſcriptæ ſint contineri....* §. 4. *Quod autem Caſſius de membranis puris ſcripſit, verum eſt, nam nec chartæ puræ debentur, libris legatis, nec chartis legatis, libri debebuntur, niſi forte, & hic non urſerit voluntas: ut puta, ſi quis forte chartas ſic reliquerit: chartas meas univerſas, qui nihil aliud, quam libros habebat, ſtudioſus ſtudioſo, nemo enim dubitabit, libros deberi: nam & in uſu plerique libros chartas appellant. Quid ergo ſi quis chartas legaverit puras? membranæ non continebuntur, neque ceteræ ad ſcribendum materiæ, ſed nec cœpti ſcribi libri....membranæ non dum conſutæ continebuntur.* §. 6. *Chartis legatis, neque chartæ nondum perfectæ continebuntur:* in quibus legibus jurisconsultus solummodo chartarum & membranarum meminit legatarum, pleraque omnes earumdem species distincte enumerat, imo adstruit §. 4. chartarum nomine consueviſſe libros appellari : tantumque abest, ut ævo suo γραφικὰς tabellas usurparint homines, ut inter legata, quæ ad

biblio-

bibliothecam pertinent, jureconsultus illas omnino taceat; papyros vero, philyras, membranas, sive puras, sive scriptas, tanquam materiem solummodo usu tritam & vulgarem inter varias legatorum species sæpe meminerit. Si autem inter codices enumeret etiam eboreos, & ceratos codicillos, fatendum est illos quidem atramento scriptos teste Martiale lib. 14. ep. 5. *Nigra tibi niveum littera pingat ebur*; hos vero, utpote ultimo loco nominatos, facile assentiar veteres Romanos pro re subita, & extemporali adnotanda, vel pro epistoliis ad amicos non absentes dandis, uti superiori cap. multo otio probatum est, aliquoties adhibuisse: præterea adverte Ulpianum eos *codicillos* inter codicum genera jure adcensuisse extimo loco, tanquam τὶ περιττόν. Igitur jureconsulti, cum non τροπικῶς, sed κυρίως locuti sunt, *chartarum* dumtaxat meminere, dum vero ἀρχαίως, & secundum legum majestatem, *tabularum* voce abuti visi sunt.

Idipsum ex leg. 5. D. de injur. & famosis libell. ostendere possem, inibi suppar est Pythagoricæ ἐχεμυθίᾳ tabellarum silentium, sed contra passim legere est, *libros*, *scriptura*, *carmina*, ἐπιγράμματα, *inscriptiones*. Vide etiam Paull. sentent. 5. 4. 15. Paucis me expediam ex dictis, cur sollemnes sint jure doctis ῥήσεις illæ *rumpere testamentum*, & in *tabulas incidere*, leg. 20. D. de injust. rupt. irr. testam. at semel *lignum* pro *tabulis*, D. de bon. possess. contr. tab. & in Sueton. in Nerone cap. 17. *tabulæ pertusæ*, nempe ut servaretur ὁμολογία, & locutiones apte sibi responderent. Non autem dubites, quin τὸ *rumpere* & *rescindere* hoc pacto accipiantur, scilicet καταχρηστικῶς, nam jureconsulti τὸ *rumpere* detorquent etiam ad eas res, quas tantum mente animi concipimus; quare in jure non semel docemur *gradus rumpi agnatione*, & *testamentum alio testamento*.

IV. Ut autem has legum locutiones τροπικὰς melius firmemus, locum Juvenalis sat. 7. v. 23. addam, quem ipse mihi aptiorem effingere non satis fuissem, luce enim clarius edicit *tabellam* idem esse ac *membranam*, ut omnino ex animo evellatur, quod radicitus hærebat, veteres in lignis scriptitasse, eo quod tabularum voce sæpius, quam membranarum usos esse legimus; hortatur autem satyricus Telesinum malum poetam, ut carmina sua igni, vel blattis mandet, vel quæ bella cecinerat, una litura deleat:

Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
Præsidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur, lignorum aliquid posce ocyus, & quæ
Componis dona Veneris, Telesine, marito:
Aut claude, & positos tineæ pertunde libellos
Frange miser calamos, vigilataque carmina dele.

Nihil asciatius, ut ostendat *tabellam* accipi pro *membrana*, præsertim dum appositè claudit, *frange miser calamos*, quos solummodo tingendis chartis adhibitos novimus; præterquam quod ἐπίθετον *croceus* de unis membranis dicitur; hinc Isidorus mecum belle conjurat lib. 6. c. 11. *Membra-*

na

Digitized by Google

na vel candida, vel lutea, vel purpurea fuerunt: candida exsistunt naturaliter: luteum membranarum bicolor est, quod a confectore una tingitur parte, idest CROCATUR, *de qua Persius: Jam liber & positis bicolor membrana capillis.* Sed aptius fuisset, quam Persii, locuples Juvenalis testimonium, & miror illud Isidorum fugisse.

Quanti vis pretii est Martialis distichon, qui grande Ovidii metamorphoseon volumen in quindenos libros digestum vocat *massam structam multiplici tabella*, lib. 14. ep. 192.

Hæc tibi, multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

ubi *tabella multiplex*, si ex ligno constasset, non vero ex papyro, vel membrana, quod & ipsius distichi λῆμμα præsefert, scilicet *Ovidii metamorphosis in membranis*, in enormem molem excrevisset, maxime cum Martialis ævo majoribus στοιχείοις libri præcipue exscriberentur. Quæ poetarum exempla potissima sunt, ut nullus posthac ambigat, quin jureconsultorum tabulas non ligneas, sed membranaceas fuisse credat, veluti ex ipsius Martialis lib. 1. ep. 3. *Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis, Scrinia da magnis: me manus una capit:* ecce tibi idem membrana ac tabella. Idem de Homero in membranis lib. 14. ep. 184. *Ilias, & Priami regnis inimicus Ulysses Multiplici pariter condita pelle latent:* qui paullo ante dixerat *multiplicem tabellam* Metamorphosin Ovidii, hic vocat Iliada, & Odysseam *pellem multiplicem;* atque de Livio lib. 14. ep. 190. *Pellibus exiguis arctatur Livius ingens:* itaque epigrammatographus confundit *tabulas* & *pelles*, sive *membranas*. Addam Ausonium, qui in epist. 26. apertius præ ceteris, quam dixit *chartam*, inde vocat *tabellam:* v. 5. *Unde istam meruit non felix charta repulsam?* vers. 34. *Non ego longinquos, ut texat pagina, versus Postulo, multiplicique oneres sermone tabellas.*

v. Quid si ipsi veteres jureconsulti moneant se tabulas pro chartis accepisse? Paullus in 4. sent. tit. 7. *Tabularum autem appellatione chartæ quoque & membranæ continentur.* Ulpianus in princip. l. 1. D. de bon. poss. sec. tab. *Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiæ figuram: sive igitur tabulæ sint ligneæ, sive cujuscunque alterius materiæ, sive chartæ, sive membranæ sint, vel si e corio alicujus animalis, tabulæ recte dicentur.* Hic parum advertere te jubeo vocem *figuram* ab Ulpiano sumi pro *specie*, ita ut edicat testamenta scribi posse in quavis materiæ specie, non ut adnotavit Gothofredus pro *qualitate* & *forma* testamenti, ut opportune more suo Mazochius in Quirin. dipt. pag. 12. in adnotat. interpretatus est: verum nihil novi nos docuit vir summus, etenim Schultingius in Paulli sentent. lib. 4. tit. 7. pag. 406. id jam occupaverat, *Nihil, inquit, aliud est figura, quam species:* inde ex ipsis jureconsultis exempla profert scil. *variæ causarum figuræ*, & *capiendi figuræ* ex Pandecte: *juris figuræ* ex Institut. fortasse Schultingium Mazochius non legerat. Scias hanc

Digitized by Google

vocem *figuram* nimium torsisse Claud. Salmasium de modo usur. pag. 415. & longe transversum egisse; multa enim congerit, ut hujus legis verba susque deque misceat, jurisque consultum falsum esse redarguat; atque duplici licentia haud tanto viro digna turbat verba, videl. *Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiam ea figura*, vel minori mutatione; *omnis materiæ figuram*; & τὸ *figuram* refert revera ad quadratam lignearum tabularum formam, i. e. ad τετράδια · & vult Ulpianum a legato librorum omne genus prorsus excludere, quod cylindricam formam exhibeat, non vero τὴν τετράγωνον. Verum jureconsulto idem est *liber* ac *volumen*, quod clare hujus legis initio definitur; atque ipse inferius in παρέργῳ hujus lib. 1. ab animis præjudicatam perdiu opinionem evellam, quam omnes & legum interpretes, & rei scriptoriæ auctores tuentur, nempe exstitisse olim volumina cylindrica, sive εἰλήματα, qui non unis detortisque exemplis quasi certum venditant, imponuntque, cum sint unum idemque bina hæc vocabula *liber* & *volumen*.

Si autem censeatur ab jurisprudentibus etiam lignea figura, seu materies una cum coriacea, & chartacea scriptioni idonea, inde non aliud concludas, quam legem finere ad ultimæ voluntatis tuendæ gratiam, & litium vitandarum ergo, ut quis etiam illam lignis exaret, licet communis & vulgaris mos viguerit membranis papyrisque illinendi; eodem pacto intelligas Justinianum §. 12. Instit. de testam. ordinand. *Nihil autem interest testamentum in tabulis, an in chartis membranisque, vel in alia materia fiat.*

VI. Gratiæ mihi habendæ sunt Trotzio J.C. de prima scrib. orig. pag. 84. qui tenebricosam Ulpiani legem 7. D. de jurisd. eodem modo eodemq. lumine offudit: verba legis sunt: *Si quis id quod jurisdictionis perpetuæ causa, non quod prout res incidit, in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit, datur in eum quingentorum aureorum judicium:* quam ita interpretatur Trotzius, *Licet olim in albo tantum proposuerit edicta prætor, tractu temporis tamen & in alia materia proposuisse videtur: sane hoc innuere videtur Ulpianus, qui vel exempli causa illa adjecit, ut dubitatio omnis tolleretur, si quando in illa re disputarent litigantes.* Igitur hic non obscuri nominis interpres mecum sentit jurisprudentes quædam vocabula apponere, ut litigantium fubdolis cavillationibus obviam eant; neque alia de gratia in hac lege scriptionis in albo jam obsoletæ secundum Trotzium meminit Ulpianus; ergo etiam ligneas tabellas solummodo τροπικῶς in legibus inveniri multis ostendere audentius periculum facio.

Atque hoc pacto verba §. 3. Institut. lib. 2. tit. 16. de pup. substit. nulla prorsus obscuritate laborant: ubi legere est jureconsultum velle, *Ut testator, ne substitutus pupilli impuberis vitæ insidias struat, vulgarem substitutionem palam faciat, & in primis testamenti partibus ordinare debeat; illam autem substitutionem, per quam si heres exstiterit pupillus,*

pillus, & intra pubertatem deceſſerit, ſubſtitutus vocetur, ſeparatim in inferioribus partibus ſubſcribere debeat, eamque partem proprio lino, propriaque cera conſignet; & in priore parte teſtamenti caveat, ne inferiores tabulæ vivo filio, & adhuc impubere aperiantur. Idipſum clarius habeo ab Cajo Inſtit. lib. 2. tit. 4. §. 2. *Sed pupillaris ſubſtitutio ita ſecreta eſſe debet, ut ad notitiam ſubſtituti pervenire non poſſit, ne vitæ pupilli aliquas ſubſtitutus inſidias moliatur: nam in extrema pagina teſtamenti fieri debet, ut pars illa, in qua ſubſtitutio pupillaris ſcripta eſt, quandiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obſignata permaneat, & prior pars teſtamenti, in quo heres ſcriptus eſt, reſeretur.* Nulla, inquam, verba hæc obſcuritate laborant, ſi ab omnium interpretum opinione pro ceratis tabellis jurantium diſceſſeris, & ad chartas, vel membranas confugeris. Etenim facile vel tiro percipiet, quo pacto nomen ſubſtituti in inferioribus tabulis claudatur & deliteſcat: ſi ſcilicet vel charta, vel membrana ab ima parte, ubi ſubſtitutum ſcribi jubet jureconſultus, complicetur, & lino, & cera conſignetur; etenim ſi tabulas revera ligneas, non autem τροπικῶς hic intelligas, nulluſdum perſpicaciſſimus divinet *inferioris ligni partes*, ſive *extrema tabellæ pagina*, ſive *extrema*, aut *ima cera*, vel *pars* teſtamenti *noviſſima*, quo pacto *lino*, & *ſigillo obſignari*, & *aperiri*, ſive *reſerari* poſſit; præſertim, cum *ima cera* non ſit ultima pagella teſtamenti, ſicuti vult Schultingius pag. 112. in Juriſpr. Antejuſt. ſed valeat *extremitas ceræ*, ſive quod *extremum* eſt, & *imum paginæ*; ſicuti *ſuperior pars*, & *prima cera* eſt *paginæ initium*.

Quæ cum non animadverterit Schultingius, requiri adſerit ſaltem tres, vel quatuor ceratas tabellas pro quavis pupillari ſubſtitutione; quod ipſe ſibi confingit, id lege omnino non jubente. Ceterum ut te omnibus difficultatibus extricem, verba Caji rogaris, ut attentius penſites, qui, niſi tua etiam *obſcurarint lumina ceræ*, inſpicies jureconſultum aperte meminiſſe chartæ, quando inquit, *extrema pagina teſtamenti*; vocem enim *pagina* nunquam reperies dictam de *lignis ceratis*, ſed dumtaxat de membranis, chartis, & papyris; hinc tritum apud poetas *milleſima pagina* de libris. Igitur ſi ſubſtitutionem pupillarem in membranis, vel chartis fuiſſe dicas ſubſignatam lino, ceraque, nihil erit nugatorium, aut obſcurum; contra vero quis neget, quin tres, vel quatuor ceratis tabellis clauſis, & ſimul compreſſis, ceræ deleantur, & commiſceantur, quas fuiſſe deletu facillimas teſtatum reliquere veteres? vide Quintil. & Martial. ſuperiori cap. Ceterum quæcumque plurima de pupillari hac ſubſtitutione ceteri non ſordidi juris interpretes, & de lignea materia hujus teſtamenti, veluti pro focis pugnantes aggeſſere, poſthabenda reor: quos inter Salmaſium ἐξωκότατον adnumeres de mod. uſur. paullo ante fin. cap. XI. & de ſubſcrib. teſtam. cap. 29. pag. 292. qui doctis & laborioſis obſervationibus in hanc legem nimium me ἐκόπωτε confuditque; imo pleraque ſibi adverſan-

versantia veluti oblivioſus comminiſcitur. Demum quænam teſtamenta in lignis incidendi neceſsitas, cum chartæ non tanti conſtarent, & ipſe Cajus in negotio ſcriptorio, dummodo τροπικῶς non loquatur, eas commemoret? vid. lib. 2. tit. 1. de reb. §. 4. *Quod & de chartis, & pergamenis, ſi in alienis ſcribat, licet aureis, vel argenteis litteris, ſimiliter ejus eſt ſcriptura, cujus charta, aut pergamena fuerit.*

VII. Hoc forſitan haud imbecillo fundamento adniſus quiſque ex ſe ipſe bene quam multa juriſprudentum ſcita, & leges, ſi tabularum mentio ſit, percipiet; quas ne longus ſim lubens prætereo. Peccarem profecto, ſi qua in univerſo juris σώματι curſim verſando, ut penitus ſcriptoria ligna ab eo averruncem, animadverti, faſtiditus miſſa faciam. Et quidem Παιδέκτας, utpote cultior, & linguæ Latialis ſanctioris ſectator pro chartis membraniſque adſciſcit & adſcribit plerumque *tabulas*, uti etiam moris eſt aureæ Latinitatis Scriptorum; quos juvat ad orationis ornatum uti verborum immutationibus, quos τρόπους compellabant; contra vero minus ſæpe invenire eſt in Inſtitutionibus ῥῆμα *tabulas*, qui quatuor libri contracti confictique ſunt ad Juſtinianei ævi ingenium. Si autem grande Codicis volumen verſes, per quam rariſsimas locutiones τροπικὰς deprehendes, & pro *teſtamenti tabulis*, minus concinne appoſitum eſt *ſcriptura teſtamenti*, & pro *tabulis dotalibus* releges *dotalia inſtrumenta*; id autem cuique eos titulos legenti patebit. Verum ut quæ adſtruo, ita ſe habere, & non ſecus, comprobem, prompta mihi obverſata ſunt verba apud Imp. Theod. & Valent. init. leg. 21. Cod. de teſtam. ubi hi principes appellant teſtamentum *ſcripturam conſignatam, vel ligatam, vel tantum clauſam involutamque*; Ulpianus vero D. qui teſtam. fac. poſſ. l. 22. §. 7. vocat teſtamentum *tabulas ſignatas, & linteo involutas*; vides jam luce clarius unum omnino idem eſſe *tabulas* ac *ſcripturam*, primamque vocem καταχρηστικῶς, alteram γνησίως adhibitam, ut ex animi mente tandem evellamus nunquam olim ultimas voluntates lignis conſignatas fuiſſe, ſed atramento chartis commendatas.

Jam tandem pigebat me diu commoratum eſſe cum jureconſultis, juvat enim magis cum Græcis verſari, quare manum de tabula; unum ſpondeo me addere, quo chartarum, ac proinde etiam atramenti cauſam vehementius perorem. Reliquum mihi erat Novellas Juſtin. conſtitutiones evolvere, in iiſque nullus reperire ſatis fui ne vice quidem ſimplici ceram, aut tabulas, ſed in Novell. 44. aperte Imperator chartæ uſum tabellionibus perdiu familiarem, & majoribus longe temporis acceptum refert, in eaque *omne genus contractuum* celebrari & inſcribi jubet, non autem in lignis: *Novimus multas falſitates ex talibus chartis oſtenſas & PRIUS, & nunc ..... ſancimus tabelliones in ſola tali quarta* (charta), *quali diximus documenta ſcribere ..... Hæc itaque, quæ de qualitate chartarum a nobis decreta ſunt .... cuſtodiri modis omnibus volumus a tabellionibus, ſive in ipſa feliciſſi-*

Digitized by Google

ciſſima civitate, ubi plurima chartarum abundantia eſt, & ubi plurima contrahentium multitudo, ſive in provinciis, hæc ex Novel. præpoſtero ordine, ſed eorundem verborum exemplo ad rei claritatem contraximus. Nemo autem mihi moroſus ſit intercedatque Juſtiniani ævo ligneam ſcribendi rationem exoleviſſe nova inducta, cum Princeps adſtruat PRIUS, & *nunc* tabellionum incuria, vel dolo in chartis peccatum eſſe: procul dubio Græce πρότερον Latinis auribus ſonat *prioribus temporibus*, cui opponitur νῦν, i. e. *noſtris*; præterquamquod vetuſtiſſima tempeſtate chartas collinere ſollemne erat, ejuſque antiquæ conſuetudinis exemplorum meſſem colligere poſſem, & quædam jam a me prolata ſunt. Imo tempeſtate Paulli J.C. chartas in more fuiſſe vult Anianus, dum verba Paulli ſentent. recept. lib. 5. tit. 25. §. 5. interpretatur; vide Schultingium pag. 517. to. 1. Anianus autem inquit: *Qui chartas qualeſcumque adulteraverit, &c.* Et Ulpianus leg. 7. D. de juriſdict. etiam chartarum meminit: *Si quis id, quod juriſdictionis perpetuæ cauſa, non quod, prout res incidit, in albo, vel in charta, vel in alia materia propoſitum erit, dolo malo corruperit, &c.* Vides igitur etiam longe ante Juſtiniani ævum chirographa, & acta publica in chartis celebrari. Verum de toto chartarum negotio & origine Salmaſius in Hiſt. Aug. to. 2. pag. 706. & ſeqq. & Mazochius in Dipt. Quir. pag. 32. duoviri πολυμαθέστατοι pleraque multa, ſed ſibi adverſantia, namque primus alterum fugerat, congeſſerunt, qui ut conſulantur, optarem.

VIII. Jam tandem in animo mihi erat aggredi ad jureperitorum ceras, cum ſatis ſuperque rem ſcribendi *tabellariam* intra fines ſuos τροπικὰς arctaverim; a quibus ſi non nemo extrahere largiuſque extendere conabitur, næ is operam luſerit, legeſque turbaverit. Quare reſtabat unus Juvenalis locus pro lignea ſcriptione tuenda Cimmeriis tenebris obſcurior, meamque ſententiam ſpecie tenus convellens; quem, cum longa verborum περιόδῳ elevandus eſſet & infirmandus, præterire ſatius rebar; & ſi quis illum objeciſſet, quærerem prius de ejus loci ſententia, quam ne Œdypus quidem ipſe, uti nunc verba jacent, divinaret; parum enim curamus ea, quæ nihil menti exhibent. Conſolatur Juvenalis ſat. 13. 136. Calvinum, cui denegata fuit a debitoribus pecunia depoſita:

Si decies lectis diverſa parte tabellis,
Vana ſupervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipſorum quos littera, gemmaque princeps
Sardonyches, loculis quæ cuſtoditur eburnis.
Te nunc &c.

Piget me ob eundem dolum Græcos etiam male audiviſſe teſte Polyb. in fin. lib. 6. Παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἐὰν τάλαντον μόνον πιστὸν δῶσιν, ἀγράφους ἔχοντες δέκα, καὶ σφραγῖδας τοσαύτας, καὶ μάρτυρας διπλασίους, οὐ δύνανται τηρεῖν τὴν πίστιν. Et quid ſibi velit ſatyricus tenebricoſis illis verbis *chirogra-*

rographa vana ſupervacui ligni, quæ atramentario negotio contra prorſus ſunt, cum ignariſſimis ignoro, ineſtque valdequam inſolens ταυτολογία. dictum erat *vana chirographa*, cur additur ſuperfluum τὸ *ſupervacuum lignum?* quare hi verſus potius inter mendoſiſſimos amandandi, quam ut ligneam ſcriptionem firment. Verum hoc eſſet nodum incidere, non autem ſolvere; quare quidam hortati ſunt, ut quid lucis his verbis afferrem, vel medelam tam male affectis, prolixitatis minime ſollicitus. Itaque ſi reficiam: *Vana ſupervacuis dicunt chirographa ſignis*, nihil emaculatius, & ligna huic loco importuniſſima longe faceſſent: aperit enim ſubdolas, uti moris eſt, forenſium hominum technas Juvenalis, qui vel cautiorem chirographorum fidem in dubium revocant, imo perlecta decies vana traducunt, & ſigna haud impreſſa, vel adulterina clamitant: quanquam publicæ litteræ, i. e. *chirographa*, & *gemma ſardonyches*, ſeu ſignum de γνησιότητι & veritate eos arguant & convincant: igitur ſi ſatyricus in tertio laudatorum verſuum recinat *litteras* pro *chirographis*, & *gemmam*, hæc ipſa *gemma* admonet poetam *ſigna* præpoſuiſſe, de *lignis* nihil omnino cogitantem; quam vocem *ſigna* poſterior manus ab ſuperiore voce *tabellis* illuſa in τὸ *ligni* transfudit; perbene enim ſibi reſpondent *chirographa*, & *litteræ*; nec non *ſignum*, & *gemma*, male autem *gemma*, & *lignum*. Inductum eſt etiam erratum in ſyntaxi ab amanuenſibus, qui non animadvertentes extremas verſuum litteras vitio ætatis facile eradi, inſcripſere *ligni* pro *lignis*, & ne ἀσύντακτον locus eſſet, ab *ſupervacuis* ultimum ſibilum detruncarunt: *Quod in codicibus manuſcriptis non raro accidiſſe nemo, qui eos oculis uſurpaverit, inficias ibit*, teſte juvene doctiſs. Lennepio in Coluthum pag. XI.

Ne quis autem credat mihi ipſi ſolummodo blandiri, quod mentem Juvenalis perſcrutans ad arbitrium, imo licentius quædam στοιχεῖα commutavi, ſors arriſit, ut Suetonius in Nerone c. 17. iiſdem pæne verbis uſus ſit, quæque ego reſtitui, hiſtoricus hic omnino firmavit; inquit enim; *Cautum, ut in teſtamentis primæ duæ ceræ, teſtatorum modo nomine inſcripto, vacuæ ſignaturis oſtenderentur, ac ne quis propria manu legata ſibi ſcriberet:* adnotanda ſunt verba *vacuæ ſignaturis*, quæ apprime reſpondent *ſupervacuis ſignis:* quæ mirum in modum detorquet Salmaſius in hujus Neronianæ legis interpretatione erudite garrulus de modo uſur. pag. 458. in ejuſque verba amice juravit Pitiſcus, & Burmannus. Verum nihil μυσηρῶδες huic conſtitutioni inerit, ſi τὸ μόριον UT in NE vertas; itaque cavet imperator, ne ſolummodo (ita accipias τὸ *modo*) in tabulis teſtamenti nomine inſcripto teſtatoris, ipſæ vacuæ & deſtitutæ ſignaturis, ſeu ſignis producantur; τὸ *ſignaturis* eſt a recto *ſignatura*, vox cuſa ævo Suetonii; Salmaſius confidenter reponit *ſignatoribus*, vel *ſubſignaturis*. Nemo mihi iraſcatur, ſi pro vocula *ut* τὴν *ne* appinxerim, tum quia eadem paullo ante præcedit, atque ἀμέτως inſequitur iterato NE, *ne quis legata &c.* tum quia imperatoris mens clariſſime patet duo jubentis, non ſolum nomen apponi teſtatoris, ſed & imprimi ſigna, quæ cautiores reddunt

Digitized by Google

reddunt teſtamenti tabulas; illaſque pertundendas, & filo conſuendas edicit ibidem Nero ipſe; tantum abeſt, ut vacuas ſignis proferri cenſuerit. Et miror nil hic vidiſſe Burmannum in doctiſſimis adnotat. in Tranquillum, Quæcumque autem in hanc Neronis legem docte aggerit Salmaſius ἀπροσδιόνυτα partim ſunt, partim nimium detorta, & longe arceſſita. Itaque Juvenalis, & Suetonii loca mutuam lucem, in qua cæcutiſſe interpretes ceteroqui doctiſſimos miror, fœnerantur, *lignique* vocem noſtro atramento gravem adverſariam ab poeta non ineleganti fortaſſe non ſine induſtria deterſimus.

Ne quis autem in animum inducat me dolo, vel negligentia Salmaſianam medelam hujus Juvenalis verſus jam περιβοήτου ſubterfugiſſe, quem ſecundum quædam exemplaria reſtituit pag. 115. de ſign. & ſubſcr. teſtam. vir operoſiſſimæ lectionis, ſcil. *Vana ſupervacui dicunt chirographa. lini*, libens reponam cauſæ atramentariæ ſolummodo officere, ſi legatur *ligni*; ceterum ſi quis tanti viri auctoritate minime abducatur, clare dignoſcet, eo quod verſus mendo eſt obnoxius, ſententiam fore longe potiorem, ſi apponamus τὸ *ſignis*, cum ea vox longe melius *gemmæ* reſpondeat, & Suetonius ipſe apprime adſtipuletur, dum ait, *vacuæ ſignaturis tabellæ*; qui Tranquilli locus ſi Salmaſio non latuiſſet, vocem *lini* in τὴν *ſignis* dubio procul vertiſſet, vel quia ab importuna illa *ligni* minus diſtat, quam *lini*.

IX. Demum non me fugit magnum Cujacium obſerv. lib. XI. c. 14. in hoc Ovidii diſticho ob variantes lectiones vexatiſſimo, ep. 9. lib. 2. ex Ponto; *Nec mea ſubjecta convicta eſt gemma tabella Mendacem linis impoſuiſſe notam*, amaſſe potius *lignis*, quam *linis*; quare etiam contra jureconſultorum principem mihi urgendum eſt in re teſtamentaria exputantem etiam lignis ſcriptoriis abuſos Romanos communi opinione abreptum: quam lectionem τὴν *lignis* ſi cum Cujacio tuearis in Ovidio, eandem in Juvenali ſervandam quiſque jure opponat, a cujus ſatyra longe ablegandam multo otio oſtenſum eſt. Verum ne te diu teneam, noſcas vocem hanc *linis* in veteribus membranis legi *chartis*, *tabulis*, *lignis*, *ſignis*, & *ceris*, vid. adnotat. varior. quare, ſi verum ames, repone ſine periculo opportuniorem ῥῆσιν *ceris*; etenim cum de re teſtamentaria loquatur Ovidius, conſtat *gemmam*, ſive ſignum ἰδίως imponi, ſive imprimi *ceris*, non *linis*; e contrario *ceras* ἀμέσως infundi lino, quod & trita res eſt: nihilo apertius tenes ex Paulli recept. ſentent. lib. 5. tit. 25. §. 6. *Tabulæ perforatæ triplici lino conſtringantur, atque impoſitæ ſupra linum ceræ ſigna imprimantur*. Si igitur vel cum Cujacio jures, vel cum iis, qui ab Ovidii verſu *ceras* abraſere, ſatis inficete dicendum eſſet, gemmam ſignatoriam imprimi *lignis*, vel *lino*, cum vel pueri noverint in molli materie imprimendam, præſertim ſi jam melioris notæ membranæ vocem *ceris*, non *linis* præſeferant. Ceterum piget me legiſſe tot doctiſſimos viros, qui hunc Naſonis verſum perdiu ſollicitarunt, oblitos hujus poetæ ætate tabulas teſtamenti linis ligari non dum cœptas, quod

ſub

Digitized by Google

ſub Nerone ſancitum fuiſſe tirones norunt : licet Salmaſius ibid. p. 117. unicum linum antiquitus fuiſſe prædicet. Vides porro probe Juvenali medelam factam ; & turbatam Cujacii mentem facile advertis, cui in Ovidio magis placuerit vox *lignis*, quam *ceris*.

x. Ut autem in claudendis teſtamenti tabulis neceſſitatem lini, atque hanc lectionem in Juvenale tueatur Salmaſius quæſitiſſima more ſuo aggerit; de Homero autem ipſum peſſime mereri mihi dolendum eſt, cujus poetæ ἀνυπερβλήτου cauſam ſuſcipiendam diu maximum pulcherrimumque jusjurandum juravi; inquit enim ibid. p. 116. *Iliacis temporibus*, *quibus nec ſigna*, *nec claves in uſu fuere*, *& ſola vinculorum circumligatione* (tabulæ, vel codex) *claudebantur;* primum quidem errat in Odyſſeæ libro enunciando, vel memoriæ, vel typographorum ἁμαρτήματι · deinde falſo ait Homerica tempeſtate, & Demoſthenea in tabulis ſcriptum eſſe; nam *teſtamenta*, & *teſtari* vocibus διαθήκη, & διατίθεσθαι ſolummodo donabantur ; neque de *vinculis* teſtamenti, aut de lignis, ulla apud bonæ ætatis Græcos Scriptores mentio: vir ſummus Græcum teſtandi morem cum Romano miſcet. Demum imperare mihi non valeo, quin incuſem dormitantem in Homeri ſtudium Salmaſium, qui omnino negat Iliaca tempeſtate claves in uſu fuiſſe, ſed arcas ſolis δεσμοῖς conſtrictas, cum contra divinus vates claves meminerit elaboratiſſimas, & veluti arcanas, Il. ξ. v. 167.

Βῆ δ' ἴμεν εἰς θάλαμον τὸν οἱ φίλος υἱὸς ἔταξεν
Ἡφαίστου, πυκιναὶς δὲ θύρας σανίδεσσιν ἔπηρσε
Κληῖδι κρυπτῇ, τὸνδ' οὐ θεὸς ἄλλος ἀνῷγεν.

Et Od. φ. v. 6. canit clavim Penelopes fuiſſe inter cetera ex principe metallo, καλὴν, ἐλαμπέα χρυσείην, & ejus *manubrium ex ebore*, κώπη δ' ἐλέφαντος. Ceterum clavium creberrima mentio eſt in divino vate. Fortaſſe Euſtathius Salmaſio impoſuit, qui utpote Οἰκουμενικώτατος, facile ſibi fidem fœneratur; ille quidem fidentiſſime ait, ἡ κλεὶς νεωτέρων, καὶ Λακώνων ἄρημα · in his verbis miror Archiepiſcopi ſtuporem, qui quanquam æternis commentariis Homerum mactaſſet, ignorat Laconas fuiſſe veterrimos Græcorum, Helenamque Laconicam Iliacæ calamitatis in cauſa fuiſſe. Sed æquius cum Plinio agendum, qui lib. 30. cap. 1. teſtatum idipſum reliquit: *Iliacis temporibus ..... conditas arcis veſtes*, *& vaſa aurea argenteaque*, *& ea colligata nodo*, *non annuli nota;* etenim non eo, quo Euſtathius in Homerum ſtudio arſerat; optarem autem ut tanti vatis auctoritate melius uſi eſſent veteres, nuperique Scriptores, quo φιλομηροτέρως ſe probarent.

Ceterum quis ferat liberiorem ac pronam Plinii licentiam ajentis veterrimos Græcos non noſſe annulos, cum Laertius Solonis legem nobis ſervarit caventis, ne liceret annulario retinere jam venditi annuli ſigillum? Δακτυλιογλύφῳ μὴ ἐξεῖναι σφραγῖδα φυλάττειν, τῷ πραχθέντος δακτυλίου · itaque ſi ars τῆς δακτυλογλύπτου Solone antiquior audit, aut ipſa Home-

Digitized by Google

Homero ὁμόχρονος est, aut parum diu posterior. Ut incusem etiam Salmasium necesse mihi est, qui æque ac Plinius, uti paullo ante notatum est, sigilla Homerica ætate incisa esse facile negat; cum hic Laertii locus pro vetustate σφραγίδων prostet luculentissimus. Hæc de Juvenalis versu tenebricoso prolixiora, quam quæ cogitaveram. Animi sane angor Mazochium nostrum, qui isthæc Juvenalis verba in Quir. Dipt. meminit pag. 12. not. 17. nihil nodi in gemina voce *supervacui ligni* offendisse, quem a me fortasse non bene dolatum ipse totius rei litterariæ τέκτων peritissimus elaboratius exasciasset.

XI. Pretium operæ nunc est, ut de cera jureconsultorum pauca adnectam, uti superne receperam, meamque fidem liberem; sed ab eo labore temperare possem, cum aperte commonstratum sit tabularum nomen in juris σώμασι accipi καταχρηστικῶς, neque ligneas prorsus fuisse; ita etiamsi ceras legum conditores forte meminerint, τροπικῇ appellatione abusos fuisse nemo neget; tantique fatendum valere vocem *ceram* apud eosdem, quanti *tabulam*, *chartam*, vel *membranam*; quis enim in animi mentem induxerit res maximi momenti, uti testamenta, idque genus chirographa ceris deletu facillimis commendasse veteres, præsertim quando jam chartæ, papyri, membranæque ubique prostarent? Cum igitur omnem Justinianeam collectionem invisissem, reperi vix semel, & iterum ceræ inibi vestigium esse, quare falsus est Trotzius pag. 82. in Hugonem de prima scrib. orig. egregiæ notæ jureconsultus, qui nimia παῤῥησίᾳ adstruit legum conditores *tabulas ceraſque plerumque conjungere*. Primus locus est Ulpiani leg. 59. de legat. 3. ubi *ceratos codicillos* legimus, quem paullo ante pag. 112. probe excussimus: alter est notior Marciani l. 1. §. 4. D. de leg. Cornel. de falsi. quem locum Brissonius de verb. signif. voce *cera*, Schultingius in jurisprud. antiqu. pag. 629. & Bynkershoekius observat. lib. 3. c. 21. pro ceris scriptoriis accipiunt: verba legis sunt: *Qui in rationibus, tabulis, ceriſve, vel aliqua re ſane conſignatione falſum fecerint, vel rem amoverint, perinde ex his cauſis, atque ſi erant falſarii puniuntur:* (illud *ſane* Gothofredus immutavit in *ſive:*) vertit etiam vocem *ceriſque* in *ceteriſve*, illamque fatigat tanquam otiosam; sed quid sibi velit hæc inconcinna περιττολογία *in ceteris, vel aliqua re* (corrige *aliave re*, ut in lege mox apponenda,) sane quam ignoro; itaque omnia miscet Gothofredus.

Verum, quæ exputo de his verbis mire pravis, aperiam, sed timeo, ut huic conjectioni sit locus; *ceræ* hic sunt longe quid diversum a tabulis, & Marcianus pro *signis* illas apposuit; vetus quis interpres margini adscripserat ad ejus vocabuli lucem hæc bina verba *ſive conſignatione*, posterior amanuensis rure inficetior, (quod peccatum fuisse identidem conquerimur,) ἀκατηλλήλως, scil. loco non suo illa huic legi intermiscuit: quæ ambo si eradamus, sententia constabit; dummodo *cera* pro signo, sive consignatione accipias: itaque aut nihil, aut saltem parum

Digitized by Google

dubites, quin Marcianus satis concinne clareque scripserat: *Qui in rationibus, tabulis, cerisve, vel alia re falsum fecerint, vel rem amoverint, perinde ex his causis, atque si erant falsarii, puniuntur*, qua sententia nihil luculentius; si autem immiscas binas voces, *sane* (vel *sive*) *consignatione*, quas ex margine indoctus librarius κειμένῳ, earum locum nihil advertens, adscripsit, omnia turbata & tenebricosa vides. Quod autem ceræ *signum* audiant, testis locuples Justinianus institut. lib. 2. tit. 16. §. 3. *Eamque partem proprio lino propriaque cera consignare*; & tabulas signis muniri pro Quintio Cic. adstruit: *Tabulæ maxime signis hominum nobilium consignantur:* frequentius autem apud poetas, Ovid. lib. 2. ex Pont. el. 9. *Non mea subjecta convicta est gemma tabella Mendacem ceris imposuisse notam*; verum hoc tritum. Otium tereret, si quis, ut in superiori lege tueatur verba illa νοθείας plena, *sive consignatione*, mihi objiceret Paulli legem 16. §. 2. eod. tit. quæ fere iisdem verbis concepta est: *Sed & ceteros, qui in rationibus, tabulis, litteris publicis, aliave qua re sine consignatione falsum fecerunt ..... eadem pœna* (falsi) *affici solere:* (hic etiam Gothofredo aqua hæsit, qui suspicatur particulam *sine* retinendam;) nam reponam, nisi eadem verba *sine*, vel *sive consignatione* hinc etiam abstergantur ex superiori lege surrepta, & huc importune ingesta, primo σφάλματι alterum trahente, nihil sani ex verbis Paulli elicimus, imo omnino sunt rationi absona; cum notum sit litteras publicas sine signis, aut subscriptione, (utrunque enim notat vox *consignatio*, uti docte ostendit Salmasius de mod. usur. p. 397. atque in volumine de subsignand. testam. quas binas leges me piget virum summum non illustrasse,) publicas non vocitari, proindeque, neque falsas, neque veras traduci posse; tamque ratum ac sollemne erat pacta conventa subsignare, ut Seneca lib. 3. de benefic. c. 15. ira excandescat: *O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confessionem! annulis nostris plus, quam animis creditur, &c.* Igitur frustra est Gothofredus, cum τὸ μόνον *sine* retinendum clamitet: & miror tot doctissimos ævi nostri jure consultissimos adeo in harum legum ambagibus se contorsisse. Ceterum si in prima lege *ceras* legas, ne dicas cum Bynkershoekio, & Schultingio hinc colligi veteres scripsisse in *ceris*, cum *ceræ* hic sint *signa*, uti recte interpretatus est quicunque mundo illeverat, *sive consignatione*, inde importune in legem ipsam hæ binæ ῥήσεις immissæ sunt.

XII. Præterea scio plenam esse tenebrarum formulam nuncupationis, quam Ulpianus tit. 20. regular. §. 9. nobis servatam voluit: *Hæc, uti his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque, vos Quirites, testimonium præbitote*, a qua interpretes fere omnes cito se expediunt ajentes satis sibi esse, si libere pronuncient veteres in ceris scriptitasse: sed ætatem ceratarum tabularum certam firmare nulla arte valent. Heineccius antiq. Rom. lib. 2. tit. x. §. 12. Bynkershoekium, & Schultingium vades proferens eodem recidit, cum ait: *Utrunque jungebatur captio-*

Digitized by Google

ptionis vitandæ ergo, proprie enim non inſcribebatur tabulis, ſed ceris. Trotzius in Hugonem pag.82. *tabulas* hic, ſcripturam ſtudioſius elaboratam intelligit; *ceras*, pugillares, in quos tumultuarie omnia conjiciebantur; ſuam hanc hariolationem, ut probet ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα importat, interque cetera Juvenalis locum, *Nonne libet medio ceras implere capaces Quadrivio* ſat. 1. v. 63. blateratque ſatyricum inibi teſtamentorum meminiſſe; cum contra *cerarum* nomine ſatyrarum ſuarum grande volumen adverſus licentiam morum tempeſtivam medelam eſſe inclamet; ea in re oſcitanti Trotzio impoſuit Briſſonius de verb. ſignif. in voce *cera*, qui etiam pro teſtamenti tabulis hunc Juvenalis verſum laudat; miſeret me tantorum virorum, qui exſcriptoribus ſubitam præſtant fidem, poſthabitis auctoribus ipſis, ita errores in ævum durant. Demum Salmaſius de ſubſcrib. & ſignan. teſtam. pag. 209. has ceras exteriores illas, quibus ſigna imprimebantur, accipiendas ait, cum jam tabularum appellatio præceſſerit: hic arguit Salmaſium Heineccius, tanquam ſi ipſe meliora cudiſſet; verum in Salmaſio culpa reſidet, eo quod, ut ſententiæ ſuæ fucum crearet, verba nuncupationis intorſit, & pro *ceriſve*, appinxit *ceriſque*, & διάζωξιν, & σύνδεσιν confudit: de vi μορίου *vel* vid. Mazoch. in Aſcia p. 156.

Si autem his legum anteſignanis mihi fas ſit intercedere, ῥήσεις illas *tabulis ceriſve* haud dubie ſumi ajo apud veteres jureconſultos κατ' ἐπαναδίπλωσιν, ita, ut ambo hæc vocabula unam eamdemque menti rem ingerant; licet *cera* apud melioris ætatis Scriptores plerumque ſint ſigilla, conſtat chartas ſæpe etiam adnotare, vide quæ paullo ante dixi in Juvenal. qui ſatyrarum librum *capaces ceras* vocat: quare in Marciani lege *tabulas ceraſve corruperit*, revera *ceræ* ſunt *ſigna*; contra in hac nuncupationis formula nil prohibet, quominus *tabulæ ceræve* unum idemque ſit, & τροπικῶς pro teſtamenti ſcripti charta, vel membrana accipiamus. Et ut rem omnino ſtabiliam, advertas rogo ſatyras ſuas Juvenalem dicere *ceras*, quæ ſatyræ certiſſime chartis illitæ fuere; cum e contrario Horatius ſuas ſincero *chartarum* donet nomine, qui ſperat fore, ut *tempus reddat meliores*, *ut vina*, epiſt. lib. 1. 2. v. 35. vides igitur binos ſatyricorum libros ab altero *ceras*, ab altero *chartas* vocitatos, quo non mireris, ſi aliquando chartas jure periti *ceras* dixerint. Præterea ſcias nihil dubii eſſe, quin *ceræ* peræque ſint, ac *tabulæ*, uti in hac Ulpiani nuncupatione; etenim quas non uni Scriptores dixere *Cærites tabulas*, vid. Gell. lib. 16. c. 13. & Aſcon. in Divinat. Horat. tamen ep. 6. lib. 1. v. 62. *Cæritem ceram* vocat. Quæ nam fuerint hæ *Cærites tabulæ*, ſi noſſe aveas vide Salmut in Pancirol. de reb. deperd. & invent. Ne autem a re teſtamentaria diſcedam, quas jureconſulti vocant *ſupremas tabulas*, dictas reperimus etiam *ſupremas* & *ultimas ceras*: atque nunc mens opportune ſuggerit verſus Martialis: *Nil Aniano præter aridam veſtem moriens reliquit ultimis pater ceris.* Et ſane nullus unquam poſſum in animum inducere, ut tanti momenti res, ſcil. ultimas voluntates ceris ſexcentis

Digitized by Google

dolis obnoxiis Romanos concredidiſſe : quare nomen cerarum pro chartis Romana *mundities non dum pepulit , ſed in longum ævum manſerunt veſtigia ruris* , Hor. ep. lib. 2. 1. v. 160. & caſcarum gentium reliquiæ; atque in eadem τροπικῇ notione habendæ , ac ſtili , limæ , tabularum vocabula. Et ſane , niſi ſcriptura in unis chartis apud Romanos celebrata fuiſſet , teſtatum non reliquiſſet Vopiſcus de Firmo tyranno hiſt. Aug. p. 695. *Tantum habuiſſe de chartis , ut publice diceret exercitum ſe alere poſſe papyro , & glutino* . Quin ea chartarum vis etiam reip. tempeſtate Romæ proſtabat , ut iis piper , & ſcombros advolverent , imo ealdem vilioribus rebus, turpique uſui deſtinarent, uti notum eſt de chartis Voluſianis , quas belle, ut ſui moris eſt, deridet Catullus .

Denique pæne oblitus eram commonefacere Livium in ingenti hiſtoriarum opere ſemel dumtaxat meminiſſe locutionis *tabularum ceræve* , ſcil.dum ei ſermo eſt de quibuſdam legibus Romanos inter Albanoſque ſancitis anno V. C. ſecundo circiter & octogeſimo Horatiorum, & Curiatiorum tempore , quando nempe vix a ſtiva & rure ad arma tractanda Romani deſcenderant ; quare cum Livius ævo ſuo ſcita & leges in chartis ſcribi, & τροπικὰς locutiones *tabularum* ubique celebrari cerneret , *tabulas ceramque* ad primum Romanorum fœdus , quos adhuc ruſticitatis plenos noverant, rejecit. Neque ambigas hæc mente concoxiſſe Livium , dum ea de Romanis Albaniſque ſcriberet, cum etiam clare ab Horat. teneas rudes, & antiquiſsimos Romanorum ſapientes leges in tabulis incidiſſe, de art. v. 396. & 400. *Fuit hæc ſapientia quondam. . . . leges incidere ligno.* Quod etiamſi verum dicas, quæ de caſca primaque Romanorum gente leges in ligno, ceraque ſcribente, biga hæc Scriptorum adſtruit, nihil mihi curanda ſunt , qui dumtaxat, & reipub. cultiora tempora , & ſub imperatoribus γραφικὸν morem teſtamentorum, & ſyngrapharum perſequi adnitor. Apponam hic laudatum Livii locum, quo eum conſulendi labore te levem, lib. 1. cap. 24. p. 104. edit. Drakenborchii. „ Audi Jupiter , audi „ paterpatrate populi Albani , audi tu populus Albanus: ut illa palam „ prima poſtrema ex illis tabulis, cerave recitata ſunt ſine dolo malo, „ utique ea hic hodie rectiſsime intellecta ſunt : illis legibus populus Rom. „ prior non deficiat: ſi prior defexit publico conſilio, dolo malo , tum „ me Dieſpiter populum Rom. ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie fe- „ riam : tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque. “

XIII. Ex his omnibus, quæ de tabulis, ceriſque congeſſi, quid ſit *prima*, atque *ima cera* in teſtamentis, quæ verba licet in omni , quanta eſt Juſtinianea legum συλλογὴ, reperire non ſit, apud reliquos Scriptores pervagatiſſima ſunt, facile quiſque internoſcet , ſi ab animo deponat , quod ubique interpretum legitur : *teſtamenta fere in ceris ſcripta eſſe , quæ ligneis tabulis infundebantur* , Heinec. Ant. Rom. lib. 2. tit. 10. & cavendum legentium *languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ* , Mart. lib. 14. 5. Itaque ſi invecta cerarum τροπικῇ notione, & non quidem vocem,

ſed

Digitized by Google

ſed rem ipſam penſitemus, quidquid *prima cera*, atque *ima*, ſeu *extrema* ab veteribus Scriptoribus vocatur, juxta valere reperiemus, ac *prima, & ſecunda teſtamenti pars; ſive ſuperior, & inferior; ſive prima, ac noviſſima;* aut *heredes primi, & ſubſtituti* apud jureconſultos; vide Salmaſium exempla mixtim conglutinantem de ſubſcrib. teſtam. p. 293. ſed ipſe in ceratas tabellas jurat; verum has ambas teſtamenti partes ab legum latoribus nunquam *ceras* vocitatas deprehendi; addo & Caji auctoritatem, qui lib. 2. tit. 4. §. 3. ſecundam teſtamenti partem *extremam paginam* compellat, quam paginam neque de ligneis tabulis, neque de ceris dictam unquam reperi, ſed ſolummodo de chartis, aut de membranis; in eoque mihi adſentiri videtur Salmaſius de ſubſcrib. teſtam. pag. 293. Atque adeo verum eſt cera τροπικῶς Latinos abuti, ut hereditatem ipſam noverim ab Juvenale dictam etiam *ceram* ſat. 4. v. 18. *Conſilium laudo artificis, qui munere tanto Præcipuam in tabulis ceram ſenis abſtulit orbi;* ubi vides ſatyricum laudantem quemdam, qui muneribus miſſis majorem orbi ſenis hereditatis partem captaverat, quam ἁπλῶς *ceram* appellat. Itaque, ut omnia ſint σύμφωνα, dicendum Scriptores illos ad orationis ornatum & lucem translata atque τροπικῇ voce *cera* uti, quam jureconſulti defugere, qui res potius curant, quam verba. Eccui mirum non ſit hos nunquam *ſtili* meminiſſe? contra, ſi teſtamentum ceris revera commendaſſent veteres, Pandectes id vocis ad nauſeam uſque iteraſſet.

Scio te haud moræ patientiſſimum eſſe, an ipſe πολυθρύλητον ſenatus conſultum, quod contraxit Paullus ſent. recept. lib. 5. tit. 25. §. 6. enodem, ubi cultiores prudentes juris, niſi ceratas teſtamenti tabulas fuiſſe dicamus, nullam huic legi, quam Nero ſanxerat, ſententiam ineſſe prædicant: *Ampliſsimus ordo decrevit eas tabulas, quæ publici, vel privati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus, ita ſignari, ut in ſumma marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino conſtringantur; atque impoſitum* (al. *impoſitæ*) *ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Schultingius hic ſtatim tranſverſus actus eſt, & poſtrema verba: *atque impoſitæ ſupra linum ceræ, &c.* quæ certe, uti jacent, ſatis αἰνιγματώδη ſunt, *ſtare non poſſe*, ait, *cum in exteriori parte* (teſtamenti) *ſigna quidem apparere debeant, non etiam ſcriptura*; vides Schultingium in animum induxiſſe vocem *exteriores* τῷ *ſcripturæ* cohærere. Magnus Salmaſius adeo horridum atque ἀδιάβατον hunc Paulli locum credidit, ut contra Heraldum de ſubſcr. teſtam. pag. 156. hæc effuderit: *Quod ſi potes mihi explicare, tunc faciam, ut pro juriſconſulto tanto habearis, quantus haberi vis.* Verum, quoniam ceratæ teſtamenti ſcripturæ opinio, quam a pueris imbiberat, atque ab aliis etiam inaudiverat, tanti viri mentem turbaverat, ut in hiſce verbis, quo ceratum negotium veſtigaret, ea vel ad arbitrium immutarit, vel mutilarit: quare de mod. uſur. cap. XI. ita reſtituit, *ut exterior cera fidem interiori ſervet.*

Inde

Digitized by Google

Inde in laudata pag. 156. de subscr. test. veluti si hujus mutationis pœnituisset, audentior reponit: *Impositæ supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores fidem interioribus servent;* & utrobique vides ῥῆπν *scripturæ* angue pejorem aufugisse, veluti ceratis suis tabellis infestissimam: quam etiam vitavit ibid. Schultingius, cujus emendationem prætereundam reor, utpote quæ cum Salmasianis conveniat; reliquos interpretes, ne cures, qui satis inficetiora procuderunt.

Verum nescio, cur tantas turbas ciere adlaborarint, & isthæc verba tanto studio sollicitarint, quæ plana sunt, & sibi apprime constantia, dummodo unam voculam, quæ solita librariorum noxa exciderat, γραφικῶν cerarum tandem oblitus restituas. Rescribe igitur: *Ut exteriores RES scripturæ fidem interiori servent;* res autem scripti testamenti exteriores, quas præmiserat Paullus, quaternæ sunt *foramina, linum, ceræ, signa*, quibuscum sane interioris scripturæ fidem servandam lex jubet. Constat autem amanuenses syllabas repetitas facile omisisse, (cujus rei causa nostris typographis sæpe irascimur;) hinc cum vox *exteriores* cadat in syllabam *res*, alteram ῥῆπν *res*, tanquam supervacuam atque redundantem librarii plerumque indoctissimi posthabuere. Id genus hominum peccata, in antiquis membranis tum Græcis, tum Latinis deprehendes; si sexcenta exempla postules, præsto est D'Orvillius, in Charitone p. 220. 212. ubi totus est vir Græce doctissimus in converrendis amanuensium erratis repetitam syllabam omittentium, cujus diligentiæ maxime nunc gratulandum mihi est.

Neque credas me destitui exemplis jurisconsultorum, qui, quæ antea nominibus suis dixerant, repetunt exinde γενικῷ nomine *rerum;* & ne ex Pandecte locos arripiam, ubi plurimos invenire est, unum, missis ceteris, quos collegeram, ab eodem Paullo apponam opportunum satis ibid. lib. 2. tit. 31. §. 25. *Sive segetes per furtum, sive quælibet arbores cæsæ sint, in duplum ejus rei nomine reus convenitur:* vides Paullum, quæ vocat *segetes*, & *arbores*, mox *res* dicit; sed hoc aliis est etiam Scriptoribus commune. Reor hujus legis nodum & ænigma me tandem solvisse, quæ tamdiu & misere torsit interpretes, qui eam enormi commentario onerarunt; & mirari non desinam viros in πτλαιογραφίᾳ apprime versatos satis tritum amanuensium σφάλμα non vidisse. Verum mea interest Paullum nihil in hoc S. C. ceram scriptoriam meminisse, sed dumtaxat signatoriam, quo sententiam meam magis firmem, & contractus vel publicos, vel privatos; & testamenta in cera nunquam condita, transversosque abactos Salmasium, Schultingium ceterosque prudentes juris, qui hic exteriorem, & interiorem ceram inviserunt, imo potius de suo apposuerunt, & vocem *scripturæ* mihi carissimam audacissime expunxerunt.

XV. Demum non me latet Tullium binis, aut ternis dumtaxat locis orationum ceras meminisse, verum maximi oratoris auctoritas tantum abest, ut sollemnem ævo suo atramentarium scribendi morem elevet, ut fortius

tuea-

Digitized by Google

tueatur. Etenim si in Verrem lib. 1. cap. 36. hereditatem pupilli Malleoli inhiantem excandescat, detegatque fraudem Verris, eo quod nomen infimum deleverit a syngrapha, sane, dum ceræ meminit, etiam τροπικῶς locutum certo dicas: *Multis efflagitatus aliquando dixit H-S decies; deinde in codicis extrema cera nomen infimum in flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono servo H-S sexcenta millia accepta pupillo Malleolo retulit, quomodo ex decies H-S sexcenta sint facta.... cur id nomen infimum in litura sit vos existimabitis;* primum advertas rogo Tullium loqui de codice, non de tabella, sive codicillis; codices, sive libros ceratos nunquam reperies: deinde non bene sibi respondent *cera*, & *litura*, contra vero conveniunt cera, & rasura, hinc Ovid. 1. Amor. el. 11. v. 19. *Nec mora, perlectis rescribat multa jubeto, Odi cum late splendida cera vacat. Comprimat ordinibus versus, oculosque moretur Margine in extremo littera rasa meos:* & Martialis lib. 10. 2. *Nota leges quædam, sed lima rasa recenti:* vides vocem *rasa* dici κυρίως de *cera*, & de *lima*; e contrario chartis illinimus: & lituræ ad chartas, & membranas pertinent. Igitur si Cicero de codicis flagitiosa litura in extrema cera facta a Verre conqueritur, ad orationis ornamentum, & τρόπον pro ima charta, *extrema cera* dixit; uti Martialis eodem epigr. contrario τρόπῳ *chartam* dicit *lima rasam* vers. 3. & 11. Recoque etiam, quæ de jureconsultorum cera nuper dicta sunt. Neque te abducant adnotationes summorum virorum in hunc Ciceronis locum, qui universi pro scriptione cerata jurant.

Verum improbo negotio laborat alter Cic. locus in Verrem lib. 3. c. 78. pro cujus sententia adsequenda ad scriptoriam ceram confugiunt doctissimi virorum suis commentariis, ita ut piaculum rati sint ceræ non adhærescere, atque immergi. Porro Verres indixerat pro scribis suis non unam nummariam deductionem, interque eas de cerario: *Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, pro spectatione, & collybo: deinde nescio quo cerario. Hæc omnia, judices, non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum sunt vocabula. Nam collybus quinam esse potest, cum utantur omnes uno genere nummorum? cerarium vero quid? quomodo ad pecuniam publicam allatum est? &c.* Hoc igitur cerarium Verrinum, quasi juramento sibi præstito universi interpretes ajunt fuisse mercedem quamdam scribarum pro cera, qua tabellæ γραφικαὶ illinebantur: hinc colligunt morem scriptitandi in ceris sollemnem fuisse ac tritum. Verum si quid sapio, nullusdum mihi prohibere poterit, quominus hoc novum, & Ciceroni antea inauditum vectigal cerarium non pro scriptoria, sed pro cera *signatoria* a Verre indictum esse interpreter. Nam vel tiro novit publicas tabulas, & syngraphas sine signis in cera immissis nihili valuisse, imo ne ostendi quidem potuisse: exempla pag. 122. protulimus, quibus firmatum est ceras ἁπλῶς accipi pro signis. Quare Verres novo improbissimi furti vocabulo tributum cerarium, ideſt pro signis in cera, ut syngraphæ αὐθεντικῶς haberen-

berentur ſolvendum juſſit . Et dolendum etiam hac tempeſtate tum in ſacris, tum in profanis chirographis cerarium vectigal ſolvi , a quo longe abhorrendum eſſet , cum Verrem Tullius illius auctorem maledictis figat & mactet. Vides igitur novam vocabuli *cerarii* notionem , & fortaſſe veram, quo jam dudum contra veterum ſcribendi atramentarium morem doctiſſimi interpretes importune abuſi ſunt . Demum advertas pro re nata *ceratium*, κηρώτιον, longe quid diverſum ab *cerario* apud juriſconſultos , vid. Briſſon. de verb. ſignif.

XIV. His omnibus animadverſis, quæ jureconſultis doctioribus, & non ſeris ſtudiorum probatum iri ſpes mihi eſt , explanandum ſervavi marmor , quod fortuito amicorum doctiſſimi conſiderandum obtulere , quique inaudiverant me a teſtamentorum ſcriptione ligna , & ceras averruncaſſe, meas vero lucubrationes, & multarum rationum momenta non dum legerant , ut elegantiſſimi marmoris auctoritate & pondere inanem ſen-



tentiam meam traducerent ac everterent, ovationemque canerent ante bellum. Saxum ipſum appono graphice & vera fide expreſſum, quod primum incidit pag. 203. in libello inſcripto, *Vetuſtalia*, ſeu *vetuſtatis admiranda* Franc. Ptolemæus Senenſis in Rom. Gymnaſio pandect. interpres Romæ edito 1670. & ſuperiori anno doctiſs. Fuginius affabre delineandum curavit in fronte curatiſſimæ diatribæ de teſtamentis, quam an typis dederit, ignoro. Itaque ab omnibus conjuratum eſt in hoc elegantiſsimo ſilice opere anaglypti-

glyptico teſtamenti factionem expreſſam eſſe, præſertim cum viderint ſenem illum, quem tabellionem rati ſunt, ceratam tabulam ſtilo, intentoque ſtudio exarantem. Quare ajebant aliquanto importunius, ſi fides inſit marmoribus, queis ſumma ſemper data eſt, ex eo monumento, quod auro ſibi jureconſulti carius exputant, penitus elevari, atque obtundi ſententiam atramentariæ teſtamentorum ſcriptionis, ceratæ e contrario lapidum momentis firmari.

Haud negem initio, Ptolemæi, Fuginii, & tot amicorum juriſprudentum auctoritate, quorum pleniſsimo numero Neapolitanum forum exundat atque exuberat, parum animi mente hæſiſſe; præter quam quod contra lapidum litteratorum vim mihi urgendum eſſet. Verum domi anaglyptum paullo attentius conſideranti facile occurrit longe aliud a teſtamento ſculptorem cogitaſſe; quod, quanto majorem mihi ipſe brevitatem imperare poſſum, oſtendam; nunquam enim in animum inducere potis eram, ut marmor tabellionem nobis offerret, quandō ab condendis teſtamentis ceras, & ſtilos multa rationum, atque exemplorum vi longe ablegaveram.

Porro neque ad teſtandi morem tempeſtate reip. neque ſub primis impp. marmor ſcalptum dicas, cum ſollemnitates a legibus ſcitæ deſint, præſertim teſtium numerus, quæ vel tironibus nota ſunt: ſcio impp. Theodoſium, & Valentinianum in l. *Hac conſultiſſima* §. *ex imperfecto* 21. Cod. de teſtam. edixiſſe teſtamentum inter liberos valere etiamſi careat teſtium ſubſcriptione, & ſignis, dummodo bene conſtet teſtantis voluntas, vid. Cujac. in novell. 107. de teſtam. factis inter liberos, & in lib. 6. reſponſ. Papinian. & Gothofredum hic; verum id etiam notum eſt, & tritum; neque propterea lapidis ſcalpturam ad teſtantem inter liberos referas; licet in ea teſtamenti ſpecie teſtes deſiderari poſſint, nam horum Cæſarum ætas longe poſterior eſt noſtro marmore, quippe quod ſumma elegantia pollet, & Trajani, vel finitimi Cæſaris ævo inciſum eſt, ut cuique, qui indolem temporum in ea arte callet, ſaxum intuenti patet.

Præterea ſilex ipſe minime præſeferre poteſt teſtamenti factionem, cum videas bovis ſacrificium, & præſertim ſenem ægrotum cum uxore colloquentem, non vero cum tabellione, vel ſervo ſcribente, quem intueri oportuiſſet, ſi voluntatem ultimam, & hereditatem ei commendaret. Et me fortius urget ridiculum videri, ſi quis jubeat inſculpi marmoribus rem teſtamentariam, quam neque plebs, neque ordo curaret, & nihil novi oculis objiceret. Quare quid ſanius in animo habuit, qui ſculpturam edixerat: & quiſque mecum poſthac mirabitur, quo pacto in Ptolemæi, Fuginii, aliorumque amicorum mentem cadere potuiſſet teſtamenti factionem. Adſentiendum mihi igitur illum, qui in hoc marmore tabella, & ſtilo utitur, voluntatem ultimam minime ſcribere, atque integram meam ſententiam eſse, qui a publicis chirographis ea inſtrumenta primus averti, & atramento, ſeu communi ſcribendi more condita oſtendere adniſus ſum.

Digitized by Google

XVII. Scio nunc penſi mei eſſe, quid nam anaglyptum occulat, aperire, cum parum laudis ſit aliorum ſenſa evertere, niſi noſtra prodamus; neque mei moris eſt, uti quorundam, qui facile aliena carpunt, ſua nunquam edunt. Ajo ſenem illum ſcriptorem, medicum eſse, qui pro ægroto in cerata tabella medicamenta præſcribit: cui interpretationi jam vides omnia apprime conſpirare, ſcil. cognatorum, filii, & uxoris luctum, & bovis ſacrificium Deæ Hygiæ, ſanitatis præſidi ac tutelæ, ſcribentiſque ſenis τοποθεσίαν · exſculptumque marmor dicas pro votiva tabula reciperatæ valetudinis: quæ cuncta oſtendere ſingillatim aggredior:

Ταπαθεσία, ſive locus, in quo ſenex ſcriptor reſidet, medentem dubio procul nobis offert; e regione enim, non vero ad latus ægrotantis medico aſſidendum eſſe norunt omnes ex Celſi lib. 3. cap. 6. pag. 130. edit. Rotterodami 1750. *Ob quam cauſam medicus neque in tenebris, neque a capite ægri reſidere: ſed illuſtriori loco adverſus eum, ut omnes motus ex vultu quoque cubantis perſpiciat;* cum igitur in eo poſitu cernas in marmore ſenem ſcribentem, haud ſcio, an quis, niſi pertinaciſſimus, aut cui morbo mens caleat, medentem eſſe negaverit.

Quod veterum medicorum ſedendi ſcitum ab Hippocrate, ut moris eſt, Celſus exſcripſerat, quanquam in illius, quæ reliqua ſunt, operibus nunc minime legas; id autem præceptum, quin in Hippocratis libris exſtiterit, nullus ambigo; etenim in cap. περὶ διαχημοσύνης n. IX. medico inculcat γενικῶς, ut cum primis καθέδρης, *ſeſſionis*, meminerit; modum autem, ab ægroti ſcil. regione, ab ipſo Celſo ejus diſcipulo novimus. Neque mihi contumax ſis in eo κειμένῳ medicorum principem uti etiam voce προσεδρίη, quæ a bonis, maliſque interpretibus intelligitur *ad ægri latus ſeſſio*, quare Hippocrates Celſo adverſarius exputatur. Verum accipe verba, indeque utrumque Græcum, Latialemque medicum συμφώνως fateberis: Ἐν δὲ εἰσόδῳ μεμνῆσθαι καθέδρης, καταστολῆς, περιστολῆς, ἀνακυκλώσιος, βραχυλογίης, ἀταραντοποιησίης, προσεδρίης, ἐπιμελείης, ἀντιλέξιος πρὸς τὰ ἀπαντώμενα, πρὸς τὸς ὄχλος ἐπιγινομένους, διαθίης τ' ἐν ἑαυτῷ, πρὸς τὸς θορύβους ἐπιπλήξιος, πρὸς τὰς ὑπουργίας ἑτοιμασίης, quæ ita verſa legere eſt in edit. Foeſii 1657. pag. 24. *In egreſſu* (corr. *ingreſſu*) *autem te meminiſſe convenit ſeſſionis, demiſſi habitus, veſtitus, gravitatis, breviloquentiæ, ac ne quid perturbato animo facias, ut ægro aſſideas: in omnibus diligentiam adhibeas, ad ea, quæ objiciuntur reſpondeas, & ad omnes perturbationes animi conſtantiam adferas, tumultus verbis caſtiges, & ad omnia ſubminiſtranda te promptum exhibeas.* Vanderlindenii interpretatio pag. 57. to. 1. parum ab hac Foeſii diſtat. Et ſane in primis verbis μεμνῆσθαι καθέδρης ſedendi modum, ſcil. adverſus ægrum edicit Hippocrates; at longe aliter accipiendum τὸ μεμνῆσθαι προσεδρίης, ſcil. *ſollicitæ cogitationis tum officii, tum periculi*, ut Cic. verbis utar lib. 7. ad famil. ep. 13. hinc merito vocem προσεδρίη conjungit cum ἐπιμελείη · non autem accipias de corporis poſitu, etenim ταυτολόγος eſſet Hippocrates, qui

antea

Digitized by Google

antea jam de seſſione medicum monuerat: igitur *animi perſeverantiam* requirit, quam appellat ſollemni voce, & medicorum propria προσεδρίλω. Hæc autem διάγνωσις vocabulorum προσεδρία, & προσεδρεύειν vel ex lexicis noſcites, quorum exempla ne compilem, illinam hic nova ex ep. Paulli 1. ad Cor. 9. v. 13. Οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται; quæ languidiuſcula Latinitate donata dolet intueri: *Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* vim vocis προσεδρεύοντες interpretem minime vidiſſe ſentio, repone igitur, *qui aſſidue incumbunt & perſeverant*. Quibus verbis lux additur ex cap. 7. 35. ibid. Τῦτο δὲ πρὸς τὸ ὑμῶν αὐτῶν σύμφερον λέγω· οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ ἀπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως, miror ſane nihil de voce ἀπρόσεδρον adſecutum vulgarem interpretem, qui vertit *obſecrantem*, vera δεινότης ejus ῥήσεως eſt, *Chriſto Domino aſſidue adhærentem*. Quod licet adverterint doctiores hujus ætatis viri, quos adeas rogo, eos tamen latuere, quo rem melius firmarent, ethnicorum Scriptorum exempla; præſertim cum hæ binæ voces in ſanctis voluminibus, utpote ἅπαξ λεγόμεναι, profana luce indigeant.

Porro ſcias verbum προσεδρεύειν proprium medicorum audire, ut jam vides ex Hippocrate, idque notionis etiam τῷ *aſſidere* Latini, ſervorum inſtar Græcorum imitatores impertiere, quare nihil frequentius in his Scriptoribus invenies, cum de ægrorum cura ſermo ſit; Celſus lib. 3. cap. 4. p. 120. *Ille aſſideat, neceſſe eſt, qui, quod ſolum neceſſe eſt, viſurus eſt.* Horat. lib. 1. ſat. 1. v. 80. *At ſi condoluit tentatum frigore corpus, Aut alius caſus lecto te affixit, habes qui Aſſideat, fomentaque paret, &c.* Ovid. Heroid. ep. 20. v. 133. *Me miſerum! quod non medicorum juſſa miniſtro, Effingoque manus, aſſideoque toro:* male quidam legunt *inſideoque*, vide adnotat. Et ibid. v. 137. *Ille manus iſtas affingit, & aſſidet ægræ.* Tacitus etiam annal. lib. 6. cap. 26. refert Tiberium Nervæ, qui conſilium moriendi ceperat, *aſſediſſe*. Plinius lib. 1. epiſt. 22. cum amicus Titus Ariſton gravi valetudine premeretur ſe ei *aſſidentem* dicit pag. 86. edit. Longolii: *Nunc enim nihil legere, nihil ſcribere, aut aſſidenti* (mihi) *vacat, aut anxio libet*, vide hujus cl. viri adnotat. ubi laudat hæc Apuleji verba: *Quaſi parentem aſſideret ægrotum:* definitque idem Longolius: *Aſſidere dicuntur, qui ægrotis adſunt.* Præterea Plin. lib. 7. init. ep. 19. *Angit me Fanniæ valetudo: contraxit hanc, dum aſſidet Juniæ virgini* (i. e. Veſtali) *ſponte primum, eſt enim affinis, deinde etiam auctoritate pontificum.* Hinc natum eſt, ut *aſſidere*, & *aſſiduus* ab intenta fortaſſe medicorum cura erga ægrotos adnotent *frequentem eſſe*, atque *occupatum*; vide etym. Voſſ. in voce *aſſiduus*. Inde etiam educta ſunt nomina *aſſeſſura* in Ulpiano l. 3. D. de proxenet. & *aſſeſſorium* l. 5. §. 8. D. de injur. & fam. libell. de quibus adiſis interpretes. Tenes igitur quam longe diſtet in Hippocr. καθέδρη ab προσεδρίη,

quas medicorum filii hic una confuderunt.

XVIII. Hic pro re nata pacem mihi rogo, ut caliginosa bina Hippocratis verba μεμνῆσθαι καταστολῆς, περιστολῆς luci suæ reddam, quis enim ferat ea clarissimi assiduique Scriptoris tam misere Latine conversa, *memento demissi habitus, vestitus?* sane deridiculus salutaretur Hippocrates, qui jubet medicum jam ægroti ædes ingressum, quo pacto se induat, cogitare; quare vocem περιστολήν longe quid a *veste* alienum adnotare dicas; sicuti igitur καταστολή ad animi dotes pertinet, hinc conversam eam vocem vides *animus demissus*, dicerem potius, *animus minime contumax, facilis, sedatus*; uti act. 19. Apost. 35. Κατασείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, & *cum sedasset scriba turbas*: ita etiam περιστολή non est *vestitus*, sed ut iterato Cic. verbis utar, Acad. 4. c. XI. dicerem, *circumspectio*, & *accurata consideratio*. Quod ut firmem, opportune animus suggerit eadem verba me quondam lectitasse in Plutarcho in Pericle pag. 154. edit. Paris. quæ reor vel librariorum noxa, vel semidoctorum petulantia corruptissime legi: Ὁ Περικλῆς καὶ τὴ λεγομένης μετεωρολογίας, καὶ μεταρσιολεσχίας ὑποπιμπλάμενος, ἀ μόνον (ὡς ἔοικε) τὸ φρόνημα σοβαρὸν, καὶ τὸ λόγον ὑψηλὸν εἶχε, καὶ καταρὸν ὀχλικῆς, καὶ πανοῦργα βωμολοχίας· ἀλλὰ καὶ προσώπα σύστασις ἄθρυπτος εἰς γέλωτα, καὶ πρασὺτης πορείας· καὶ καταστολὴ περιβολῆς πρὸς ἡδὲν ἐκταραττομένη πάθος ἐν τῷ λέγειν, καὶ πλάσμα φωνῆς ἀθόρυβον, καὶ ὅσα τοιαῦτα πάντας θαυμαστῶς ἐξέπληττεν. Quæ ita transfudit Xylander: *Imbutus autem scientia sublimium, & cælestium, non solum scilicet elato fuit animo, & sublimi usus est dicendi genere puro a plebeja, & arcessita garrulitate; verum etiam vultus ad risum immotus, incessus comis, modestus vestitus, animus in dicendo imperterritus, modulatio sedata vocis, & reliqua ejus generis omnes adduxerunt ad stuporem.* Pleraque ex his Xylandri verbis vix tangunt Græcam vim, & δεινότητα· verum καταστολὴ περιβολῆς πρὸς ἐκταραττομένη πάθος ἐν τῷ λέγειν, *modestus vestitus, animus in dicendo imperterritus*, omnino a mente Plutarchi exorbitant, quin unum comma Græce in binum Latine discerptum est: neque advertit vir Græce doctissimus locum librariorum peccatis squalentem; quare restitue ab Hippocrate accipiens vadimonium, cujus verba nuper laudata mutuari, quin exscribere visus est Plutarchus: καταστολὴ καὶ περιβολὴ πρὸς ἡδὲν, κ. τ. λ. & vertas, uti superne factum est, *animus minime contumax, & circumspectio, & consideratio ad quemcunque casum imperterrita*; etenim vox ἐκταραττομένη, quæ adjungitur τῷ περιβολῆ, nemo dixerit, *vestitus imperterritus*, quare Xylander ad incitas redactus ἐκταραττομένη adglutinavit Pericli, syntaxeos satis oblivioſus, atque unicum membrum in duplex conscidit. Quare jure a me vocabulum περιβολῆς, *vestitus*, hic importunum in antiquum, ac verum, nempe περιστολῆς commutandum reor, ut conspiret Plutarchus cum Hippocrate, a quo tanquam optimo magistro ternas has voces καταστολὴ, περιστολὴ, atque ἐκταραττομένη didicerat. Et mirari non desinam tot clarissimos viros, qui Hippocra-

Digitized by Google

pocratem, & Plutarchum illuſtrarunt, bina hæc loca minime ſimul comparaſſe, quo lucem ſibi ultro citroque præſtarent.

Præterea ut rem firmiſſime ſiſtam, ſciendum eſt magnum Hippocratem jam ab initio §. 2. quo pacto, & qua frugalitate ſe induant medici, monuerat, utiturque verbis non ambiguis, ſed ἰδιωτάτοις pag. 52. Γνοῖ δέ τις καὶ ἐπ' ἐσθῆτϊ, καὶ τῇσιν ἄλλῃσι περιγραφῇσι· καὶν γὰρ ἐῶσιν ὑπερηφανέως κεκοσμένοι, πολὺ μᾶλλον φευκτέοι, καὶ μισητέοι τοῖσι θεωμένοισίν εἰσι. Τὴν δὲ ἐναντίην χρεὼδες σκοπέειν, οἷς ἀ διδακτὴ κατεσκεὴ, ἀ δὲ περιεργίη ἔκ τε περιβολῆς, καὶ τῆς ἐν τωύτῃ ἀνχημοσύνης, καὶ ἀφελίης ἀ πρὸς ἀδοξίην πεφυκυίης, quæ ſic mecum vertas: *Noverit autem quis ex veſtitu, aliiſque delineamentis: quamvis enim ſint magnifice ornati, multo magis vitandi, & odio habendi ab iis, qui eos (medicos) aſpiciunt. Qui vero contrario modo ſe gerunt, potius conſiderandi ſunt, ſi ſcil. quæſitum ornatum minime præſeferunt, neque nitorem redundantem in ſuis ipſorum indumentis nequaquam ad ſuperfluitatem comparatis;* ne cures exſuccam Vanderlindenii interpretationem; & ſcias voculam γὰρ his verbis infeſtam me eraſiſſe. Vides Hippocratem, quando de medentis veſtitu ſibi ſermo eſt, uti ἰδίοις vocibus ἐσθῆς, & περιβολή, (hanc igitur Plutarcho jure reſtitui:) in ῥήσει autem περισολή puerorum more deceptos dicas, qui cum τῇ περιβολῇ in hoc medicorum principe confudere. Ceterum me non pœnitet, neque queis jecur Græce ſapit, quod parum a propoſito aberrarim.

XIX. Nemo ignorat pro amico, vel patre ægrotante etiam grandia ſacrificia voviſſe veteres, mihique intime carus eſt, atque veluti ad unguem factus pro marmoris intellectu Juvenalis locus ſat. 12. verſ. 97.

.... *Coturnix*
Nulla unquam pro patre cadit: ſentire calorem
Si cœpit locuples Gallita, & Parcius orbi,
Legitime fixis veſtitur tota tabellis
Porticus, exſiſtunt, qui promittant hecatomben,
Quatenus hic non ſunt, nec venales elephanti, &c.

Queritur hic ſatyricus ne minimam quidem hoſtiam patrem filios habentem demereri; contra vero orbos locupletes, ſi vix febris calorem ſentiant, honeſtari bobus, & ſi ſuperis placet, etiam elephantorum maximis victimis. Vides igitur jure in lapide victimarium ſuccintorum poparum habitu cum ſecuri, (quæ ſuperne detrita eſt, hinc Ovid. metam. 12. v. 248. *Veluti qui candida tauri Rumpere ſacrifica molitur colla ſecuri,*) bovem cervice arreptam pro ægri incolumitate mactaturum. Si vero plura ejuſdem ſacrificii exempla optes, conſule in hunc ſatyrici locum commentarios. Neque dubitandum, quin Dea illa in baſi ſtans Hygia ſit, licet careat ſerpente, & patera, vel tribus globulis, ſeu pharmacorum pilulis, quæ geſtare ei ſollemne eſt, ut videre dat in lucernis Paſſerius tab. 69. tom. 2. pag. 44. Italiæ noſtræ quoſvis interiores litteras lumen τὸ τελωγές· cum ſæpe numina non a ſymbolis, verum a loco, atque ab adjun-

Digitized by Google

junctis, quæ proxime sunt, oportet discernamus; & ne ab atramentario nostro discedam, dignoscimus extremam puellam esse Venerem, licet concha, vel columba, vel cupidine deficiat, sed ab adjectis sex icunculis Deorum, qui præcedunt, se facile Venus prodit. Eodem pacto cum in marmore tuear ægrotantem, & sacrificulum vitula, aut bove cuidam Deæ facientem, ex his fidentissime concludam illam Juvalitiam esse, sive Valentiam, sive Hygiam. De his votivis tabellis mox plura inferne num. XXIX.

XX. Scio mihi molestissimos fore omnes medicorum filios obgannientes nullibi se legisse medicos affectis hominibus pharmaca scripsisse, sed secum ea comportasse, ita ut veteres medentes constet fuisse etiam pharmacopolas: eaque opinio adeo eorum animis insedit, ut si ab illa eos deturbare quis velit, medicæ historiæ indoctissimus & hospes audiat: semper enim pigebit, quæ a teneris docti sumus, perdenda fateri. Quot enim Italiæ nostræ principes medicos per litteras consului, idipsum mihi responsum est, veteres medicos fuisse etiam pharmacopolas; neque vestigium, neque volam exstare moris medicamina in tabella, vel membranula scribendi, quam *receptum* barbare nunc dicunt. Verum excipiendus est Seraus Academiæ nostræ decus, qui ingenue, ut moris sui est, me monuit medicos veteres juxta ac nos feciſse medicinam, & scriptitasse pharmaca ægris necessum esse, nec secum ea gestasse; verum se nullibi legisse vocem, neque Græcanicam, neque Latialem, quæ *recepto* respondeat: adeo vera est Serai sententia, ut etiam per epistolas, seu per *consulta*, quod ajunt, opiniones suas ægrotantibus iidem aperuerint, ut moris nunc est, quem in Seneca legisse videor (maximi momenti artes eundem tenorem modumque servasse semper oportuit) init. epist. 22. p. 71. edit. Elzevir. 1672. *Non potest medicus per epistolas cibi, aut balnei tempus eligere, vena tangenda est.... quid fieri soleat in universum, & mandari potest & scribi, &c.*

XXI. Igitur adlaborandum mihi fuit, ut in Græcis, Latinisque Scriptoribus ingenti cura & sollertia vestigarem, an medici medicaminum schedulas pro curatione ægrorum ad pharmacopolas missitarent. Lectis cito & cursim iis, quæ in medicinæ historiam a multis congesta sunt, & quæ nuperrime præmisit lexico medico Jamesius, ubi multa mixtim & tumultuarie corrogata circa medendi veterum mores, de qua re agimus ne verbum quidem; in corpore vero lexici, in voce *receptum* satis est Jamesio adnotasse dumtaxat eam esse barbaricam, indeque dici, *medici receptarii*. Verum ipse, ut te non diu hærentem teneam, reperi Græce τὸ *receptum* dictum esse πρόσαγμα, & τὸ *scribere* πρόσαττειν, Latine vero apud bonos Scriptores *jussum*, & *jubere* & *imperare*; & nunc primum scimus, cur in l. 26. D. de oper. libert. medici audiunt *imperantes*; quod adeo verum est, ut ubique legere sit *jubere medicos*, & ἰατρὸς προσάττειν, idque vocabulum eorum artis ἰδιοτικὸν evaserit: hinc concludas velim, cum medentes *jubeant*, & προσάττωσι pharmaca, non ea secum tulisse, sed oportuit, ut a venditotibus

Digitized by Google

ribus emerent, & accurarent sibi ægri secundum *jussa* medentium; exemplorum satis servo, pauca dabo, quo rem firmem: Plato lib. IV. de LL. de servo, qui medicinam faciebat servis ægrotis ait, Προσάξας δὲ αὐτῷ τὰ δόξαντα ἐξ ἐμπειρίας, *sed imperans ægro, quæ visa sunt pro experientia;* atque ibid. Καθόσον οἷός τ' ἐστιν, διδάσκει τ' ἀσενδῆτα αὐτὸν, καὶ ὀ πρότερον ἐπέταξε, πρὶν ἂν πη συμπείσῃ, *quantum potest, instruit ægrum, nec scribit quidquam prius, quam eum convicerit suadendo.* Ælian. var. hist. lib. I. cap. 37. bis utitur eodem commate voce προσάττειν de medicis loquens, ubi Perizonius addit Athenæi auctoritatem in lib. X. pag. 429. ajentis: Μὴ προσάξαντος ἰατρὸς θεραπείας ἕνεκα. Non me fugit locus aptissimus Ælian. ib. lib. 9. cap. 37. Ἐκεῖ δὲ ἐνόησέ ποτε Ἀλέξανδρος, εἶτα προσέταξεν ὁ ἰατρὸς ῥόφημα σκλασθῆναι, γελάσας ὁ Ἀλέξανδρος, κ. τ. λ. vides igitur hic medicum præscribere potionem, alios vero parare. Eodemque pacto loquitur ibidem cap. 13. Φάρμακον ὃν αὐτῷ τῶδε τῷ πάθει συνέταξαν οἱ ἰατροὶ, φασὶ, βελόνας λεπτὰς κατασκλάσθαι μηκίστας. Memini etiam me legisse in Plutar. Ἐπεὶ δὲ νοσοῦντι συνέταξε πίχλιν ὁ ἰατρός, *postquam turdum ægroto præscripsisset medicus.*

Quo autem luculentius constet medicos nequaquam secum comportasse φάρμακα, at aliunde, ex tabernis scil. ægrotos ea sibi comparasse secundum illorum προσάγματα, imo medentem κατ' ἐξοχήν appellatum προσάττοντα, apponam longiorem Platonis locum: Εἴπομεν γὰρ δὴ πρός γε ἡμᾶς αὐτὸς ἰατρὸν μέλλοντα, ἢ κ' τινα γυμναστικὸν ἀποδημεῖν, καὶ ἀπέσεσθαι τῶν θεραπευομένων συχνὸν, ὡς οἴοιτο, χρόνον, μὴ μνημονεύσειν οἰηθήντα τὰ προσταχθέντα τοὺς γυμναζομένους, ἢ τοὺς κάμνοντας, ὑπομνήματα γράφειν ἂν ἐθέλειν αὐτοῖς, ἢ πῶς; ΣΩ. ὅτω. ΞΕ. Τί δὲ εἰ παρὰ δόξαν ἐλάττω χρόνον ἀποδημήσας ἔλθοι πάλιν, ἆρ' οὐκ ἂν παρ' ἐκεῖνα τὰ γράμματα τολμήσειεν ἄλλα ὑποτίθεσθαι, ξυμβαινόντων ἄλλων βελτόνων τοῖς κάμνουσι διὰ πνεύματος, ἢ τι καὶ ἄλλο παρὰ τὴν ἐλπίδα τῶν ἐκ Διὸς ἑτέρως πως τῶν εἰωθότων γενόμενα; (corr. γενόμενον) Καρτερῶν δ' ἂν ἡγεῖτο δεῖν μὴ ἐκβαίνειν τὰ ἀρχαῖά ποτε νομοθετηθέντα· μήτε αὐτὸν προστάττοντα ἄλλα, μήτε τ' κάμνοντα ἕτερα τολμῶντα παρὰ τὰ γραφέντα δρᾶν, ὡς ταῦτα ὄντα ἰατρικά, καὶ ὑγιεινά· τὰ δὲ ἕτερως γιγνόμενα νοσώδη τε, καὶ οὐκ ἔντεχνα; ἢ πᾶν τοιοῦτον ἔν γε ἐπιστήμῃ ξυμβαῖνον, καὶ ἀληθεῖ τέχνῃ πρὸς ἅπαντα πανταπασι γέλως ἂν ὁ μέγιστος γίγνοιτο τῶν νομοθετημάτων; ΣΩ. παντάπασι μὲν οὖν. Hæc Plato in πολιτικῷ edit. Aldi pag. 178. Conversa accipe a Ficino, qui sententiam γενικὴν & vagam adsequi accuravit, verba parum pensitavit: *Si medicus quidam, aut gymnasticus imminente longa peregrinatione procul ab iis, quos curat, abfuturum diu se putet, putetque aut qui exercentur, aut qui ægrotant, suas præceptiones non recordaturos, num agendorum monumenta quædam illis conscribere cogitabit, nec ne? SO. Cogitabit utique. HO. Quid si præter opinionem ocyus, quam putaverat, revertatur, verebitur ne alia illis præcipere, præter ea, quæ quondam scripserat, si qua potiora ægrotantibus adhiberi possint ob ventos, aut quid aliud præter spem Dei voluntа-*

luntate contingere ſolitum? Perſeverabitne, inquam, in priori propoſito; neque primas inſtitutiones tranſgredi quemquam patietur, nec ipſe mandare alia, nec ab ægrotante alia præter ſolita obſervari, quaſi ea, & medicinæ artis propria ſint, & ſaluberrima; quæ vero aliter fiant præter artem ſint, & noxia? an potius quidquid in ejuſmodi ſcientia, arteque vera accidit circa omnia riſum plurimum de præſcriptis illis concitabit? SO. & maxime quidem.

Ex quo Platonis prolixiori κειμένῳ tenes eadem prorſus medendi μεθόδῳ veteres uſos, qua noſtrates; quare ſi accidiſſet, ut medicus ab ægroto per menſes abfuturus eſſet, præcepta, & medicamenta ſcripta relinquebat, ſane ab pharmacopolis emenda: vides præterea eos illa ſcriptitaſſe, cum Plato utatur verbo γράφειν, & voce γράμματα· & cum τὸ προστάττειν medicorum vocabulum ſit, non vice ſimplici appoſitum eſt; quin probe opponit vocem προστάττοντα voci τῷ κάμνοντι, *medicum ægroto*. Miror, quotquot medicinæ hiſtoriam ſcripſere, Philoſophi dialogos non inviſiſſe, præſertim cum vir divinus comparationes non unas ab hac illuſtri arte depromat. Advertas demum in Ficini verſione extrema verba, *an potius quidquid*, &c. tenebricoſa ſatis, utpotè ξυμβαῖνον transfudit, *quidquid accidit*, cum hic valeat *quidquid utile eſt*: repone igitur, quo ſtet ſententia: *an quicquid hæc ſcientia, veraque ars præſcribit, quovis tempore opportunum ac utile futurum; hac præceptione plurimi ridendi occaſionem nonne nanciſcentur? SO. maxime quidem.*

Demum fortuito mihi obtigit, ut in etymolog. Voſſii in voce *pingo* perlegerem Olympiodori Platonici ſententiam, qua luce clarius definitur medentes pharmaca ſcripſiſſe, pharmacopolas exinde miniſtraſſe, piget me hunc ſcriptorem adhuc m. ſc. in bibliothecis ſervari, vid. Fabricii bibl. Gr. to. 9. p. 354. Ὁ μὲν ἰατρὸς ἐπιτάττει, ὁ δὲ φαρμακοπώλης διακονεῖ τὰ πρὸς τὴν χρείαν ἑτοιμάζων, *medicus quidem præſcribit, pharmacopola vero miniſtrat ea, quæ uſui ſunt, apparans*; adverte hic etiam verbum ἐπιτάττειν in ſatis certa ſcribendi notione; neque dubites, quin vox φαρμακοπώλης ſit peræque, & φαρμακοπώλης, etenim gloſſæ aperte edicunt, *pigmentarius*, μυροπώλης, φαρμακοπώλης, μυρεψός. Et Marcianus l. 3. §. 3. D. ad leg. Cornel. de ſicar. *pharmacopolas* vocat *pigmentarios*, neque aliter in ea lege accipi poteſt, teſte etiam Gothofredo. Haud dicas Olympiodorum ſequioris ſæculi mores ſcripſiſſe; reponam enim neminem futurum, qui in animum inducat eo ipſo Olympiodori ævo medicos pro ægrotis medicamenta ſcriptitare cœpiſſe; & non id moris ſub Galeno, quem vix binis ante ſæculis vixiſſe conjicimus, viguiſſe jure credat, ut de anterioribus medentibus fileam, præſertim cum τὸ προστάττειν etiam Hippocraticum eſſe mox oſtendam.

XXII. Verum ut rem propius tangamus, poſthabitis pleriſque multis exemplis, proferam illud appoſitiſſimum ejuſdem Æliani lib. 9. c. 23. Ἀγοστόλης ἐνόσει ποτέ· προσέταξε δὲ αὐτῷ ὁ ἰατρὸς πρόσχυμά τι, quod ita verterunt

Digitized by Google

runt interpretes, *Ariſtoteles morbo laborabat ; medicus autem ei præceptum quoddam dabat*, tute ipſe vides, quam exſuccum illud, *præceptum dabat*, ignota enim eiſdem erat vis vocum προσάττειν, & πρόσαγμα, quare repone, *ſcripſerat ei medicus receptum quoddam ;* ſic ſententiæ medelam facies. Si vero adhuc dubites, quin ita ambæ hæ ῥήσεις accipiendæ ſint, ſcias id adeo verum eſſe, & fixum, ut quæ ipſe cogitaveram de voce πρόσαγμα medicorum ſcribentium propria, lætabundus repererim etiam veniſſe in mentem magno Perizonio, qui mihi mutuam opem tulit, cujus viri auctoritati refragari, totque Scriptorum teſtimonia a me aggeſta infringere is ſane auderet, qui omnino agere præpoſtere amaret. Itaque Perizonius in Æliani indice verb. & locution. Græcar. in voce προσάττειν, ubi longiorem adnotationem illevit, ait: Προσάττειν, *imperare, verbum eſt medicis proprium, & pediſſequum habet τὸ recipe, &c.* qua interpretatione nihil verius, ac ſolidius. Medici igitur pro ægrotis pharmaca nullo alio pacto, niſi ſchedulis ſcriptis, quas pharmacopolæ recipiebant, imperare poterant, quæ προσάγματα audiebant.

Demum quid ſi etiam in medicorum parente Hippocrate in eadem ſententia τὸ προσάττειν videas, atque beato illius ſummi medentis ævo pharmaca pro ægrotis ſcriptitata ſint? Sane ſi apud ejus filios προσάττειν, *medicamenta ſcribere* valuit, ei tanquam oraculo acceptum referendum eſt: quare multa lux eſt Hippocrati, ſi hoc ſollemne ῥῆμα ea in notione eſſe dicas, dum περὶ τῆς ἀρχημοσύνης n. 12. multa ſapientiſſime præcipit, & inter reliqua circa finem edicit: Τῶν δὲ μωθωνόντων ἔσω τὶς ὁ ἐφεσώς, ὅκως τοῖσι παραγγέλμασιν ὑπικρῶς χρήσηται· ποιήσῃ δὲ ὑπουργίλλων τὸ προσαχθέν, quæ vulgo ſic translata proſtant: *Adſit autem ex diſcipulis aliquis, qui præſit, quo præceptionibus citra amarulentiam utatur, & quod imperatum eſt, ſubminiſtret ;* porro ita verteret tiro Græcanicus, igitur Latine ſint: *Ex iis, qui medicinam addiſcunt, unus ægrotum crebro inviſat, qui præceptionibus non moroſe uti ſciat, & miniſterium impleat, ſecundum quod ſcriptum eſt:* nihilo exactius Lindenius vertit: imo, quod Foeſius probe dixerat, *imperatum eſt*, προσαχθέν, (nam medici, *imperantes* dicuntur,) ille repoſuit, *quod mandatum eſt*, ab medicis locutionibus longe degener. Et miror etiam ὑπικρῶς vertiſſe *non amarulente ;* quis certe ferat Hippocratis verba, quæ oraculi inſtar habita ſemper ſunt, de eorum Græca fide tam peſſime meritos eſſe interpretes: ὑπικρῶς non eſt *citra amarulentiam*, quis enim medentem fingat cum ægroto, ideſt cum homine imbecillo, & miſeratione digno velle *amariſſime* verſari, eumque contrectare? Contra vero ſunt quidam medici tirones, qui ut artem ſuam venditent, moroſiſſime omnia penſitant, ac faſtidioſe nimis exercent, quare enecant potius, quam ægrum ſanant. Conſulere igitur vult Hippocrates, dum jubet eos ὑπικρῶς mederi, horum juvenum illiberalitati: & certum eſt πικρὸς non ſolum *amarus* denotare, verum etiam *moroſus*, vide ipſa lexica in voce πικρία · *moroſi-*

tatem vero reprehenſam circa corporis curam in Jul. Cæſare ſcimus ex Suet. cap. 45. Et πικρός ſane exit ab פגר *languidum eſſe*, atque ex πικρός Latine habes *piger*, Italice *pigro*: noſcis etiam primigeniam vim vocis πικρός adnotare potius *moroſus*, quam *amarus*.

Hinc factum eſt, ut ternis ſummi hujus medentis locis lux offuſa ſit, queis ea vox illita eſt, & Lindenius utrobique *amarulentus* vertendam duxit: De decore pag. 53. Οἵτε ἑκάστῳ χήμαπι τοιῶτοι, ἀπερέεργοι, πικροὶ πρὸς τὰς σωκωτήσιας, ἄθετοι πρὸς τὰς ἀποκρίσιας, χαλεποὶ πρὸς ἀνπιπτώσιας, κ. τ. λ. quæ ſingula ſatis importune transfuſa ſunt ab eodem ſummo viro: *Imo quocumque veſtitu ac ornatu, tales ſunt minime diffluentes, non curioſi, amarulenti ad occurſus, & obviam itiones, appoſiti ad reſponſiones, graves adverſus reſiſtentes, &c.* Quis enim ferat vox χῆμα eſſe *veſtitum & ornatum*, cum valeat juxta, ac Latine *habitus?* Verum poſthabitis ceteris id genus σφάλμασι, ſermo ſit de dictionibus πικροὶ πρὸς σωκωτήσις, quas ne dicas, *amarulenti ad occurſus*, quis enim credat adeo ſiniſtrorſum abiiſſe Hippocratem, ut velit medicos eſſe *acres & amarulentos?* ut ſileam de voce σωκωτήσις verſa, *occurſus*, quæ certo valet *contentio*, *rixa*, quare repone, *tardi, & lenti ad contentiones & rixas*. Accipe omne hoc κεφάλαιον, quoad ejus fieri poteſt ad Græcam ſinceritatem accomodatius: *Singuli autem*, (corrige ἕκαστοι χήμαπι τοιούτῳ,) *qui ita ſe habent*, (in veſtitu ſcil.) *neque luxuriantes, neque ſolliciti*; (de hoc enim loquitur Hippocrates, vide verba, quæ ἀμέτως præcedunt; (*ſint lenti ad contentiones, prompti ad reſpondendum, atque in adverſis minime imbecilles*.

Alter Hippocratis locus eſt ibid. init. pag. 59. quem, cum corrupte legatur, omnino contra mentem tanti medentis converſum eſſe doleo; & vox πικρίη, *ſegnities* inconcinne in notione *amarulentiæ* etiam eſt: Ἅμα μὲν ἐπιπλήσσειν μετὰ πικρίης, καὶ ἐντάσεων· ἅμα δὲ παραμυθέεσθαι μετ' ἐπιστροφῆς, καὶ ὑποδέξιον, μηδὲν ὑποδεικνύντα τῶν ἐσομένων, ἢ ἐνεστώτων αὐτέοισι, verba Lindenii: *Simul cum amarulentia, & contraria inſtantia increpando, ſimulque cum commonefactione, ac dexteritate ſuſcipiendo, ac conſulendo, non tamen, ut quidquam futurorum, aut præſentium ipſis indices*. Porro vel parum Græce imbutus novit Latiaria verba *contraria inſtantia* longiſſime abeſſe ab voce ἐντάσεων, quæ ſi culpa librariorum careret, valeret ſane *contentionum*. Atque iterum habes carnificem Hippocratem, qui imperat, ut medici ægrotantes amariſſime, & ſumma animi contentione increpent, enecentque. Primum quidem vox ἐντάσεων non eſt in Jonica διαλέκτῳ, & numerus pluralis hic importunus eſt, ac pronum erat dignoſcere illam locum ἐκτάσιος ſubiiſſe; ἔκτασις autem contrarium audit, nempe *indulgentia*, *contentionis carentia*, apteque conjurat cum πικρίη, *tarditas*. Deinde ut Hippocratis ſcitum & ſibi conſtet, & tanto medente dignum ſit, ita transfundas: *Simul gravitate, & lentitudine, atque indulgentia* (ægrotantes) *increpes; ſimul*

Digitized by Google

simul etiam solertia & dexteritate demulcens, neque futurorum, neque præsentium (malorum) *quidquam indices*, nihil enim in medico optabilius, quam comitas; & egregie officio fungitur suo, si prudens sit ac benevolentissimus, contra ac rati sunt tot clarissimi Hippocratis interpretes.

His animadversis facile tutemet tertium Coi senis ibid. pag. 52. locum interpretaberis, ubi etiam πικρίη vertit Lindenius *amarulentia*: Πρεσβύται δὲ διὰ πικρίην νομοθεσίην τίθενται ἀνιέρεσιν ἐκ πολίων (non ut vulgo πόλεων Attice, ἰωνίζει enim Hippocrates;) quæ ita Latine sunt: *Senes vero propter amarulentiam legislationem in ipsos* (adolescentes) *constituunt, ex civitatibus videlicet expulsionem:* verum reponas: *Senes* (medici) *eo quod sint lentum & grave negotium, veluti legem constituunt, ut juniores ab urbibus expellantur;* cavet enim inibi magnus Hippocrates, ne fides sit medicis quibusdam silicerniis, qui ob canitiem & morositatem facile eam sibi vindicant, & sapientibus adolescentibus exsilium indicunt: quis enim ægrotum amarulentis, duris ac ferreis senibus medicis commendaret? ab tardis autem & ad majestatis habitum compositis facile popellus abducitur. Ignoro sane, quo pacto tam plana διάγνωτις vocum πικρός, & πικρίη tot doctissimis medicis latere potuerit. Sed ad τὸ προστάττειν redeundum, a quo ῥήματα vox πικρός me deturbavit, ac parum detinuit.

Itaque τὸ προσαχθέν vertendum duxi, *quod scriptum est*, cum jam ostensum sit προστάττειν ita accepisse posteriores medicos, & πρόσαγμα respondere barbaricæ voci *receptum;* atque ex ipsius Hippocratis sententia clare id eruitur, qui præcepta ore tradita dixit παραγγέλματα, quæ vero scripta, appellavit τὸ προσαχθέν, alias sane ταυτολογία laboraret Hippocratis κείμενον· certe medentes circa ægroti curationem multa quidem colloquuntur, in schedulis pauca, & ponderosa scribunt, quæ sint ad ὑπαρχίαν. Hinc etiam novimus προστάττειν, & *jubere*, quamquam γενικὰ vocabula, medicorum propria evasisse, cum aliquid schedulis suis illinunt; uti apud Italos *ordinare*, & Gallos *ordiner* etiam ἴδιον medentium ῥῆμα factum est, cum *recepta* ad pharmacopolas mittenda scribunt. Quare etiam medici rudioris ævi barbare dixere *medicamenta ordinare*, vide Cæl. Aurel. Chronic. lib. 1. c. 7. sub fin.

XXIII. Conspirant cum Græcis Latiales Scriptores, & τὸ *jubere* & *imperare* proprium medicorum est: Petron. cap. 56. *Illos* (medicos) *odi pessime, qui mihi jubent anatinam parari:* & superne dictum est num. XXI. quid sit σκευασθῆναι, *parari:* non igitur medici pharmaca parabant, neque secum comportabant. Adde Martial. lib. 2. epigramm. 40. *Omnes Tongillum medici jussere lavari. O stulti, febrem creditis esse? gula est.* Confirmat idipsum Ter. And. 3. 2. v. 4. *Quod jussi ei date bibere, & quantum imperavi date;* idest *quantum scripsi* ἐν τῷ προστάγματι. Et Plinius ait lib. 26. cap. 4. *Salsa lavari jubentur*. Neque obliviscendus est Latinorum medicorum princeps, qui de curando hydrope

Digitized by Google

cap. 21. lib. 3. pag. 161. Rotterodami 1750. *Non difficillima*, ait, *curatio, si imperata sint corpori quies, sitis, inedia;* piget me plures Scriptores Latiales invisere, qui τὸ *jubere* medentibus tribuunt. Demum unum Ovidii locum mihi carissimum apponam Heroid. ep. 20. v. 133. *Me miserum, quod non medicorum jussa ministro, Effingoque manus, assideoque toro:* queritur Acontius Cydippæ suæ, quod medicus *jusserat*, sive scripserat, ministrare sibi ipsi non licere: alii igitur accurabant, quæ medicus imperabat. Adverte præterea, quæ barbare nunc dicuntur *recepta* schedulæ medicorum ad pharmacopolas mittendæ, cultioris ævi Latinos appellasse *jussa medicorum*.

Hic etiam haud abs re exputo advertendum Græcos inferioris ævi, veluti Hephæstionem Thebanum, vocem bonam πρόσταγμα vertisse in σύνταξις, quæ finitima est: inde apud eumdem sæpe legas ἰατρομαθηματικὰ συντάξεις, quibus medentes ægrotis cibum, vel catharticum dari jubebant: Τύποις, ὡς ἔοικε, σωιεγνωκότες οἱ παλαιοὶ Αἰγύπτιοι, ὅτως ἔχοσι σωῆψαν παντα χῆ τῷ ἐκ ἀστρονομίας προγνωστικῷ τὴν ἰατρικὴν διὰ τῶν καλουμένων παρ' αὐτοῖς ἰατρομαθηματικῶν σωτάξεων, ἐξ ὧν προσφόρως ἑκάστῳ τὰ βοηθήματα προσφέρουσι. Tales hodieque exstant in bibliothecis multæ συντάξεις medicomathematicæ Græcæ, Arabicæque ex Græco conversæ. Verum hoc ex monstrosæ eruditionis volumine Salmasii de ann. climact. pag. 54. & seqq. exscripsi; (sed vir magnus nihil de τοῖς *receptis* cogitavit,) cum mihi hunc Thebanum scriptorem consulere haud facile sit: sane nisi in notione, qua de commentamur, vox σύνταξις sit, mentem Hephæstionis minime adsequeris.

XXIV. Grandius momentum addam huic sententiæ, si præstem, (quod etiam me ab medicæ rei Scriptoribus negatum piget,) fuisse olim φαρμακοπώλας, eorumque officinas, ad quas procul dubio τὰ προστάγματα missitari oportuit, qui secundum pondus, mensuram, & medicorum jussa pararent φάρμακα emptoribus. Constat quidem ex Æliani lib. 12. cap. 1. medicum quendam fateri se non habere medicamenta, imo ab puella tumore in mento laborante tres stateres expostulasse, quibus ea emeret: Δείκνυσι γὰν αὐτὴν ὁ πατὴρ ἰατρῷ· ὁ ἐκ ὑπέχετο ἰάσασθαι, εἰ λάβοι τρεῖς σατῆρας· ὁ ἐκ ἔφατο μὴ ἔχειν· ὁ ἐκ ἰατρὸς, μὴ ἐκ αὐτὸς ἐπορεῖν φαρμάκα, φησίν. Hinc certum est medicos non secum gestasse medicamina, sed ex publicis φαρμακοπωλείοις præsenti pecunia ægros comparare jubebant. Exstitisse autem, qui propalam pharmaca venderent cultioribus Græciæ, & Rom. reip. temporibus, (nam cascam ac vetustissimam ætatem nihil curo,) eruimus ex Aristoph. Nubibus in fin. act. 2. sc. 1. v. 764.

Ἤδη παρὰ τοῖσι φαρμακοπώλαις τὴν λίθον
Ταύτην ἑώρας, τὴν καλὴν, διαφανῆ,
Ἀφ' ἧς τὸ πῦρ ἅπτουσι. ΣΩ. ὕαλον λέγεις;
Vidistin' apud unguentarios & aliptas
Illum pulchrum, & pellucidum lapidem,
Unde ignem accendunt? SO. num vitrum dicis?

Male

Digitized by Google

Male versum dicas φαρμακοπῶλας, *unguentarios & aliptas*, repone *pharmacopolas*; cum habeas hic appositissime ex Scholiaste: φαρμακοπῶλαι κυρίως, οἱ τὰ φάρμακα πιπράσκοντες τά γε λυσιτελοῦντα, καὶ τὰ θανάσιμα· atque ex Polluce didici Aristophanem unguentariis tribuere proprium vocabulum μυροπωλεῖν lib. 7. cap. 33. segm. 177. μυροπωλεῖν δὲ Ἀριστοφάνης ἔφη. Idem Pollux ibidem segm. 197. enumerat satis distincte ac seorsim φαρμακοπῶλαι, & verbum φαρμακοπωλεῖν ab μυροπώλαις, & μυροποιοῖς eodem lib. segm. 177. atque in hoc Grammatico leges bis lib. x. 180. φαρμακοπωλῶν κίστας. Plautus unguentarios vocat *myropolas* cas. 2. 3. 10. eorumque officinam *myropolium* Amph. 4. 1. 3. Videor præterea vidisse in Horatio lib. 2. serm. sat. 3. v. 155. medicum pro Opimio avaro ægrotante misisse ad pharmacopolam, a quo emeretur pharmacum, de quo lis est apud interpretes, quodnam fuerit, scil. *ptisanarium oryzæ*, ut a lethargo excitaretur; apponam versus, a quorum lectione res luculenter patefit.

Quid cessas? (Opimi) *agedum sume hoc ptisanarium oryzæ:*
Quanti emptæ? parvo: quanti ergo? octo assibus: eheu,
Quid refert morbo, an furtis, pereamve rapinis.

Vides medicum suadentem Opimio avarissimo illud pharmacum emptum paucis asibus, non vero secum comportasse, aut se præparasse, alias sane non emptum inculcaret vili pretio.

Non mihi obliviscendus Ælianus lib. x. cap. 9. qui narrat Aristotelem ex malo milite evasisse φαρμακοπώλην. Neque credas duoviris doctissimis Salmasio in Solin. p. 739. Maximi Tyrii locum recitanti, qui pharmacopolas opponit medicis, sicuti sycophantas oratoribus, & sophistas philosophis; & Vossio in etymol. ceteriisque adstruentibus olim alios fuisse pharmacopolas, ac hodiedum, eo quod Cic. pro Cluent. illos vocet *circumforaneos*; nam in unaquaque arte honesta & decora optimos reperies, ac eos, qui in triviis popello imponunt; cum etiam non defuere olim circumforanei & circulatores medici, Græce περιοδευταί, & ἐπιδίφριοι ἰατροί, i. e. *sellularii medici*, teste eodem Salmasio ibid. Imo reperi Hippocratis ævo circumforaneos id genus medentes bene multos per urbes circumcursasse, per fora perreptasse, & doctioribus ingens negotium facessivisse, in περὶ ἀρχαιοτύνης pag. 52. Πρεσβύται δὲ διὰ πικρίην νομοθεσίην πίθενται ἀναίρεσιν ἐκ τῶν πολίων· καὶ γὰρ ἀγορὴν (corr. κατ' ἀγορὴν) ἐργαζόμενοι ἔτοι μετὰ βαναυσίης ἀπατέοντες· καὶ ἐν πόλεσιν ἀνακυκλέοντες οἱ αὐτοί, *Senes* (medici) *quoniam lentum negotium sunt, leges statuunt expellendi* (doctiores adolescentes) *ex urbibus; & in foro operam suam locantes, & per urbes circumeuntes ruditate & insciti decipiunt*. Quare si Cicero quosdam pharmacopolas *circumforaneos* exstitisse conqueratur, etiam qui fixas officinas habebant, ut fateamur, necesse est.

XXV. Idque adeo verum ac ratum volo, ut ex Polluce lib. x. segm. 180. mihi videor præterea didicisse ipsa φαρμακοπολεῖα medicos visitasse, uti nunc etiam mos viget, imo vasa urente ferro signasse, quo curatius fraudibus

Digitized by Google

dibus proviſum irent: verum verba Grammatici hujus affectiſſima ſunt, & ſanequam viros eruditiſſimos exercuere: tentandum mihi, an medelæ ſit locus: Ἄλλα (ἀγγεῖα) καὶ τῶν φαρμακοπωλῶν ἂν καλοῖντο (κίστα), ὡς ἐν Ἀμφιαράῳ Ἀριστοφάνης· καὶ τοὺς μὲν ὄφεις, οὓς ἐπιτέμπεις, ἐν κίστῃ τινὶ κατασήμηναι, καὶ πωῦσαι φαρμακοπωλῶν, quæ ſic transfuſa leges: *Sed etiam* (ciſtæ) *pharmacopolarum eſſe dicentur, ut Ariſtophanes in Amphiarao: & ſerpentes, quos inſculpis, in ciſta aliqua obſignare, & relinquere pharmacopolas:* video Romana verba ἀσύντακτα, & Græcis corruptiſſimis obſcuriora: doctiſſimi Pollucis interpretes perpetuam adnotationem adnexuere, quo aliquid lucis tantis tenebris impertirentur, quos conſuleres vellem; affatim mihi eſt, quæ ipſe excogitavi, illinere; quare ſi unam litterulam immutes in verbo πωῦσαι, bona ſententia prodibit: ὄφεις, οὓς ἐπιτέμνεις, ἐν κίστῃ τινὶ κατασήμηναι, καὶ καῦσαι (non πωῦσαι) φαρμακοπωλῶν, *ſerpentes, quos incidis, obſigna, & inure in ciſta pharmacopolarum;* ἐπιτέμνεις pro ἐπιπέμπεις interpretes jam reſtituerant; quare nodus omnis erat in τὸ πωῦσαι, quod facile quiſque, cujus parum pectus Græce ſapit, immutaret in καῦσαι, *inure:* atque ita mens Ariſtophanis ſibi conſtat: induxerat fortaſſe comicus in Amphiarao quendam hortantem, ut medicus viſitans pharmacopolarum officinas, viperas in fruſta ſecaret, earumque ciſtas ſigillo candenti inureret; ſi non iviſſet peſſum hic Ariſtophanis Amphiaraus, ſane ex contextu ſciremus, quare diſſecti ſervandi eſſent a pharmacopolis ſerpentes, ac obſignandi. Neque dubites, quin τὸ καῦσαι ita accipiendum ſit, inde enim oritur καυστήριον *candens ferrum*, quo quid inurimus. Et profecto hæc aliquanto ſanior & apertior ſententia enaſcitur ex tenebricoſis Ariſtophanis verbis; quam vero extorquent ceteri interpretes, conſciſſa eſt, & errans. Neque credas me hunc comici locum ſine vade interpretari, & ad arbitrium cogitaſſe de medicis φαρμακοπολεῖα viſitantibus; etenim facem parvam mihi præbuit Jo. Rhodius, cujus verba leges in adnotation. in Pollucem ajentis, *vas itaque cera, & annulo ſignabatur a medicis*, & recitantis hos Ariſtophanis verſus; verum nihil ei in mentem venit de voce πωῦσαι, pro καῦσαι, & pingue otium terit in voce φαρμακοπωλῶν, quam participium Atticum ratus eſt, cum re ipſa ſit caſus patrius vocis κίστη, quam ῥῆσιν paucis ante verbis vides, & Pollux de τοῖς κίστοις φαρμακοπωλῶν loquitur, teſtemque vocat Ariſtophanem in Amphiarao. Haud negem poſſe aliquem, ſi velit, ἐπιτέμπεις ſervare, non vero ἐπιτέμνεις, & longe aliter comicum interpretari, ſcilicet *ſerpentes, quos mittis in ciſta pharmacopolarum, obſigna, & inure*, ne ab illa aufugiant, atque officiant. Ceterum elige, quod lubet, in obſcuris etenim, interque diſjecti membra poetæ verſamur; verum vox πωῦσαι in utraque ſententia importuniſſima eſt.

Sed e diverticulo in viam, habes igitur certo fuiſſe apparatiſſimas publicas pharmacopolarum officinas, & *inſtructas atque ornatas tabernas medicinæ exercendæ cauſa*, ut appellat Cic. pro Cluent. cap. 63. ad quos meden-

Digitized by Google

medentes προσάγματα mittebant; non enim fieri potuiſſet, ut tot medicaminum genera, quot Celſus, Dioſcorides, Galenus, ceterique veteres medici enumerant, ſecum comportaſſent, vel domi parata habuiſſent.

XXVI. Adde, cum Rex fortunatiſſimus, millenas pæne picturas ad ceterorum Regum invidiam ex everſarum urbium ternarum ruderibus in lucem traxerit, quarum non paucæ varias artes nobis objiciunt ab Geniis exercitas, veluti reſtionum, caligariorum, textorum, fabrorum lignariorum, &c. inveniſſe etiam tres Genios pharmacopolas abunde gratulor, quorum unus foculo vaſe impoſito, cochleari, ſeu longiori alio inſtrumento neſcio quid liquoris agitat, miſcetque; præterea ſtantes duo puelluli inſudant in prælo nobis ante hac ignotæ ſtructuræ, (quod utinam adſcribere & delineare hic potuiſſem,) qui duos malleos manibus ſtringunt, tundentes unus ex antica, ex poſtica alter teretes, & grandes cuneos, ſive aſſeres immiſſos inter tres latas craſſaſque tabulas ad orizontem ſitas, interque ſe parallelas, quas tabulas ægre & vi deſcendere cogunt per arctas rimulas duorum lignorum, quæ æque ſpiſſa ſunt, & terræ infixa, & erecta, donec illarum ternarum ultima arcte premat amygdalorum magnam ſtruem collectam in receptaculo cum canaliculo, unde amygdalinum oleum extractum defluit in vas inferne ſuppoſitum. Hanc picturam jam in æs affabre incidi curavit Rex providentiſſimus, cujus breve exemplar ipſe amicorum arte, & officio ab clariſſimo viro, qui Regis imperio eam gazam ſervat, expoſtulandum tentaveram, quo picturam legentium oculis apponerem: ille actutum interceſſit religionem ſuam objectans, & Regis interdicti auctoritatem oggerens id prohibentis. Igitur olim pharmacopolarum ars adeo ſollemnis erat, ut illa reſtionum, caligariorum, textorum, &c. utpote pictores æque viſendas exhibebant. Neque credas in ea parva pictura non olei amygdalini, ſed oleagini conficiendi modum expreſſum; quare fieri poteſt, ut Genii non ſint pharmacopolæ; nam contra eſt, Plinio docente olivam includendam fiſcinis ſub prælis, quas fiſcinas in pictura non intueris: lib. 15. cap. 1. *Olivam diligenter mundatam oportebit protinus in torcular deferri, & integram in fiſcinis novis includi, prælique ſubjici;* in pictura autem nihil fiſcinæ videre eſt. Norunt etiam medicorum filii olim uſum amygdalini olei invaluiſſe, licet ad ungendum dumtaxat, quod ex eodem Plin. lib. 26. c. 4. ſect. 10. p. 393. collegi. *Qui ita curantur, ſalſa lavari jubentur, ungi oleo amygdalino, hortenſiis abſtinere.*

XXVII. Quoniam autem Plinii meminimus, ejuſdem hiſtorici locum ſervavi lib. 34. cap. XI. quo ſententiæ meæ ajentis pharmacopolas exſtitiſſe, ab eiſque empta medicamina grande momentum addam. Conqueritur Plinius medicos, (licet pacem ab eiſdem petat,) ignorare medicamentorum nomina, & ſeplaſiis fidem præſtare, ideſt pharmacopolis; hos etiam adeo ab ſincero artis ſuæ miniſterio degeneres accuſat, ut omnia fraudibus corrumperent, tabeſque mercium venderent. Hinc planum eſt Plinii ætate a phar-

Digitized by Google

a pharmacopolis ſecundum juſsa medicorum ægrotantibus miniſtrata fuiſſe pharmaca; quorum ſane officinas ne dicas hujus hiſtorici ſæculo natas, cum legas tunc jam ab antiqua fide, atque arte eoſdem deſciviſse. Si autem hiſtoricus hic laudat veteres medentes, eo quod ipſi pharmaca parārent, neſcimus profecto an de Homerica tempeſtate, vel etiam de tenebricoſiore loquatur, cum jam ſuperne dictum ſit Ariſtophanem pharmacopolas, eorumque tabernas meminiſſe. Ceterum mea refert maxime circa Plinii ævum pharmacopolas viguiſſe, ut ſiſtam anaglyptum medentem oſtentare, qui medicamina ſcribit, quo ab eorum venditoribus ægrotantis familiares ea emerent, nam quin circiter id ætatis ſit ſcalptum, marmor nemo ambiget. Hæc, quæ adverti, certa habes ab ipſis Plinii verbis: *Atque hæc omnia medici, quod pace eorum dixiſſe liceat, ignorant, pars major & nomina: in tantum a conficiendis medicaminibus abſunt, quod eſſe proprium medicinæ ſolebat. Nunc quoties incidere in libellos, componere ex his volentes aliqua, hoc eſt experiri commentaria, credunt ſeplaſiæ omnia fraudibus corrumpenti. Jam quidem facta emplaſtra, ac collyria mercantur: tabeſque mercium, aut fraus ſeplaſiæ ſic exferitur.* Utinam hoc Plinii aliquanto longius κείμενον attentius lectitaſsent tum medicæ hiſtoriæ Scriptores, tum quotquot adhuc ſententiam tuentur enervem jam, & conſciſsam, medicos ægrotis pharmaca & paraſse, & ſecum tuliſse. Ad hæc, ſi rem preſſius advertiſsent, non ſolum primo Auguſtorum ſæculo φαρμακοπῶλας inveniſsent, verum ex Polluce lib. 7. c. 33. §. 196. 197. alias etiam tabernas, ad quas medicorum προστάγματα miſsiculabantur, ſcil. ad eas, in quibus verſabantur φαρμακοτρίβαι, σιλφιοπῶλαι, *balſama vendentes*, ῥιζοπῶλαι, *radicum venditores*, &c. quarum rerum medicarum officinas adhuc univerſas vigere cernimus; ita ut noſtrorum temporum medendi ratio antiquiſsimæ, ac beatioris ætatis Græcorum pediſsequa ſit atque adminiſtra.

Imo beatiori Reipub. ævo, ſcribente ſcil. comœdias Plauto, plurima proſtitiſſe φαρμακοπολεῖα Romæ in eo leges, quæ non ſemel Latiari vocabulo dicit *medicinas*, in Amphitr. act. 4. ſc. 1. init. inducitur Amphitruo quæritans Naucratem, & fere publicas omnes tabernas nomine ſuo donat:

Naucratem quem convenire volui, in navi non erat,
Neque domi, neque in Urbe invenio quemquam, qui illum viderit:
Nam omnis plateas perreptavi, gymnaſia, & myropolia,
Apud emporium, atque in macello, in palæſtra, atque in foro,
In medicinis, in tonſtrinis, apud omnis ædis ſacras:
Sum defeſſus quæritando, nuſquam invenio Naucratem.
Nunc domum ibo, &c.

Neque dicas *myropolia* eſſe tabernas pharmacopolarum, neque *medicinas*, ubi medici degebant, nam paullo ante dictum a me eſt ex Polluce myropolia longe quid alienum eſſe a φαρμακοπολείοις: quin Plautus ipſe ea diſcrimina-

Digitized by Google

minavit, in iis enim ait una unguenta veniisse, in Casina act. 2. sc. 3. v. 10.

Myropolas omnes sollicito, ubicumque est lepidum unguentum, ungor,
Ut illi placeam, & placeo, ut videor, &c.

Et quod in Amphitr. dixerat, idipsum recinit in Epid. act. 2. sc. 2. v. 12.

Age, si quid agis. Dii immortales, utinam conveniam domi
Periphanem! per omnem urbem sum defessus quærere,
Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque in foro,
Per myropolia, & lanienas circumque argentarias:
Rogitando sum raucus factus, pæne in cursu concidi.

Neque dubites, quin *medicina* sit *officina medicamentorum*, alias Latine non haberes vocem, quæ id genus tabernis responderet, cum Græce, ut notum est, sit φαρμακοπωλεῖον· & irascor Plauti interpretibus, qui pro luce hujus vocis *medicinas*, apposuere ἰατρεῖα, non vero φαρμακοπωλεῖα.

Demum servavi mihi Themistii locum orat. 15. pag. 385. an. 1618. vel or. 26. edit. Harduin. pag. 329. qui omnium apertissime pharmacopolarum causam tuetur, quos medicæ rei historici ab hominum societate deturbarunt, eosque sat apposite vocat τὲς τῶν ἰατρῶν ὑπηρέτας, *medicorum ministros;* cujus oratoris lectione in adolescentia me oblectari non piguit, quod ὁμηρικώτατον se jactat orat. 33. pag. 366. Πλάτωνι συωὼν τῷ θεσπεσίῳ, καὶ Ἀριστοτέλει συδιατρίβων, Ὁμήρου δὲ ἔχων δυσαπαλλάκτως, *cum divino Platone versor, cum Aristotele habito, ab Homero ægre divellor;* tum quia ejusdem magniloquentia implebat aures meas. Οὐ γὰρ δὴ ὅμοια φαίης ἂν πρὸς τὲς ῥήτορας ὑπομένειν, ὁποῖα πρὸς τὲς κιθαρίστας, καὶ τὲς αὐλητὰς οἱ λυροποιοὶ τὰ μὲν ὄργανα ἐκπονοῦσα, χρῆσθαι δὲ ἑτέροις ἐπιτρέπουσα τὸ ὄργανον τοῖς χρωμένοις· καὶ ὑπηρέτης ὁ μὲν χαλινοποιὸς τῷ ἱππέως, ὁ δὲ φαρμακοπώλης τῷ ἰατρῷ, ὁ δὲ ναυπηγὸς τῷ κυβερνήτου, *non enim opinor idem te erga rhetores suscepisse dixeris, quod lyræ opifices erga citharædos, ac tibicines faciunt, ut ipsa quidem instrumenta procudas, eorum tamen usum aliis artibus permittas; sic equitis minister est is, qui frænos facit, & pharmacopola minister medici, & gubernatoris navium fabricator.* Vides igitur Themistium pharmacopolis quasi æquam antiquitatem tribuere, ac frænorum, & navium fabricatoribus, quos ternos artifices esse jure dicit medicorum, equitum, & citharædorum ministros. Infrunitæ indolis arcesserem, qui reponeret pharmacopolas Themistii ævo, ineunte scil. vel medio quarto Christi sæculo, natos; seque rudem omnino præstaret, quantus vir fuerit Themistius, qui priscorum temporum & fabulas, atque historias omnium Scriptorum lectione didicerat. Atque haud scio, an posthac quis hiscere audeat, & olim medicos pharmaca etiam trivisse contendat; cum hic orator priscorum morum callentissimus, medicos ab pharmacopolis horum administris tam aperte distinguat separetque. Parum te detineam in his Themistii verbis, quæ ex Petavio, & Harduino exscripsi tum Græce, tum Latine, ac utrobique eadem reperi; verum Græca parum sibi constant, suntque ἀσύντακτα· itaque si binas litterulas re-

Digitized by Google

ficias, omne κείμενον decori ſuo reddes; pro ἐκποδίζουσα, & ἐπιτρέπουσα, quæ nullis nominibus ſociata tueor, repone ἐκποδίζουσοι, & ἐπιτρέπουσοι, ſcil. λυροποιοί· & vides hic multum humani paſſos duoviros Græce doctiſſimos.

Ceterum ſi tot Scriptorum valens auctoritas, quos ſimul hic æquo ordine contraxi, præter regiam picturam, non ſatis foret, ut in animi mentem inducas medicos ægrotis ſcripſiſſe medicamenta, & proinde neceſſum fuiſſe, ut publicæ pharmacorum tabernæ proſtarent, documentum locupletiſſimum eſſe jubeo hoc privum marmor, quod medicum πρόσταγμα ægroto ſcribentem exhibet; etenim ex quibuſdam ſilicibus exſcalptis pleroſque veterum mores, artes, & hiſtorias antea ignotas addidicimus; quare hoc unum monumentum id apprime evinceret, quod multis ad ſatietatem præſtare adniſi ſumus.

Cum igitur, ut unde abiit, oratio redeat, qui in ſaxo medicamina ſcribit, non tabellionis perſona fungatur, ſed medici, nihil officit ſententiæ meæ, qui bene multis argumentis tot Scriptorum auctoritate fultis oſtendere primus adlaboravi publica chirographa, & teſtamenta, & libros, ſeu volumina lignis, ceriſque nunquam commendata; contra vero quaſdam epiſtolas, aut res extemporales memoriæ cauſa ſtilo in cera exaratas: quod tantum abeſt, ut negaverim, quin potius longa auctorum ſerie probaverim: qua diſtinctione inducta maxima lux offunditur priſcis Scriptoribus, & qua poſthabita, omnem materiem ſcriptoriam in eiſdem confuſam, permixtam ac turbatam doleas. Hinc ſi ſenex in hoc marmore pugillari eboreo, vel tabellæ ceris illitæ medicamenta conſignet, utpote negotium ſubitarium, & paucis concipiendum verbis, nec publicæ cautionis ſyngrapha eſt, nihil prohibet, quo minus illa non atramento chartis medicus illinat, ſed in cerato ligno ſtilo exaret, quod facile domi reperire erat, cum non parvam tabellarum ejus generis vim olim exſtitiſſe oſtenderim, & ſexcentis exemplis pueros in ceris ſcribendi artem olim addidiciſſe præſtiterim, ut litteratos lapides taceam, a quibus *pugillariarios*, & *cerariorum collegia* novimus, ſcilicet eorum, qui ceratas tabellas affabre pararent, de quibus ſat multa in ſuperiori cap. congeſſi.

Reſtat, ut aperiam, cur imperatum ſit, ut artifex ægrotantem ſcalperet, quando id non tanti momenti res erat, neque valde populus id curabat; verum etiam tironibus notum eſt veteres vel in templis, vel in publicis locis vota & χαριστήρια appendere conſueſſe pro reciperata ſalute, ſculpto ſigno, vel depicta etiam Numinis alicujus ſervatoris & tutelæ imagine, ut in ſaxo noſtro vides Hygiam; relege ſupernos Juvenalis verſus pag. 133. ceteroſque poetas, veluti Tibull. lib. 1. el. 3. v. 13.

Harum porro votivarum tabellarum pro valetudine exempla in ſaxis litteratis pleraque omnia cuivis Deo, Deæque dedicatarum proſtare in inſcriptionum theſauris norunt tirones; unum hic adſcribam ex Græcis ſaxis, Latiaria vix curamus, votum Hygiæ, quo rem meam firmem, cui, utpote corruptiſſimo in Grut. LXVIII. 6. medelam faciam:

ΧΥΡΙΩ·

Digitized by Google

ΚΥΡΙΩ·ΑCΚΛΗ
ΠΙΩ·ΚΑΙ·ΥΓΙΗ
ΘΕΟΙC·ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΙC
ΜΑΡ·ΜΕΜ·ΛΟΝ
ΓΟC·ΒΕΝΕΦ·ΕΥΧΗC
ΧΑΡΙΝ·ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Vides igitur ſollemne fuiſſe Hygiæ ſcriptos lapides, & monumenta erigi; fortaſſe huic noſtro ſilici Græcum epigramma adjacebat, nam elegantiæ plenus eſt. Sane quiſque ſtatim hæret in monſtroſa voce BENEΦ. eam reſtituendam reor ſine periculo ΕΠΕΛΕΥ. ſcilicet επελεύθερος, *libertus*, quam nominibus id genus hominum adjectam ſemper legere eſt; cumque primum E detritum eſſet, exſcripſere ignariſſimi vocem, quæ ad Latiarem potius vergit. Verum nodus eſt in ſuperiori επικκεχοις, ab ipſo Grutero, forſan conficta, nam Seiglerus, a quo epigraphe exſcripta eſt, legerat ΕΠΙ· ΟΙΚΟΙΟΙC, quæ longe diſtat ab ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΙC. Sane in ſaxo exſculptum fuiſſe mecum jures rogo, ΕΠΗΚΟΟΙC, *exaudientibus*, etenim in ejus generis votivis ſaxis hoc ἐπιθετὸν frequens adjicitur, ut ex ipſo Gruter. XL. 10.

ΘΕΑ·ΕΠΙΚΟΩ
ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΑΥΛΙΔΙ·ΣΩΤΕΙΡΙ
ΑΥΡ·ΕΛΠΙΝΕΙΚΗ

Hoc etiam aliquantulum affectum epigramma ita reficiendum curavit Philip. D'Orvillius in Chariton. p. 168. quo Græce doctiorem adhuc novi neminem:

ΘΕΑΙ·ΕΠΗΚΟΩΙ
ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΛΥΣΙΔΙ·ΣΩΤΕΙΡΗΙ
ΑΥΡ·ΕΛΠΙΝΕΙΚΗ

Inde hæc adnotat vir ſummus: *Diana* ΛΥΣΙΣ *a ſolvendo partu, & partus doloribus: Bacchus* Λύσιος *alia de cauſa celebratur Orpheo hymnis p.* 146. *Nam fruſtra cogitaverimus de Diana, quæ in oppido Aulide Iphigenian, cerva ſuppoſita, liberavit.* Verum ipſe tanti viri pace pro ΑΥΛΙΔΙ, uti reſtituit Gruterus, (non curandus Boiſſardus, qui legerat ΑΥΛΙΙ,) reponerem ΚΑΙ ΙΣΙΔΙ, ita ut marmor dedicatum ſit binis Deabus, Dianæ, & Iſidi, quam quidem Iſidem non vice ſimplici cum

Digitized by Google

aliis Diis conjunctam legimus in lapidibus, Grut. LXXXIV. 1. cum *Serapide*, *Vesta*, *Diana*, *Somno*, ut de ceteris fileam. Præterea vox ΛΥΣΙΣ nunc primum inter Græcas cernitur; & si Dianæ a solvendo partu nomen apponendum, potius dicerem ΛΥΣΙΑ, uti Bacchus λύσιος audit. Neque hæsites in voce ΘΕΑΙ, cum si sint duo numina, scalpendum fuisset ΘΕΑΙΣ, etenim habes in Gruter. L. 8. DEO MERCVRIO. FORTVNAE. REDVCI, &c. ubi vides DEO, pro DIIS, & non uni sunt id genus syntaxeos scripti lapides; Fortuna autem Dea salutatur, Gruter. LXXIII. 6. Quare parum dubii est, quin incisum fuerit ΚΑΙ ΙΣΙΔΙ, & priori Κ detrito, enatæ sunt deinde voces importunæ.

Porro ad adjunctum ἐπήκοος redeundum; affert ibid. doctiss. D'Orvillius silicem ex Muratorio XXXV. 3. ubi etiam scalpta est vox ΕΥΑΚΟΟΣ, quæ etiam Dianæ tribuitur, & juxta est, ac ἐπήκοος,

ΑΡΧΟΝΙΚΑ · ΖΑΥΛΩ
ΚΑΙ ΑΕΣΣΑ ΑΝΑΖΩΣΑ
ΑΡΤΕΜΙΔΙ ΕΥΑΚΟΩΙ
ΕΥΞΑΜΕΝΑ ΥΠΕΡ
ΕΑΥΤΑΝ ΕΥΧΑΝ

Vides igitur quam familiare est Diis hoc adjunctum ἐπήκοος, sive ἀκήκοος, quare jure a me inductum est in epigrammate Æsculapii, & Hygiæ τὸ ἐπικεκλοις, & adjectum τὸ ἐπηκόοις. Hic etiam parum D'Orvillio resistendum est, dum ita hunc alterum lapidem illustrat: *Non contendo veritatem me daturum; a vero fonte tamen non plane aberrarim vertens* ARCHONICE, ZAVLO, ET AESSA REVIVENTES ARTEMIDI FACILE EXAVDIENTI, QVAE VOVERANT SVPER SALVTE SVA VOTVM: *editur* αυτ' αυτας: *forte duæ, vel tres puerperæ simul voverunt, vel votum solverunt . . . . Dualis autem pro plurali non plane extra usum;* parum, inquam, resistendum D'Orvillio, nam hic certo ternæ sunt mulierculæ *Archonice*, *Zaulo*, & *Aessa:* neque ulla necessitate urgemur numerum δυικὸν agnoscere, cujus syntaxeos etiam exemplis in marmoribus caremus, & quæ duriusculam reddit, ne dicam obscuram epigraphen; quare si litterulam Ι, (quæ utpote exilior ceteris elementis exscribentium oculos facile effugit, & prima omnium ætatis vitio deteritur,) addas vocibus αναζωσα, & ἀξαμενα, & rescribas αναζωσαι, & ἀξαμεναι, epigramma in γνησιότητα restituetur, præsertim cum πληθυντικὸς numerus sequatur υπερ εαυταν, vel potius υπερ των αυταν, nam editum est υπερ αυτ' αυτας, quod nihili est.

Præterea reperi hanc vocem ἐπήκοον revera Deorum esse ἐπιθετὸν, nam ita salutatam fuisse Venerem apud Chalcedonios legere est in Hesychio: Ἐπήκοος, Ἀφροδίτη ἐν Καρχηδονίοις, (potius Χαλκηδονίοις, uti probat

Digitized by Google

bat Albertus;) sed hic summus vir in admirandis in hunc grammaticum adnotationibus nihil de voce ἐπήκοος adjeciſſe miror; mirorque magis D'Orvillio, quem pauca admodum fugerunt, hunc Heſychii locum latuiſſe. Hinc multa lux eſt parvæ Chriſtianorum tabellæ ex lapide hæmatite etiam votivæ, in qua ſcalptum vides Chriſtum ſervatorem boni paſtoris habitu in antica, in poſtica vero parte inelegantibus elementis inciſa ſunt ΑΓΑΘΗ ΗΝΑΚΟΗΘΗ, conſule libellum, *Diſſertazione di Paolo Paciaudi intorno ad un' antica iſcrizione:* quæ quidem reor vertenda, *Agatha minime exaudita eſt;* Superi igitur, ſi votis minime annuiſſent, audiebant ἀνήκοοι, cui voci altera ſcil. ἐπήκοοι opponitur. Ex hac tabella, quam inter rariſſimas haberi jubeo, nunc primum novimus priſcorum Chriſtianorum ſanctiſſimos mores, & divinæ poteſtati obſequentiſſimos, qui etiamſi eorum deſideriis Deus minime obſecundaſſet, quaſi ſi jam beneficium accepiſſent, tabellarum vota ſolvebant; nunc adeo a veteri vivendi ſanctimonia atque elegantia deſcivimus, ut niſi optatis honeſtemur, & votorum compotes facti ſimus, nec vota libentes ſuſpendimus, nec ulla poſteris monumenta relinquimus. Demum ex eodem ſacro hæmatite præterea didicimus formulam, qua Chriſtiani vel in pictis, vel in ſcalptis tabellis pro votis ſolvendis utebantur, ſcil. ΑΓΑΘΗ ΕΠΗΚΟΗΘΗ *Agatha exaudita eſt*, & contra ΑΓΑΘΗ ΗΝΑΚΟΗΘΗ, *Agatha non exaudita eſt:* nunc in ejus generis formula homines adeo βαρβαρίζειν, ut commemineſſe animus fugiat.

Verum, ut unde divertimus, redeamus, reſtitue igitur nullo periculo in epigraphe Æſculapii, atque Hygiæ vocem Deorum propriam ΕΠΗΚΟΟΙΣ, atque inducendam jubeo ΕΠΙΚΟΥΡΟΙΣ. Neque poſthac dubites, quin marmor noſtrum huic Æſculapii filiæ, ſanitatis numini pro votiva tabella, quam Deam ΕΠΗΚΟΟΝ quis expertus ſit, exſculpendum curaverit.

Dicas porro etiam ſaxum noſtrum affixum fuiſſe pro votiva tabella, eſtque ceteris elegantius, cum in eo medicus deſideat, moremque, qui hodiedum quoque viget, ab antiquis acceptum intueamur: etenim in tabulis votivis noſtrorum templorum depictis, vel ſculptis, ſi quis Sanctorum ope ac fide in ſanitatem reſtitutus ſit, medicum propter decumbentem conformare ſollemne ſervat.

Atque novi me ſatis diu te in illuſtrando hoc marmore patienter detinuiſſe, nec ſtetiſſe in deſponſæ ab initio brevitatis fide, verum hominibus rei præſtantiâ & novitas in ſcribendo adventitiæ varietatis copiam facile ſubminiſtrat. Ceterum ſi quis poſt tot auctoritatum vim adhucdum de medicis pharmaca ægrotanti ſcribentibus, deque priſcis pharmacopolis addubitet, ſciat ſat mihi fuiſſe litem intentaſſe, ac dubiam ſaltem feciſſe, ſi me minime compoſuiſſe præfracte contendat. Verum mihi animus ſuggerit cordatiores homines, qui non recentium Scriptorum opinionibus abripi patiuntur, neque eorum partes fovent, ſed res litte-

Digitized by Google

litterarias ſola veritate metiuntur, æquos bonoſque accepturos ea, quæ pro pharmacopolis, & medicorum προσ-άγμασι clariſſima documenta ætas antiqua mihi ſuppeditavit; rerum enim antiquarum ſcientiam reputandum eſt non tam parum incolumi fama, & nuperorum Scriptorum rumore, quam veterum auctoritate, & monumentis ſtare.

Unum dumtaxat mihi reliquum, ut moneam in hoc ſilice ſcalptum eſſe Latinum, non Græcum medentem, quippe qui ſtilo in tabella πρόσ-ταγμα præſcribat, cum ex ſane multis, quæ ſuperne corrogata ſunt, hanc politiſſimam gentem γραφικὰ ligna omnino ignoraſſe conſtet, atque in quovis ſcriptionis argumento unos papyros adhibuiſſe. Profecto, ſi ſors tulerit, ut marmor, vel pictura Græcanici medici ſcribentis in lucem prodeat, chartas calamo ipſum illinentem cerneres. Atque hæc ſatis de atramentaria juriſconſultorum, & medicorum ſcribendi ratione, quæ antehac vel confuſa, & permixta, vel ignota, & recentiorum Scriptorum mendaciis, atque oſcitantiis, veluti per manum traditis ſqualere querebantur omnes: ſi vero ab doctis utriuſque muneris hominibus, qui plurimi, & maximi in ampliſſima hac urbe ad ceterarum invidiam florent, probentur, ab eiſdem impetrare vellem, ut qualeſcunque haſce curas, cum ipſe neque medicus ſaluter, neque jureconſultus, ſuis cultioribus & elegantioribus ſtudiis juvent augeantque.

CAPUT VII.

De pluribus vaſculi atramenti nominibus collectis ab Hebræis, Græcis, & Latinis Scriptoribus.

I. *De nomine ejus vaſculi quidam vel dubitarunt, quos inter cl. Mazochius, vel omnino negarunt.* II. *Apud Hebræos fuit* קסרת הספר *ex Ezech. Cur oi LXX. verterunt* zona ſapphiri. *Error veterum, & recentiorum Scriptorum in voce* κεστός, *quæ* cingulum *non eſt in Hom. in ea decepti Plutar. Lucian. Martial. &c.* ceſtus *etiam in lapidib. Ejus etymon Hebræum.* III. *Vox* קסרת *torſit Hieron. & Origenem. Jo. Clericus reprehenditur. Ea Hebræa* ῥῆσις *prona intellectu eſt, etiam ex iis, quæ in Græcum, & Latiarem ſermonem derivantur. Vera notio vocabulorum* κίστη, *&* ciſta *antehac incerta. Error Voſſii deducentis ab* כיס. *Panelio dica.* IV. *Querelæ de Hieronymiana interpretatione, Grotii, Origenis, & paraphr. Chaldæi* ἀβλεψία. V. *Non pœnitenda ex Moſis libris pro luce vocis* קסרת. *Maſoretharum* σφάλμα. *Vatablo, & Buxtorfio reſiſtitur.* VI. *Caſauboni auctoritas elevatur falſo verſus Machonis ad Ezechielem illuſtrandum detorquentis. Quid* ἐξαρτάω. *Delecambius reprehenditur, & fides Aug. Calmetio deſideratur.* VII. *Machonis verſus in ſeptenis locis etiam quoad* προσῳδίαν *reſtituuntur. Ætas hujus poetæ veſtigatur. Diræ in puncta vocalia a Maſorethis inducta.* VIII. *Bene multa ex poetis Græca hujus organi ſcriptorii vocabula. Non unæ voces Græcanicæ illuſtrantur: quid* μίλαν σατρόν, *&*

χρό-

Digitized by Google

χρόνιον, vel potius χρονικόν. Versus Paulli Silentiarii affectissimus sanatur, ubi ἄντρον pro ἄντλον. IX. *Nomina atramentariorum ex Græcis, qui in prorso sermone scripsere. Ἀλειπήριον voci obscurissimæ vera lux: est* atramentarium, *non γραφεῖον, uti definit Hesychius. H. Stephanus, Vossius, Hemsterhusius, & Albertus notantur.* X. *Quid διφθεράλειφ⊙. Certum etymon vocis* littera, &c. Ἀλείπτης, doctor *ab* אלוף: *querelæ de Jo. Alberto.* XI. *Firmatur etiam ex Aquila nomen hujus σκλαρίας: ejus viri laudes.* XII. *Demum nomen hujus vasculi ex Latinis, scil.* theca calamaria, *quam habes ex Sueton. cujus verba satis implexa longiori commentario explanantur.* XIII. *Vox* comes *in Suet. idem ac* pædagogus, *scil.* morum magister, *quod antehac ignotum, nunc multa exemplorum vi stabilitur: plures doctiss. interpretes notantur.* XIV. *Salmasio διάγνωσις hujus vocis latuit, necnon Drakenborchio.* XV. *Multæ leges pro notione* comitis *illustrantur. Quid* frequentare *in Labeone: Ulpiano, & Bynkersoechio repugnatur.* XVI. *Nummi, & lapis Herculanenses illustrantur. Matthæi Ægyptii eruditio ἀπροσδιόνυσ⊙. Quid* comes *in martyrum actis. Hæc notio* comitis *ab Homero nata.* XVII. Pædagogus *idem, ac* comes, *vox honestatis plena ex Græcis Scriptoribus.* XVIII. *Quare Clem. Alexandrinus libros inscripserit* Παιδαγωγός. *Epistolis Paulli nova lux.* XIX. *Apud Latinos idipsum valere* pædagogus *prolixa auctorum serie ostenditur. Longe differt a* ludimagistro. *Lingolius reprehenditur.* XX. *Adstipulatur Justinianus, cujus lex restituitur. Conjurant etiam silices litterati.* XXI. *Quid* pædagogium. *Factum male ab Salmasio, & cæteris, qui pro* ludimagistro, *sive* pedante *interpretati sunt.* XXII. *Hinc jure* theca calamaria *apud Suet. est* atramentarium. XXIII. Thecam calamariam *pro nostro vasculo habes etiam ex Martiali, cujus versui paullo audacior medela: & ex Amm. Marcellino.* XXIV. *Pro eadem ῥήσει testis locuples Concil. Chalcedonense. Facciolatus, & Trotzius de hoc vocabulo male meriti.*

I. NUNQUAM mihi pœnitendum, quod satis diu, tanquam visco jure prudentum ceræ inhæserim, in qua abradenda scio me nimium operæ triviſſe; verum ratus sum atramenti causam enixe peragendam, quo illud in veterem possessionem immitteretur. Iterum autem Hebræis, Græcisque gratulandum est, qui neque tabulas, neque ceras unquam pro scriptionis materie ne τροπικῶς quidem usurparunt: e contrario Latiares viri adeo rem γραφικὴν fictis inversisque vocabulis onerarunt, ut scribendi instrumenta adhuc incerta haberentur, nisi si τὸ μέλαν veluti ab exsilio restituissem, atque universis gentibus ἰδιωτικὸν & sollemne fuisse quæsitis undique documentis præstitissem. Porro si post tot Scriptorum apparationem & fidem, quos ipse invisi, Judæos, Ægyptios, Græcos, Latinosque ab incorrupta temporum antiquitate chartas ac membranas atramento illeviſſe testatissimum fecerim, id in atri liquoris vasculo coercuisse sane quam necesse fuit, quod cum primis apud Hebræos קסת הספר, apud Græcos μελανοδοχεῖον, & apud boni ævi Romanos *thecam calamariam* vocitatum esse multis palam facere aggredior. Quare concludendum est totum hoc atramentarium negotium eo spectare, ut quod vulgo dictum usque adhuc temporis est & ab ἀρχαιολόγοις, & juris interpretibus, veteres scil. stilo in tabulis cera obsitis scriptitasse, ab animi mente omnino excutiamus; sed quæ scripserunt antiquæ ætatis sapientes cum primis Hebræi, Græci-

que

Digitized by Google

que, calamis in vaſculo atro liquore oppleto tinctis vel papyris, vel membranis mandaſſe. Reſtat nunc, ut aperiam, an, ſicuti atramentum, & chartas in veteribus omnium gentium voluminibus ſcrutati ſumus, etiam ejus liquoris *thecæ* nomenclaturam apud trium linguarum Scriptores veſtigare valeam; quo huic noſtro elaboratiſſimo, & Rege digno vaſculo grandius decus & pretium increſcat.

Verum mihi ſemper mirum futurum eſt, cur bene multi, qui omnem rem γραφικὴν doctis commentariis honeſtarunt, non modo negotium atramentarium vix delibarunt, verum etiam hujus liquoris vaſculi in eorum doctis lucubrationibus ne vocem quidem ipſam commeminere; adeo *triſtes ceræ eorum lumina obſcurarunt*; quos inter, videtur etiam omnium poſtremus Mazochius ὁ πλωγεὺς accenſendus, vide epiſt. quam in hujus operis προλεγομ. habes, qui arte adeo ancipiti hujus vaſculi partes ſuſcepit, ut, ſæpius ſummi viri verbis perlectis, adhuc ab eo quæreres, an & vaſcula atramenti, eorumque nomen exſtiterint. Porro mea magni intereſt in hoc cap. VII. excuſſis Hebræis voluminibus, & non unis Græcis, Latiniſque, quæ in horum triplici ἰδιώματα antiqua, & γνήσια ejus vaſculi nomina ſcrutari potis fui, in lucem proferre; & ab Hebræis & Latinis privam nomenclaturam, a Græcis, quorum librorum quaſi ſarcina urimur, non pauca ejuſdem σκιαγρ. nomina exſpectes. Neque te turbet rei anguſtæ, & veluti parvi pendendæ argumentum, etenim antiquiorum Scriptorum elegantibus documentis extollam, & Græca luce potiſſimum tetrum & obſcurum atramentarium negotium offundam; & propterea quod novum eſt, futurum reor, ut te invitet oblectetque.

II. Itaque Hebræi primum conſulendi mihi fuere, & in Ezech. cap. 9. v. 2. 3. 11. ter, ut notum eſt, vox *atramentarium* ab Hieronymo appoſita legitur; video Hebræam ῥῆσιν, utpote ἅπαξ λεγομένην, valde quam ſollicitari; & interpretes, ut unicuique lubuit, illam converterunt, quod fere ſemper obvenit vocabulis, quæ ſemel in ſanctis voluminibus inſcripta ſunt: *Vir quoque unus in medio eorum veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris ad renes ejus.... Et dixit Dominus ad eum... ſigna thau ſuper frontes virorum gementium.... & reſpondit verbum dicens, feci quod præcepiſti.* Verba קסת הספר, *atramentarium ſcriptoris* ſcio a Chaldæis verſa eſſe פנקס ספרא, *tabula ſcriptoris:* quibus adſtipulatur Origenes to. 3. p. 424. legitque etiam πιναξίδιον γραφέως ἔχων ἐπὶ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ. Septuaginta viri omnia turbarunt, & quæ Propheta non dixerat, appoſuerunt, καὶ ζώνη σαπφείρου ἐπὶ ὀσφύος αὐτοῦ, *& zona ſapphiri in lumbo ejus;* certe pro הספר, *ſcriba*, lectitarunt הספיר, *ſapphirus;* verum vocem קסת pro notione *zonæ* traxerunt verba *ſapphirus*, & *linteis indutus*, quippe קסת ignotæ erat eiſdem notionis vocula. Verum re attentius excuſſa, viſum eſt τοῖς LXX. credidiſſe vocem קסת, utpote quam ſemel inſpexerint in ſanctis voluminibus, valere idipſum, ac celebratiſſimam

ῥῆσιν

ῥῆσιν Homericam κεστός, *ceſtus*, *zona*, *cingulum*, nam in utraque lingua ſunt eadem στοιχεῖα ἄφωνα · inde pro ſententiæ fulcimento τὸ ספר, *ſcriba*, immutarunt in ספיר, *ſapphirus*, nil exputantes virum lineis veſtitum haud potuiſſe τῇ *zona ſapphiri tingere*, ſive *ſignare frontem virorum gementium*. Hic pro re nata communi errato tum veterum, tum recentiorum Scriptorum conſulendum, qui, Homerica voce κεστός Il. ξ. v. 214. prave intellecta, ne ipſis quidem LXX. interpretibus exceptis, (ſi modo Homerum noverant,) pro *zona* accepere, cum purum ἐπιθετόν ſit, quod a ſummo vate plerumque τῷ ἱμάντι, *cingulo*, adjicitur, & κεστὸς ἱμάς, verterem *affabre-ſcalptus balteus*, uti ſcholiaſtæ, & fortaſſe non male, interpretati ſunt ἀπὸ τοῦ πολυκόλπητον εἶναι τοὺς ῥαφοὺς, dummodo verum ſit pullulare ab κόλτειν · præſertim cum Heſychius κεστόν explicet διακεκευτημένον. Neque dubitandum, quin κεστὸς non ſit *cingulum*, *zona* in Hom. ſed adjunctum τῷ ἱμάντῳ, nam Il. γ. v. 371. vocat πολύκεστον ἱμάντα, ideſt ſecundum Scholiaſten πολύῤῥαφον.

Hinc mecum te miraturum reor apud poſterioris ævi Scriptores κεστὸς vim adjuncti depoſuiſſe, atque notionem etiam immutaſſe; cumque valeret ſolummodo affabre *interpunctus*, vel *ſcalptus*, neſcio qua μεταμορφώσει evaſerit *cingulum*, *zona*, adeo inficete ab Homeri mente deſcitum eſt! Itaque Plutarchus de audien. poet. dum de hoc Junonis κεστῷ ἱμάντι loquitur, (quem divinus vates graphice more ſuo deſcribit,) ἁπλῶς vocat κεστόν, poſthabita omnino voce ἱμάντα, quam uſque Homerus apponit: verba Plutar. Τὸν τ' Ἥρας καλλωπισμὸν ἐπὶ τ Δία, ἢ τὴν περὶ τ κεστὸν γοητείαν. Idipſum feciſſe Lucianum doleo in Dearum judicio pag. 372. ut Nazianzenum in Julian. orat. 1. p. 229. ceteroſque taceam. Iraſcor Polluci, quod onomaſtico ſuo hanc vocem κεστὸς Homericam oblitus ſit illinere. In eundem ſcopulum impegere Latiares Scriptores, queis *ceſtus* etiam eſt *cingulum*, dum de Veneris κεστῷ ἱμάντι eiſdem ſermo eſt, de quo tam mira canit Hom. laudata Il. ξ. exemplo ſit Martial. lib. 6. ep. 13.

Ut Martis revocetur amor, ſummique Tonantis,
A te Juno petat ceſtos, & ipſa Venus:

non me pœnitet Martialem in ejus ῥήσεως Homericæ interpretatione ſiniſtrorſum abiiſſe, qui ſæpe pro deridiculo & oblectamento divini vatis carminibus abutitur. Contra piget me Statium συμπολίτην noſtrum Theb. 3. v. 283. dum ἐνεργητικῶς more ſuo furialem quendam *ceſtum* deſcribit, communi ἀβλεψίᾳ abreptum, uti etiam Minucium Felicem p. 206. Quin ſi voces *inceſtus*, *inceſtare*, &c. ab *ceſtus* enatæ ſint, quod mihi apprime ſedet, iraſceris ſanæ caſtiſsimæ Latinitatis Scriptores fuiſſe ab Homeri mente in his etiam ῥήσεσι longe degeneres.

Adde id vocabulum Latinos beatiori Julii Cæſ. ætate ratos eſſe dignum marmoribus, Gruter. CCXXV. 3. adeo communis error in eorum animis inſederat, & radices fixerat!

Digitized by Google

DIVO·IVLIO
LIB·IVL·EBORA
OB ILLIVS·INMVN·ET·MVN
LIBERALITATEM
EX·D·DD

QVOIVS·DEDICATIONE
CESTVM·MATRONAE
DONVM·TVLERVNT
VENERI·GENETRICI

Ignoro ſiquidem, cur Gruterus de hujus epigrammatis antiquitate ambigat, cum in ipſo inviſam illius ſæculi concinnitatem, & quæ ad hiſtoriam pertinent, rata eſſe deprehendam; fortaſſe quid acuminis olfecit in primis verſibus, quos ita legas, *Liberalitas Julia Ebora ob illius in municipium, & municipes liberalitatem*, quod vocum repetitarum ſtudium, niſi ſit illiberale, ſed ſponte fluat, uti in hoc epigrammate, etiam aliquando amavit Cicero. De *Ebora municipio* in nummis quoque cognomento *Liberalitas Julia* vide Harduin. de Num. pop. & urb. Neque dumtaxat vox Homerica κεστός Græcos, Latinoſque decepit, verum & Chaldæos, qui ab ea cuderunt ſuas קשט, *ornavit*, ſive *cinxit*, & קשוט, *ornamentum*, vel *zona*, quæ ad ornandum inſervit. Et miror Voſſium eduxiſſe ῥῆσιν Latiarem *caſtus* ab hac Chaldæa קשט, quando potius Chaldæi ſuam ab Latina coagmentarunt, præſertim cum recentior ſit, neque in ſanctis libris Chaldæa διαλέκτῳ ſcriptis invenire ſit, & ſæpe dictum eſt eam gentem ab Græcanica, Latinaque lingua voces bene multas ſuffuratam eſſe.

Nullus igitur dubius ſum, quin a me oſtenſum ſit, cur viri LXX. in Ezech. pro *theca ſcriptoris* illeverint *zona ſapphiri*; crediderant enim oblivioſi קסת, dictionem ἅπαξ λεγομένῳ, valuiſſe *ceſtus*, cum ſint eadem prorſus elementa. Optaſſem, ut tot antiquiſsimi interpretes, doctiſsimique ſapientioris noſtræ ætatis viri, qui hunc Ezech. locum illuſtrare adniſi ſunt, hoc τῶν LXX. παρόραμα advertiſſent. Interea conquerendum mihi eſt Scriptores omnes Homeri filios in quovis ἰδιώματι in voce κεστός a tanto parente degeneres longe deſciviſſe. Contra gratulor divino vati, quod non vice ſimplici in his atramentariis curis vocabulorum ſuorum veram διάγνωσιν reſtituendi ſollicitudo mihi ſit, majoremque futuram σὺν Θεῷ in Puteolanæ regionis diu, & locorum adjacentium elaborata deſcriptione ſpondeo.

v. Verum ſermo redeat ad Ezechielis ῥῆσιν קסת, a qua οἱ LXX. deturbaverant. Commendandi ſane Theodotio, & Aquila, qui ſanctam ſerva-

Digitized by Google

varunt, ſcil. κάσυ, ſive κάσω loquor de prima Aquilæ ἐκδόσει, nam in altera appoſitum erat μελανοδοχεῖον. Hieronymo hic aqua hæſit Hebræos quaſi magiſtros conſulendos rato, qui id ſibi accidiſſe narrat: *Quodque Aquilæ prima editio, & Theodotio dixerant κάσυ, pro quo in Hebræo legitur* קסת. *Cum ab Hebræo quærerem, quid Hebraica vox* קסת *ſignificaret, reſpondit mihi Græco ſermone appellari* καλαμάριον, *ab eo quod illo calami recondantur; nos atramentarium, ex eo quod atramentum habeat, dicimus. Multi ſignificantius thecas vocant, ab eo quod thecæ ſint ſcribentium calamorum.* Miror S. Hieronymum in ſententia fuiſſe ævi ſui Hebræos ſanctæ linguæ ἰδιῶμα optime calluiſſe; & quis ferat τὸ καλαμάριον Græce audire? miror magis Joan. Clericum minima quæque Hieronymo καίρως ἀκαίρως, ſemper autem inurbane objectantem, id non vidiſſe. Idipſum ab Hebræo ſe expoſtulaſſe brevius narrat Origenes to. 3. p. 424. Οὐδὲν γὰρ ἡγοῦμαι σημαίνεσθαι παρ' Ἕλλησι ἐκ τοῦ κάσω φωνῆς· τῶν Ἑβραίων τις ἔλεγε τὸ καλούμενον καλαμάριον, *nihil autem puto apud Græcos ſignificari vocabulo* κάσω· *Hebræus quidam dicebat: eſt id quod vocatur calamarium.*

Verum ea vox non tam tenebricoſa eſt, ut Hebræo doctore indigeat, cum & ex ipſo verborum Ezechielis contextu, & ex συμπλοκῇ bini vocabuli קסת הספר, atque ex iis potiſsimum, quæ in Græcanicam, ac Latialem linguam ab voce קסת derivata ſunt, facile dignoſcamus eſſe *vaſculum ſcriptionis*, ceteraque interpretamenta vel detorta, vel ἀπροσδιόνυτα, præſertim noſtri ævi eruditorum; inſtar omnium ſit Trotzius pag. 68. in Hugonem, qui fortaſſe Hebræi ſermonis ἄμυσος turbat omnia, convertitque *graphii vaginam*, ſive *graphiariam thecam*. Etenim Deus juſsit virum illum lineis indutum ſignare τὸ *thau*, ſeu inſcribere illud T, σῆμα μωσηλῶδες in frontibus virorum: qui profecto neque *tabula*, aut *zona*, neque alio quovis inſtrumento τὸ thau pingere potuiſſet, multo minus ferreo γραφείῳ inſcalpere inſtar Romanorum ſervitiorum, nam frontem Hebræorum immerito vulneraſſet; quare ὄργανον illud lumbis inhærens eſſe oportuit μελανοδοχεῖον, tum quia major turba interpretum pro eo vaſculo conjurant, tum quia vulgo illo utimur, ubi ſcribendum ſit; neque fingi poteſt, quo alio inſtrumento in frontibus virorum gementium ille indutus lineis τὸ *thau* depinxiſſet. Si autem Ezechiel vocem תוה, *ſignare*, non vero ספר, *ſcribere*, appoſuit, κυμωτάτως locutus eſt, non enim *ſcribere* dicitur, ſed *ſignare*, qui unicum tantummodo σῆμα T depingit: ceterum in eo capite paullo ante legimus etiam ſollemnem ῥῆσιν ספר, ut de *ſcriptione* nihil dubitemus.

Præterea ſi vocabulum, quod in ambas linguas Græcam, Latinamque ab קסת derivatum eſt, inſpiciamus, certo firmabitur Prophetam de atramentario vaſculo locutum; quin luculentiſsime ejus vocis obſcura notio ſe prodet, quæ crucem fixit tum veteribus interpretibus, qui de ea Rabbinos ἀλαζονείκας plenos conſuluere, tum recentiores doctiſsimos quoſque turbavit. Ab ipſa ſiquidem primigenia nata eſt Græce κίστη, & Latine *ciſta*;

Digitized by Google

quod non vidit Voſſ. in etym. qui hanc vocem extorquet ab Hebræo כים *marſupium*, *crumena*; peccatque tum in ſignificatione, tùm eo quod כים ultimo deficit elemento; קסרת vero terna ſervat incolumia στοιχεῖα ἄφωνα, quorum unum ſi deſit, laboraret etymon; qui apud bonum Suidam τ' κίστης originationem quæret, riſum tenere haud potis erit. Si autem κίστης veriorem διάγνωσιν veſtiges, grammaticorum æternam litem componi facile poſſe reor, interque ſe tandem Pollucem, Heſychium, & Suidam amice conciliari, ut tot ſcholiaſtas miſſos faciam, concertantes opſoniorum eſſe tantummodo receptaculum, hunc veſtium, illum armorum, &c. vide Henr. Steph. lexicon, & Jungermannum in Pollucem lib. x. 136. ſi dicamus hanc Græcam vocem, Romanamque adnotare cujuſcumque materiei inſtrumentum, ſeu vas, quo quidvis reponi poſſit & concludi, ejuſque privæ ſignificationis rationem ab adjunctis determinari, idque ſexcentis uſibus inſervire; & neminem fugit horum γενικῶν vocabulorum exempla ſanequam plurima in utraque lingua proſtare, & ſolummodo ὑπὸ τῶν ἐπιθετῶν ea, quæ connotant, docemur; quare non ſemel reperies κίστη ὀψοφόρων, κίστη δείπνου, βρώματος, ἱματίου, χλαμύδος, ξίφους, κίστα φαρμακοπωλῶν: & apud Juvenal. *ciſta libellorum*; Plin. *ciſta ſuffragiorum*; Petron. cap. 94. *theca novacularum*, & cap. 39. *theca repoſitorii*. Quis vero ignorat Plauti ciſtellulam crepundiorum, unde nomen comœdiæ *Ciſtellaria?* Demum quod mihi ſat arridet, in Anthologia κίστη μελανδόχος, *vas atramentarium*: Miror ſane Alexandrum Xaverium Panelium Soc. Jeſu, qui in doctiſs. libello edito Lugd. 1734. de *nummis ciſtophoris* præclara ſatis collegit, de originatione vocis *ciſtæ* iſthæc illeviſſe: *Arduum omnino eſſe, ac plerumque impoſſibile rationem ſubjicere derivationis plurium nominum, quæ ſolo linguarum omnium ſupremo judice invaluerunt uſu.* Verum non tam arduum fuiſſet vocem κίστη, *ciſta* ab קסרת arceſſere, quare ab Panelio nulla fuit mihi lux. Cum igitur *ciſta* tum Græce, tum Latine *thecæ* cujuſcunque nomen ſit ἀόριστον, idque nunc negare animi infruniti eſt, etiam vox קסרת, *theca*, in poſterum γενικῶς audiet, ab ſolo προσθετῷ definienda; cumque ei appoſitum ſit הספר, enodate dignoſcitur, cui uſui addicta, nempe *ſcriptioni*; quare accomodatius verterem *vas ſcriptorium*, (Hebræo more *vas ſcriptionis*, non *ſcriptoris*, ſicuti *vaſa iræ*, *mortis*, &c.) quocum vir lineis indutus frontem gementium ſignarat, id eſt *atramentario*, nam quodvis aliud ὄργανον fingas, minime aptum eſſet, ut & ab *lumbis pendeat*, & quo *frontes tingantur*.

IV. Conqueri autem me jure poſſem de Hieronymiana περιττολογίᾳ, qui vertit *atramentarium ſcriptoris*, ſatis ſuperque fuiſſet ſolummodo prima vox, vel pro ea, *vas*, vel *theca ſcriptoris* dixiſſe, cum קסרת *atramentarium* vere non ſit, ſed *ciſta*, vel *arcula*, ab pone ſequenti ῥήτει τῇ הספר determinata atque probe ὡρισμένη, & τὸ *ſcriptoris* omnino παρέλκει, cum nemo ignoret atramentarium ἴδιον ſcribarum inſtrumentum eſſe: exemplum proferam ex ſecunda Aquilæ editione, ubi legere erat

vocem

Digitized by Google

vocem unicam μελανοδοχεῖον, neque adjectum erat τῦ γραφέως · contra vero ab ignoto & γενικῷ vocabulo κάστυ minime illud τῦ γραφέως diſſociarunt; imo Hebræus ille magiſter Hieronymo interroganti minime repoſuit, καλαμάριον τῦ γραφέως, ſed unice καλαμάριον. Paraphraſtes vero Chaldæus perquam longius deſcivit ab vera notione ejus vocis קסרת, atque ex arbitrio vertit פנקס, *tabula*, ab Græcis vocabulum mutuatus, πίναξ, commutavitque ſolummodo elementa, vocemque retinuit. Eccui non mirum ſit Grotium orientalium linguarum ſcientiſſimum adſerere Chaldæum interpretem accepiſſe קסרת pro *calamario*, ſive *atramentario*, cum פנקס longe quam diverſum ſit? fortaſſe virum ſummum latuerat idem eſſe, ac Græce πίναξ, ſed revera e Chaldæo fonte fluere ratus eſt communi opinione abreptus, cum purum vocabulum Græcanicum ſit. Haud ſcio, an idipſum etiam Origenem tranſverſum egerit, qui, uti paullo ante dictum eſt, vocem ſanctam קסרת reddidit haud bona fide, πινακίδιον.

v. Fortaſſe plerique multi ſatis eſſe exputant, quæ de voce קסרת a me in lucem tracta ſunt, verum mihi ipſe non adhuc ſatisfeci; pigebat ſiquidem vocabuli hujus calamariæ thecæ ab Ezechiele dedicati in Moſe veſtigium non inveniſſe; etenim rebar, ſi eam ῥῆσιν in hoc propheta, & Scriptorum omnium principe legerem, majus decus nanciſci Hebræum hujus vaſculi nomen. Porro lectitanti mihi quina Moſis volumina non raro ſe objecit vox קשורת in πληθυντικῷ numero in notione ſolummodo vaſculorum, & Græci, Latinique interpretes pro *thuris receptaculis* accepere, iiſdemque elementis conſtat, atque illa Ezechielis קסרת, niſi quod στοιχεῖον ס in germaniſſimum ש converſum vides; & ne te multis obtundam, binos Moſis locos oſtendam, nempe Exod. 25. 29. atque ibid. 37. 16. Moſique addere licet Paralipomenωn Scriptorem 28. 17. qui priſca Hebræorum geſta contraxit: atque ubique קשורת nomen eſt quorundam ſacrorum vaſorum, cum immixtum legas inter *acetabula*, *phialas*, *cyathos ex auro*; an revera ea vox *thuribula*, &, ut LXX. verterunt, αἱ θυϊσκαι valeat, parum, aut nihil intereſt mea: quærant id Ἑβραϊσταὶ me doctiores, ſi modo norint Græca, vel Latina nomina Hebræis vaſculis imponere. Mihi ſiquidem ſat reor in originatione Moſaicam hanc vocem in γενικῇ *receptaculi* notione eſſe, quo cognata ῥῆσις קסרת Ezechielis ſanctiorem & vetuſtiſſimam originem jactet; quam deinde junctam τῷ הספר etiam atque etiam firmem eſſe *thecæ calamariæ* nomen, quod apud Hebræos, qui ingenita ſimplicitate in dictionibus utebantur, *vas ſcriptionis* dicebatur.

Hic autem quoſdam rogatos vellem, qui ex parvis quibuſdam lexicis Hebræarum vim vocum penſitant, ne mihi moleſti ſint atque obſtrepent radicem vocis קשורת figi in קשר; hinc in binis elementis ab קסרת, quæ Ezechielis eſt, abeſſet; quare illius vocabuli canities Moſi coæva elevaretur: contra enim reponam vocem קשר ab Maſorethis confictam, tamquam ſi a bona matre oriatur ἀμέτως prodes קשורת in plurativo numero; verum hos rudioris ævi linguæ ſanctæ magiſtros non adeo colendos

cre-

Digitized by Google

credas, ut in eorundem verba jurandum sit; qui cum legerint in numero multitudinis קשות, cuderunt veluti ἀναλογικῶς radicem קשה, quam in sanctis libris nunquam reperies; atque hodiedum tirones norunt τὸ קשות educi etiam posse ab קשה, quæ vox, licet secundum ἀναλογίαν produceret in plur. קשתות, attamen Hebræis sollemne fuit dictiones in ת cadentes ea litterula mutilare; hinc עטרת *corona*, עטרות *coronæ*, Zacch. 6. 11. non vero עטרתות: sic etiam a מכרת *venditio*, fit מכרות, Gen. 49. 5. *conventiones*: להבת, *flamma*, Psal. 29. 7. להבות *flammæ*; addam hanc mutilationem fieri etiam in adjectivis nominibus, veluti אדמדמת *subrubicunda*, plur. אדמדמות, Levit. 13. 37. & sexcenta id genus, de quibus adisis Grammaticos, piget me inter has notissimas gerras versari. Vides igitur quantæ vetustatis sit ea vox קשת, sive קסת *cista*, *theca*, *vasculum*, sive, *cujuscumque rei receptaculum*, quæ, ab Ezechiele תֹּ֫ספר adjecto, *organum atramenti* evasit. Oblitus plane eram prohibere, quominus summo viro Vatablo fidem præstes ajenti קשות significare *opercula*, *quibus thus tegebatur*; verum unde hanc notionem ejus vocis deprompserit, minime indicat. Mox ipse Valtonus adjicit: *Qui magni nominis est apud Hebræos dicit hanc vocem significare calamos per medium sectos, qui inter panes poni solebant, ut ingrederetur ventus inter ipsos panes, ne mucidi efficerentur*; attamen a Buxtorfio didici, qui hasce meras nugas effudit, fuisse R. Salomonem; quis autem in tanta Hebræarum litterarum luce Rabbinorum commenta atque inanias curet? & miror duoviros linguæ sanctæ consultissimos eas exscripsisse. Atque tandem satis de hac Hebræa voce intime mihi cara, quam antehac omnes, licet summi pretii sit, postferendam rati sunt.

VI. Peccarem sane, si (ut omnem lucem huic Ezech. loco feram) oblivisscerer Casauboni animadversionem in Athenæum pag. 875. qui nescio qua ἀβλεψία Machonis versus ad Ezechielis sententiam detorquet:

Λαΐδα λέγουσι τὴν Κορινθίαν ποτὲ
Εὐριπίδου ἰδοῦσαν ἐν κήπῳ τινὶ
Πινακίδα, καὶ γραφεῖον ἐξηρτημένον
Ἔχοντ', ἀπόκεινται, φησὶν, ὦ ποιητά, μοι,
Τί βουλόμενος ἔγραψας ἐν τραγῳδίᾳ,
Ἔῤῥ' αἰσχροποιέ. Καταπλαγεὶς δ' Εὐριπίδης
Τὴν τόλμαν αὐτῆς, σὺ γὰρ εἶναι τὶς, ἔφη, δοκεῖς
Αἰσχροποιός· Ἢ δ' ὃς γελάσασ' ἀπεκρίθη,
Τί δ' αἰσχρὸν, εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ.

Et quidem terno versui isthæc apposuit vir summus Casaubonus, postquam verterit: *habentem tabellam in manibus, & thecam atramentariam appensam: sive de zona pendentem; quod hodie fit a recoctis formulariis, qui scribendi vascula cingulo appensa gestant: idipsum & olim factum legimus: testis est Machon, & Ezechiel.* Vides jam vocem ἐξηρτημένον Casaubonum decepisse, utpote quæ est duplicis notionis ab verbo ἐξαρτάω

Digitized by Google

τάω enata, quod est *appendo*, aut *adnecto*, ille statim primæ se addixit, vertitque *appensam*; quare si transfundas Græca: *Libellum, & calamum* (libello) *adnexum habentem*, Machonis versus longe abest ab Ezechielis sententia, ad eamque illustrandam nihil confert. Neque de ea interpretatione dubites: etenim mulier Lais viderat Euripidem jam scripsisse tragœdiam; nam interrogavit τί ἔγραψας; *quid scripsisti?* igitur libellum jam tragicus clauserat, eique, ut moris est, calamum ἐξάρτησε, *innexuit:* nemo quippe scribentium appendit γραφεῖον, *calamum*, a lumbis; quare ut Casaubonus legentibus imponeret, γραφεῖον transtulit satis inconcinne *thecam atramentariam*. Delecambium vertentem hunc versum non moror: *Euripide in horto conspecto, qui tabulas & stilum paratum haberet*, eo quod ἐξηρτήμενον ab ἐξάρω eduxisse visus est. P. Calmetio lampadem tradidit Casaubonus, qui hunc versum in comment. in Ezech. profert, quo morem gestandi calamarias thecas ab zona appensas firmet; verum in duobus peccat, tum quia Casauboni haud meminit, tum quia versum illum duobus σφάλμασι turpem exscripsit, & metrum violavit turbavitque, nisi in culpa sint Parisienses typographi. Constat igitur his Machonis versibus nihil commune inesse cum Ezechielis verbis; & quisque mirabitur viros doctissimos aliquanto inconsiderantius ad prophetiam hanc illustrandam iis abusos esse; pigetque me advertisse non semel, aut iterum Græcorum Scriptorum locos importune pro sanctorum voluminum luce commentariis adscriptos.

VII. Hic autem te parum resistere jubeo, donec novenos hujus comici versus, quos nobis servavit Athenæus, affectissimos sanem, & sententiam, quam bigam virorum τῶν πάνυ Delecambium, & Casaubonum minime adsecutos doleo: in iis enim vel προσῳδία laborat, vel aliqua syllaba desideratur. Porro in quarto pro ἀπόκεισαι rescribe ἀπόκεισε, etenim in prima voce penultima producitur, quam inibi non fert metrum; in septimo vides non loco suo vocem εἶναι, cum vel jambus, vel tribrachys pes requiratur; octavus una syllaba initio claudicat; de prosodia postremi versiculi nihil conqueror; verum, uti jacent verba, in eorum sententia Davus sum. Itaque adlaboratum est mihi, ut in septenis locis omne carmen tum sententiæ, tum metri in integritatem restituerem: litteras autem quas immutavi, vel loco suo voculas reposui, stellula adnotandas curavi:

Λαΐδα λέγουσι τὴν Κορινθίαν ποτὲ
Εὐριπίδῃ ἰδοῦσαν ἐν κήπῳ τινὶ
Πινακίδα, ᾗ γραφεῖον ἐξηρτημένον
Ἔχοντ', * ἀπόκεισε, φησὶν, ὦ ποιητά μοι,
Τί βυλόμενος ἔγραψας ἐν τραγῳδίᾳ;
Ἔ"ῤῥ" αἰσχροποιέ. Κατεπλαγεὶς δ' Εὐριπίδης
Τὴν τόλμαν αὐτῆς· σὺ γάρ, * ἔφη, * γ' εἶναι δοκεῖς
* Τὶς αἰσχροποιός. Ἡδὲ γελάσασ' ἀπεκρίθη,
* Τό δ' αἰσχρὸν, εἰ μὴ τοῖσι * χρώμενος * δοκῇς.

Quæ

Quæ ita vertit Delecambius lib. 13. cap. 5. pag. 582.

Laidem narrant aliquando Corinthiam
Euripide in horto conspecto, qui tabulas, & stilum paratum
Haberet, eum sic fuisse allocutam: quidnam, poeta,
Cogitasti, cum scriberes in tragœdia?
Abi in malam crucem, αἰχροποιέ. Attonitus Euripides
Ob ejus audaciam, & tu porro, inquit, videris
Agere turpia. Respondit illa subridens,
Ecquid vero turpe est, nisi qui utuntur, sic putent.

Vides in extimo versu nil nisi verba illitum, quæ nullam claudunt sententiam.

Ut autem Machonis mentem adsequaris, scias in eo Athenæi libro dipnosophistas lepidas non unas narratiunculas cœnæ ex poetis præsertim corrogatas immiscuisse solummodo ab honesto viro legendas; quas inter habes Laidis notissimæ magnorum hominum ἐρασ-είας procacitatem; hæc enim Euripidem intuita *stultum*, αἰχροποιόν compellavit: ira percitus Tragicus, veluti sceleśti, & furciferi nomine salutatus (αἰχροποιός vox dubiæ notionis est,) mulieri eadem maledicta rependit; quæ hilaris subito, ac subridens reposuit obscurum & satis ancipitem versum: Τό δ' αἰχρὸν, εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοισ δοκῇς, *hoc sane malum, ac stultum, nisi* (τοῖσι) *quæ tibi sors offert, uti noveris;* quis enim ignorat, non omnibus licuisse adire Corinthum? Quod salacissimum responsum ab comico non tam aperte expressum in causa fuit, ut Delecambius, & Casaubonus procacis mulierculæ sententiam adsecuti non sint, & verba Latiaria sibi non adhærentia illeverint. Si vero quis fastidiosissimus hanc multarum vocum medelam audacem prædicet, neque se salax Laidis responsum, quod ipse ab extremo versu traxi, se clare invisere obganniat; primum quidem reponam me vix pauca φωνοέντα στοιχεῖα immutasse, & privam vocem εἶναι in locum suum restituisse, ad id metri necessitate urgente; deinde, nisi quid hilaritatis plenum, & quod animum commessantium concuteret, in eo versiculo inesset, frigidulum colloquentis Laidis cum Euripide negotium dipnosophista recitasset.

Scio quid molestiæ mihi creari in duplici voce Machonis πινακίδα, καὶ γραφεῖον, ita ut quis me falsum traducat, quod veteres Græcos in tabulis stilo scriptitasse penitus cap. IV. negaverim, cum sat antiquioris ætatis comicus hic Euripidi scribenti γραφικὸν ferrum, & lignum tribuat; Sane hujus comici auctoritas in eo cap. mihi elevanda fuisset, verum ratus sum hic opportunius, quid de Machone, ejusque ætate sentiam, paucis aperiendum. Exputo te meminisse multa exemplorum vi in eo cap. IV. num. IV. V. VI. VII. me ostendisse cultioris ætatis Græcanicos Scriptores nunquam voce πινάκιον pro re scripta abusos esse, sed dumtaxat, qui cum Romanis victitaverunt, objectisque abunde etiam responsum esse. Hinc Machon, quoniam voces πινακίδα, & γραφεῖον meminit, certo con-

clu-

Digitized by Google

cludas ipsum ab Romanensibus Scriptoribus, aut ab eorundem colloquiis eas voces mutuatum esse: atque id apprime firmatur, eo quod veteres dramatici, comicique vates bina ea vocabula nunquam adhibuere; sed quoties scriptionis meminerunt, voce δέλτος, *papyrus*, eos abusos ubique lectitas. Quare Machonem circa Ptolemæi Evergetis tempore vixisse Joan. Fabricius Bibl. Gr. to. 1. p. 767. in verba Jonsii jurans credat, non ego; sane si ducentis ante Augustum annis Machon floruisset, procul dubio neque πινακίδα, neque γραφεῖον in notione scribendi illevisset, quas voces illi ætati suppares Scriptores nunquam usurpasse satis superque cap. IV. testatum fecimus. Sed veluti atramentarii Ezechielis obliti late aberravimus.

His animadversis, constat Ezechielem in viro illo lineis induto, & atramentario, seu κυλικωτέρως cista, vel theca calamaria ornato, quo σῆμα, sive T frontibus hominum inscriberet, clare ejus organi sanctum nomen nobis servasse: evanidas Origenem, ac Hieronymum, reliquosque interpretes pro vocis קסרת intelligentia molestias venditasse, veramque Hebræi vocabuli νόησιν nunc primum nos eruisse; quod non arduum sane fuit, abrasis Masorethicis, quæ vocitant, punctis primigeniam sanctamque linguam fœde deturpantibus, quæ utinam utpote barbarica, & insipientis sæculi nugamenta, vel melius apicum monstra longe hinc gentium deportentur, ne per difficultatem, & discentium desperationem ejus linguæ disciplina paullatim exolescat. Tandem nobis gratulamur Regii hujus vasculi, de quo hæc qualiacumque commentamur, nomen e sanctis libris extraxisse, ut ab atramentaria scriptione diuturnam, atque ingenitam obscuritatem detergamus.

VIII. Age ad Græca nomina hujus γραφικῆ vasculi vestiganda aggrediar, quorum plura, quam rebar, invenire satis fui; nam Græci Scriptores ditissimam rerum omnium & verborum nobis segetem semper sufficiunt. Et quidem, si superius ostensum sit eos solummodo τὸ μέλαν in scribendo trivisse, sane quidem τὸ σκεῦος, quo liquorem illum coercebant, commune & vulgare iisdem fuisse oportuit. Philippus ἐπιγραμματογράφος, (quem Fr. Vavassorius in lib. de epigr. c. 16. bonis conjecturis Augusto σύγχρονον facit,) in Anthologiæ lib. 6. tit. Ταχυγράφων, terna confecit epigrammata, primum quidem hujus Philippi nomine honestatur, quarto vero, & quinto nescio cur ἄδηλον appositum sit, cum ejusdem poetæ ingenium præseferant, atque unus idemque Callimenes ταχυγράφος illorum argumentum sit. In epigr. 4. v. 9. legimus:

Καὶ κίστην πολυώπα, μελανδόκον, εἰν ἑνὶ πάντα
Εὐγραφέως τέχνης ὄργανα ῥυόμενος
Ἑρμῇ Καλλιμένης,
Et thecam multarum facierum, atramentum-continentem, uno verbo, omnia
Bene-scribendi artis instrumenta colligens
Mercurio Callimenes (dedicat.)

Digitized by Google

Quare mutavi ῥυομένῳ in ῥύομεσθ᾽, uti corruptissime legitur, alias epigrammati non ineleganti nulla inesset sententia, vide in fine cap. VIII. ubi septena hæc carmina, pluribus erroribus librariorum detersis, multa luce donabo. De voce κίστη satis multa nuper commentatus sum: de vocabulo πολυώψ, quod ab Hebræa propagine derivavi, valoremque vestigavi initio cap. 2. n. 4. 5. & 6. etiam stuporem grammaticorum, & interpretum demiratus sum permiscentium simul πολυωπὸς vocem Homericam, quæ reti tribuitur, cum πολυώψ, quod ἐπιθετὸν regii nostri atramentarii certam propriamque præsefert notam. Vides igitur Augusti tempore exstitisse hujus vasculi nomen, scil. κίστη μελανδόκη, voces pro quovis atramentario, si addas πολυώψ, nostrum elegantis figuræ graphice describes. Haud mihi oblivisenda est H. Stephani quædam ἀντιλογία in voce μέλαν adserentis κίστιον μελανδόκον esse *atramentarium*, *sive arculam pro atramento recipiendo*; mox veluti sui immemor in voce κίστη inquit: *In epigramm. dicitur cista, seu arcula scriptoria, in qua atramentum, calami, cultellus, pulviscul*us, *calculi, & similia suas habent veluti cellulas*; fefellit virum Græce doctissimum vocabulum πολυώψ, quod valere credidit *multiforus*, quare *foramina* appellavit *cellulas*; & κίστη, quæ solum τὸ μέλαν excipiebat, ideo dicta in eo epigram. μελανδόκη, evasit *arca*, & *omnium σκευῶν γραφικῶν receptaculum*, etiam *pulviscul*i veteribus in re scriptoria ignotissimi, ut de *calculis* sileam: imo in ejus doctissimo Lexico piget me vocem πολυώψ desiderari.

Præterea in ejusdem ævi epigrammate quinto legimus dici idem vasculum μέλανθ᾽ σταθερὸν δοχήιον, vulgo vertunt, *atramenti stabilis receptaculum*; quid sibi velit μέλαν σταθερόν, omnino me fugit; nam *firmum*, & *spissum* atramentum exsecratur Persius sat. 3. v. 12. *Queritur crassus calamo quod pendeat humor*; σταθερὸν autem *firmum*, *stabile* alienum ἐπιθετὸν est ab liquore, quo ταχυγράφοι utuntur; igitur ut brevis sim, & vocem affectam sanem, pro σταθερὸν veterem germanamque reponam, scil. σαθερὸν, vel σαθρὸν μέλανθ᾽ δοχήιον, *vas atramenti concocti & vieti*, quo adjuncto nihil appositius; etenim τὸ μέλαν, nisi tempestivum sit, & computrescat, vel litteræ evanidæ pinguntur, vel maculas & tabem, ut ait Horat. calami in chartis deponunt; quo optimum sit, oportet, ut matureſcat, quod Græci κυεῖν dicunt σαθρᾶσθαι, *marcescere*, unde σαθρὸς· quam vocem suavis quis amanuensis, utpote non consuetæ notionis, in σταθερὸς sibi familiarem oscitanter invertit. Nostram hanc divinationem veriorem facit Paullus Silentiarius, qui laudat τὸ μέλαν, dummodo sit χρόνιον, i. e. *tempestivum*, *vetus*, epigr. 3. Ne dubites, quin χρόνιον appositum τῷ μέλανι, valeat *antiquum*, *putre*, *vietum*, quo scribendo aptius sit, nam idipsum ἐπιθετὸν reperi adjectum unguentis, quæ, quo magis tempestiva sunt, eo flagrantiorem vim exserunt: hinc Athenæus lib. 15. cap. 13. ex Alexide laudat unguentum χρονικὸν, quod idem esse, ac χρόνιον vel Græcissantes tirones norunt: Οὐ γὰρ ἐμυείζετ᾽ ἐξ ἀλαβάστρε πρᾶγμά τι γιγνόμενον

ἀεὶ

ἀεὶ χρονικόν, κ.τ.λ. *non enim ungebat ex alabaſtro, deprompta unguentaria re, quæ eſſet ſemper antiqua*, &c. vereor, ut Alexis illeverit χρόνιον, quæ γνησιωτέρα vox eſt, & librarii in notiorem mutarunt χρονικόν· & vides hanc vocem χρόνιος, aut χρονικὸς liquorum propriam.

Meminit etiam atramentarii epigramma ſecundum, quod, utpote ἄδηλον, fortaſſe antiquius Philippo eſt: illud vas Menedemus ſcriba obtulit Mercurio. de more, Καὶ γραφικοῖο δοχεῖα κελαινοτάτοιο ῥείθρου, *& ſcriptorii vaſcula nigerrimi fluenti*; nimis audax τὸ ῥεῖθρον pro liquore, præſertim cum Hom. & Heſiod. *torrentibus* eam vocem addixerint. Et ne ab Anthologia diſcedam, in epigr. 6. Julianus Ægypti præfectus ſub Juſtino atramentarium μετονυμικῶς vocat τὸ μέλαν, ut ex totius epigrammatis contextu clare eruitur; & melius mentem ſuam aperit in 7. idem Julianus, qui Philodemi vaſculum, quod ἁπλῶς appellaverat μέλαν, appoſite nuncupat ἄγγος μελανδόκον, *vas atramentum excipiens*.

Demum Paullus Silentiarius ſub Juſtiniano in epigr. 3. de ejuſdem Philodemi ſcriptorio organo ita canit: Καὶ χρόνιον γλυπτοῖσι μέλαν πεφυλάγμενον ἄντροις, quod vulgus interpretum vertit: *& diu ſculptis atramentum ſervatum in vaſculis*: quis unquam ferret eo uſque ὑπερβολικῶς loquentem poetam, ut vas, quantævis molis ſit, ἄντρον vocitet? riſum movet præterea interpres, qui antri horrore perculſus in contrarium impegit, atque ἄντρον vertit ὑποκορισικῶς *vaſculum*; quare ut Silentiarii famæ conſultum irem, vocem haud dubiam & priſcam reſtitui, nim. ἄντλον, *vas*, a poſterioribus exſcriptoribus immutatam, tanquam monſtroſam, vel præpoſteram, ſententiam minime curantibus, & pro ea exaratum eſt ἄντρον. Ceterum Silentiarius appoſite deſcribens hoc Philodemi κειμήλιον, & vocans ἄντλον γλυπτὸν φύλαττον μέλαν χρόνιον, *vaſculum inſculptum ſervans atramentum vetus*, docet moris antiqui fuiſſe id genus vaſcula icunculis honeſtandi; bonamque lucem affert huic regio noſtro μελανοδοχείῳ elegantibus imagunculis γλυπτῷ, & πολυώπι. Verum de vocabulis γλυπτός, & ἄντλος ſat multa ediſſerui in cap. 2. hujus lib. Denique χρόνιον γλυπτοῖσι, Latine *diu ſculptis* nauſeam creat, cum τὸ χρόνιον proverbium non ſit, ſed perquam appoſitum προσθετόν atramenti. Me autem piget ſeptena hæc ταχυγράφων epigrammata neque Stephanum, neque Grotium in Latinum transfudiſſe, nihil dubii eſt, quin tantam errorum labem, quibus unuſquiſque pæne verſus nunc ſcatet, deterſiſſent: imo ipſum lemma ἀπὸ ταχυγράφων caſtigatione non caret; nihil enim in eiſdem de celeritate ſcribarum; potius inſcriberem, ἀπὸ καλλιγράφων.

Nullam mihi opem ſuffecit exemplar horum carminum ex membranis Vaticanis exſcriptum, quod mihi amicorum humaniſſimus Joſeph Aſſemanius πολύγλωττος, & πολυμαθέστατος expetenti miſerat; etenim præter antiqua σφάλματα (utor ἐκδόσει Manutiana) recentia etiam adjecta vidi. Nemo me reprehendat, ſi iraſcendum reor Hugoni, Funcio, & cum primis Trotzio, qui longiſſima quæque de ſcribis commentatus eſt, trium-

Digitized by Google

viris de re ſcriptoria egregie meritis, quos ſeptena hæc epigrammata penitus latuerunt; illa ſane ſatis fuiſſent ad omnem veterum γραφικὸν morem apprime illuſtrandum; & quæ veluti ſeptena aſtra illorum opera ceteroqui laborioſa multiplici decore adſperſiſſent; id genus indiligentia an venia digna ſit, cogitent alii. Mihi vero hæc carmina ſummo adjumento fuere; etenim plus lucis noſtro μελανοδοχείῳ ab iis mutuatus ſum, quam a ceteris omnibus Græcanicis monumentis: ac fortaſſe, ſi triumviri illi Anthologiam inviſiſſent, quæſitiſſima de his vaſculis in lucem protuliſſent, neque ipſe rem calamariam dedicaſſem. Hic autem nullus mihi temperare poſſum, quin advertam ταχυγράφους inter plurima Mercurio oblata artis ſuæ organa, neque ceras, neque ſtilum, neque tabulas appendiſſe, ſed illa ſolummodo, quæ ad atramentariam ſcriptionem ſpectabant; qui ceratas tabellas ſi adhibuiſſent, profecto inter reliqua γραφικὰ inſtrumenta adnumeraſſent. Quare firmius & ſanctius momentum accedet ſententiæ meæ ajentis veteres in communi ſcribendi uſu τὸ μέλαν celebraſſe.

IX. Neque poetæ dumtaxat nomen hujus vaſculi nobis ſervarunt, ſed & qui prorſo ſermone ſcripſere; primas agere debet Pollux, qui lib. x. cap. 14. circ. fin. de inſtrumentis ad ſcribendum poſt multa enumerat μέλαν, μελανοδόχον, καλάμους, ſcribendum fortaſſe μελανοδοχεῖον, quæ ſolemnis eſt ratio, in quam hæc τῶν σκευῶν nomina cadunt; niſi ἁδιαφόρως accipiendum, uti Latine *atramentarium*. Non abs re erit Polluci Heſychium adſociare, licet longe deterioris notæ ſit grammaticus; hic etenim definit: Ἀλειπτήριον, γραφεῖον Κύπριοι, mox: Διφθεράλοιφος, γραμματοδιδάσκαλος παρὰ Κυπρίοις: contra Pollux ἀλειπτήριον dicit *partem balnei*: H. Stephanum ne cures, vide in indice, qui omnium obſcuriſſime eam vocem indicaſſe viſus eſt: neque If. Voſſium dicentem, ἀλειπτήριον, *an palimpſeſtus?* Hemſterhuiſius in adnotat. in Pollucem pag. 1214. in Heſychii verba jurat, aitque ἀλειπτήριον eſſe γραφεῖον, & quod tanto viro indignum reor, aſſeverat ludimagiſtros vocari διφθεραλοίφους ab Cypriis, eo quod *in obductis cera pellibus litteras effingerent*, (in quam etiam ἀβλεψίαν tractum lego virum Græce ſapientiſſimum Jo. Albertum Hemſterhuiſii verba hæc laudantem;) in diuturnum & vulgare erratum raptus; neque vidit, quam ἀπροσδιόνυτον ſit *cera pelles ungere*, & γραφείῳ ἀλείφειν, quis enim dicat *ſtilo illinere?* ἀλείφειν enim, ut cuncti norunt, proprium atramenti eſt in re ſcriptoria: & Voſſius etym. voce *aliptes* inquit, ἀλείφειν *convenit liquidis, quibus aliquid perfundimus*.

Ceterum mixta hæc omnia & turbata facile ſecernam & componam, ſi Heſychianum ἀλειπτήριον, ſive ἀλειπτήριον eſſe dicam non γραφεῖον, ſed idem ac μελανοδοχεῖον, *atramentarium*, quæ licet nova, vera eſt hujus vocabuli notio, atque lexicis appingenda. Neque ullius pretii eſt Heſychii auctoritas definientis eſſe γραφεῖον, cuique nota ſunt, quæcumque de hujus lexicographi ῥαδιουργίᾳ clariſſimi viri adnotarunt, vid. Bibl. Gr. Fabrit. to. 4. p. 549. præſertim conſulendus Jo. Albertus in præfat. pag. IV. admi-

Digitized by Google

admirandæ posteris editionis hujus grammatici, in qua, *quanta vulnera hic passus sit*, commemorat: symbolam etiam ipse conferre possem de Homericis vocibus, in quarum bene paucis divini vatis mentem Hesychium assecutum vidi. Et profecto nomina in ηριον decidentia, vel locorum sunt, uti ἀγοραστήριον, locus olim in nostra Neapolis urbe, qua de voce lib. 3. quædam non poenitenda addam: δικαστήριον, *tribunal*: φυτάλιήριον, *seminarium*: vel sunt vasculorum, velut κληρωτήριον, *sortilegium*, seu *arcula, in quam sortes injiciuntur*; ita prorsus ἀλειπτήριον *vas, quo ungimur*; hoc autem si ad chartas, vel membranas tingendas pertinet, uti certe accipit Hesychius, nam etiam διφθεράλοιφος ei est διδάσκαλος, fatearis oportet idem esse ἀλειπτήριον, ac *atramentariam thecam*; sicuti in balneis est *vas unguentarium*. Mea autem hujus vocabuli interpretatio valde quam firmatur ex eo, quod etiam ἐμβάφιον est τῦ μέλανος receptaculum, testibus Vossio in etym. in *ater*, & Salmasio in Solinum pag. 265. qui utinam unde excerpsere, me docuissent: Henr. Stephanus γενικῶς se habet, ἐμβάφιον, *vas quo intingitur*. Igitur si utraque ῥῆσις & ἀλειπτήριον, & ἐμβάφιον, ab eo quod tingendi liquorem coerceant, id nomenclaturæ nanciscantur, & ἀλείφειν & βάπτειν idipsum valere notum sit, culpa non caret Hesychius, qui ἀλειπτήριον appellavit γραφεῖον pro μελανοδοχείῳ.

x. Neque mirum sit Cyprios ab levidensi actu inficiendi chartas suos διδασκάλους vocitasse διφθεραλοίφους, cum eos etiam Græci politiores imitati sint, uti Plutarchus in Pericle: τῶν πολιτικῶν ἀλείπτης καὶ διδάσκαλος· Latinique, qui servorum instar Græcos sectari studuere, ab ῥήματι τῷ *linere*, honestissimas voces in linguam suam derivarunt, scil. *litteras*, *litteratus*, *litteratissimus*, & Horatianum illud sæpius repetitum, *illinere chartis*; atque in posterum ratum certumque est etymon & originatio vocis *littera*. Scio te aliter didicisse a magno viro Mazochio deducente τὸ *littera* ab Hebr. לוץ, in Dipt. Quirin. pag. 39. qui ita docte definit.: *Quin LITTERÆ sint ita dictæ, quod sint sermonis interpretes, nim. ab Hebr. rad.* לוץ, lut, *quod in hiphil V mutatur in I*, & interpretari *significat, adhibito in fine Tyrrhenico rhotacismo*. Ceterum multa sibi concedenda optat Mazochius, ut a *lutz*, (non vero *lut*,) vox *littera* fruticet; quin ipse me docuit, cum ejus ἀκροάτης essem, ut לוץ, quod est *deridere*, notet *interpretari*, & *interpres*, præponendum ei dictioni aliud elementum, hinc sæpe in Mose מליץ, *interpres*, & מליצה *interpretatio*; quare, si hoc verum dicas, longe στοιχεῖα τῦ *littera* distarent ab מליץ, vel מליצה. Præterea haud satis sum, ut intelligam, quo pacto litteræ *sermonis*, & *loquelæ sint interpretes*, cum potius eas nos interpretemur. Si vero quæras, quodnam sit characterum officium, novi ex antiquis Scriptoribus aperte edicentibus esse vocem, quæ πτερόεντα ubique audit, *figere* ac *firmare*; hinc apposite cecinit Lucanus *Phœnices primi, famæ si credimus, ausi MANSURAM rudibus vocem signare figuris*. Et in Anthol. lib. 6. edit. Manut. ep. 6. περὶ ταχυγράφων, scribendi instrumenta, & cum primis τὸ μέλαν dicun-

dicuntur συπτήματα φωνῆς, vox a σύφω, *figo;* qua de voce satis malemeriti sunt librarii, vide quæ in fine seq. cap. in hoc epigram. a me adnotata sunt. Igitur tanti viri pace alia quærenda est τῆ *littera* originatio, quam ab Hebræis.

Animus mihi nunc opportune suggerit Græcos, Cyprioſque ipsos, qui ab ἀλείφειν nomina *doctorum* & *magistrorum* traxere, nequaquam opus ipsum imbuendi δίφθερας respexisse, sed potius, cum rumor vocis Hebrææ אלף, & אלוף, *docuit*, & *doctor* ad ipsos incaluerit, ab hac sanctiori propagine ῥήσεις derivasse ἀλείπτης, ideſt διδάσκαλος, & ἀλειπτήριον, ceteraſque id notionis; quod asserere non ausim, licet eadem videas tam Græca, quam Hebræa στοιχεῖα: etenim non admodum indulgendum est hujus generis verborum divinationi, neque omnino postferendæ hæ orientis gazæ, ne doctissimorum virorum vigiliis odium creemus. Demum non parum Hesychio debemus, qui veterrimam Græcocypriam vasculi atramentarii vocem ἀλειπτήριον asservavit, ab ea remotiori tempestate, qua non adhuc inducta δασέα elementa, & qua ἀλείπω, non ἀλείφω audiebatur, teste eodem Hemsterhuisio ibid. qui sane perperam scripsit Cyprios in scriptionis usu stilos ceraſque trivisse, nos contra eisdem antiquum τὸ μέλαν, sicuti ceteris omnibus Græciæ gentibus restituimus. Utinam Albertus Hebrææ, & Græcæ linguæ scientissimus in ἐκδόσει Hesychii, quam Lexicorum omnium nitidissimam concinnavit, vocem ἀλειπτήριον meliori commentario decorasset, sane mihi id laboris non reliquisset!

XI. Præterea non est obliviscenda Aquilæ auctoritas, qui קסרת הספר Ezechielis in altera ἐκδόσει, sive in secundis curis, scilicet postquam Hebræam vocem diu excussisset, transfudit in μελανοδοχεῖον: is profecto sub Hadriano vixit, & fortasse imperatoris socer, vel affinis (πενθερίδης) quando scilicet Athenæ, & Græca majestas hujus principis ope revixere; atque Aquilam diligentissimum vocat Origenes, & Christiani ipsi fatente Eusebio VII. 1. dem. evang. plerique omnes ob sanctæ linguæ ignorationem ad Aquilæ μεταβολήν provocabant; egomet ejus verborum reliquias elegantiores, & longe propiores Hebræum fontem præ ceteris reperi; quare commendandus Justinian. qui nov. 146. cap. 1. illam ἔκδοσιν publice Judæis legere indulsit: hujus doctissimi viri ἀκρίβειαν interpretandi etiam ex binis illis sanctis vocibus dignosces, quas ceteri, uti superne dictum est, vel vane converterunt, vel barbare; sed Aquila puram putamque dictionem μελανοδοχεῖον immisit; nam, qui καλαμάριον dixere, ab Græcanica γνησιότητα longe defecerunt. Igitur vox princeps ejus organi, neque peregrina, uti ἀλειπτήριον, neque illa Pollucis μελανδόχον, quæ aliquantulum luxata est, neque quas ex Anthologia collegimus, liberiores enim sunt poetæ in vocabulis fingendis, erit profecto μελανοδοχεῖον, bene sarta nobis ab Aquila servata, ab antiquis, & politioribus Scriptoribus excerpta; quippe eo usque in sua ἑρμηνείᾳ religiosum se præbuit, ut haud sciam an merito Hieronymus ep. de opt. gen. interp. & in 8. Esaiæ illum reprehenderit, quod *non solum verba, sed & etyma verborum, quin & ἄρ-*

θρα,

Digitized by Google

θρα, *atque* πάραρθρα, *& ſyllabas interpretari, & literas* κακοζήλως *conatus ſit*. Demum attendendum eſt ῥῆσιν Græcorum μελανοδοχεῖον longe melius exprimere rem ipſam, *atramenti* ſcil. *receptaculum*, quam Judæorum קסרת הספר, *arcula ſcriptionis*; hoc enim a rei natura remotius eſt, illud veluti depingit; Latinamque etiam dictionem Græca ſanequam deterioris notæ eſſe dicam inferne.

XII. Hæc ex Græcis meis atramentarii vaſculi nomina excerpere potis fui; appeterem, ut quis antehac id oneris ſubiiſſet, fortaſſe plura in lucem cura ſollertiori traxiſſet. Reliquum eſt, ut qua voce Latini hoc organum donarint, inquiram; quod arduum ſane eſt, cum & veteribus hujus linguæ lexicis careamus, & recentibus ad illud ſignificandum nulla dictio adhuc appoſita ſit; hinc doctiſſimi quique, quoniam in Romanorum libris nomen ejus vaſculi invenire ſatis non fuerunt, an illud habuerint, adhuc animi pendent; & plerique omnes illud negantes meras ſcriptorias tabulas crepant, ceriſque adhæreſcunt. Culpandus ſane eſſem, ſi poſtquam Hebræas, Græcaſque ſcrutatus ſim, Latialem ejus nigri liquoris vaſculi appellationem e tenebris, vel potius ab oblivione minime vindicarem. Et quidem non parum diu laboratum eſt, ut firmarem apud bonos Latinitatis auctores *thecam calamariam* reſpondere μελανοδοχείῳ, & poetice κίστῃ μελανδόχῳ, qui non a liquore, ut Græci, ſed a *calamis*, quos in eo vaſculo intingebant, nominarunt, ut adhucdum nos Itali; vadem do Suetonium, qui de Claudii ſtolida timiditate ita ſcribit cap. 35. *Sero enim ac vix remiſit, ne feminæ, prætextatique pueri, & puellæ contrectarentur, & ne cuivis comiti, aut librario calamariæ, aut graphiariæ thecæ adimerentur*, ſcil. ſi horum aliquem viſendi ſalutandive imperatorem neceſſitas, aut officium adegiſſet: ſane locus obſcuritatis plenus, niſi accipias vocem *comiti* pro pædagogo, cui tribuas *thecam graphiariam*, contra vero *librario thecam calamariam*; neque hanc ὑστερολογίαν incuſes, cum id genus τρόπου vulgare ſit, & σύγχυσιν vocent grammatici, exempliſque probent; niſi dicere aveas librarios indoctos verborum ordinem perturbaſſe, qua de noxa ſæpe conquerimur, vid. D'Orvillium virum Græca ad miraculum ſcientem in Chariton. pag. 550. Ipſe autem ſane quam multis ſuperius n. 7. 8. 9. documentis profanis, & ſacris teſtatiſſimum feci puellas, pueroſque cera, & graphiis, ſive ſtilis ad ſcribendum a Romanis inſtitutos fuiſſe; quare jure Suetonius, ut anguſtum Claudii animum patefaciat, meminit juſſiſſe illos contrectari, (nam eorum veſtis ſacra habebatur, dicebaturque ἱερὰ ἐσθής, Caſaub. in Perſ. ſat. 5. v. 30.) ne ſtilos ſcriptorios celarent, eorumque *comiti*, ſeu pædagogo *graphiarium* adimi: *librario* autem, ſive ſcribæ, utpote longioris ſcriptionis adminiſtro, *theca calamaria* tribuenda eſt, inferiori ævo *atramentarium* dicta, quam ei adimi etiam Claudius edixerat, fortaſſe plenus formidinis, ne vas illud cultro calamorum, quem idem Suet. Vitell. c. 2. *ſcalprum librarium* vocat, armaretur, vel potius, ne in faciem ſcriba conjiceret; acciderat enim

enim vero, ut eques Romanus, Suetonio teſtante cap. 15. in fin. haud jure damnatus *in ejus faciem de tribunali jus dicentis graphium, & libellos cum magna ſtultitiæ, & ſævitiæ exprobratione jecerit, & genas non leviter perſtrinxerit*. Nemo mihi moleſtus intercedat *thecam calamariam* accipi poſſe pro *calamorum vagina*; nam facile reponam princeps ſcribarum inſtrumentum *atramentarium* ſane eſſe, ſicuti puerorum *graphiarium*, ſive *ſtilus*; nec adeo ſtupidus ac bardus Claudius traducendus, ut ſcriptorias leviſſimas arundines expaveſceret.

XIII. Verùm ſcio te hæſiſſe, quod dixerim *comitem* idem valere ac *pædagogum*, cum antehac id nomen & in lexicis, atque apud eruditos interpretes præpoſtere audiat, qui illud magiſtellis addixere; attamen ipſe quotquot Græcos, Romanoſque Scriptores inviſi, inviſi enim ſanequam multos, de bonæ frugis hominibus dictum, & *pædagogi* munus honeſtatis plenum deprehendi. Itaque ajo *comitem* & *pædagogum* σωνύμως ſe habere, atque in notione *cuſtodis puerorum* eſſe, cujus curæ demandabantur; longeque aberat ab eo, qui in litteris illos inſtituebat. Ea in re exemplorum in duplici lingua uberrima meſſis ſeſe mihi offert, quare parum ſit veniæ, ſi pro Suetonii loco illuſtrando aliorſum vager, & tantiſper ab atramentario negotio ac munere veluti aufugiam; præſertim cum has voces pag. 87. explicaturum juraverim. Ceterum non adeo me reprehendendum reor, tanquam ſi ad longiora tendam divortia; etenim ſi præſtem *comitem* & *pædagogum* ἰσοδωάμως voces eſſe, ex Suetonii κειμένῳ certo habebis *thecam graphiariam* ademptam *comiti*, utpote puerorum cuſtodi, qui ſtilis in ſcribendo utebantur; & quod mea magis refert, *thecam calamariam*, ſeu atramentarium, ab *ſcribis* ablatam noſtrique vaſculi nomenclaturam certam ac ratam faciam. Porro id unum ſpondeo rem a me σωτάμως explanatum iri, ne tædio ſim, quanquam pinguiſſimam exemplorum frugem collegerim. Et ne res turbatione laboret, primum de ῥήτει *comite*, mox de *pædagogo* ſermo mihi futurus.

Porro præter vulgo notam *comitis* διάγνωσιν, *ſocii* ſcilicet & *ſodalis*, nomen eſt honeſtiſſimi muneris, atque etiam inter Auguſtorum domus officia accenſendum, licet Gutherius haud meminerit; etenim qui mores puerorum nobilium, ac principum adoleſcentum regendos ſuſceperat, is *comes*, vel *pædagogus* audiebat: ad exempla aggredior, quæ confertim aggeram, typographiæ operis me importune urgentibus. Perſius ſat. 5. v. 32. de quibuſdam *comitibus* amare conqueritur, qui improba indulgentia pueros curæ ſuæ ac tutelæ commendatos per Saburram, Romæ vicum, & ſcortorum diverſorium pervagari ſinebant: *Cum blandi comites totaque impune Saburra Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo:* contra vero mox de Cornuto *comite* ſuo canit: *Me tibi ſuppoſui, teneros tu ſuſcipis annos Socratico, Cornute, ſinu*, &c. quam vocem utpote ſibi ignotam ineleganter non more ſuo illuſtravit Caſaubonus, ceterique interpretes defugerunt. Idipſum firmat Ciceronis auctoritas pro Plancio fragm.

42.

Digitized by Google

42. perorantis Plancium se detinuisse, ne in Asiam abiret, multosque per menses ab suo capite, atque complexu non discessisse, *abjecta quæstoria persona, comitisque sumpta:* in hanc vocem *comitis* nulli illiti sunt commentarii ne ab ipso quidem Manutio, quam rati sunt idem valere hic, ac *socium;* verum τὸ *persona* copulari cum eo, qui aliquo munere honestatur, pueris notum est, & dicimus consulis, & quæstoris personam, non autem socii, vel amici. Igitur persona *comitis* hic munus *comitis* certe notat, seque Cicero Plancio suppositit, ut Persius Cornuto, commendatque Plancii animum sibi devinctissimum, qui posthabita quæstura ad *comitis* officium descendit, a suoque capite, tanquam a puero, nunquam discessit. Nihilo clarius Virg. Æn. 5. v. 545. *At pater Æneas . . . Custodem ad se comitemque impubis Iuli Epytidem vocat, & fidam sic fatur ad aurem.* Et lib. 9. 647. de Bute sene canit: *Hic Dardanio Anchisæ Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos, Tum comitem Ascanio pater addidit.* Atque idipsum fere recinit de seniore Accœte Pallantis adolescentis *comite* lib. XI. v. 30. qua de voce ne ipse quidem Burmannus aliquid adnotavit, ratum habebant universi juxta esse ac *socius*. Plautus in Pseud. 3. 2. v. 77. & Horat. *comitem* appellant *custodem* & *monitorem* de art. v. 161. *Imperbis juvenis tandem custode remoto Gaudet equis .... Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.* Vid. etiam sat. 6. lib. 1. v. 82. & sat. 4. v. 118. ejusd. lib. adde Juven. sat. 7. v. 218. & passim apud poetas. In eademque sententia exputo esse τὸ *comes* bis in disticho Mart. lib. 2. ep. 18. alias nullus lepos salesque inessent epigrammati: *Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis: Tu comes alterius; jam sumus ergo pares:* commentarios, quotquot adjecti sunt, ne cures, ἄκαρα enim, vel nugas meras habent. Præterea Naso, dum conqueritur de dolis, & de dulcibus furtis puellarum, docet earum *comitem* perinde esse, ac *custodem*, & *servatorem*, de Art. lib. 3. v. 631.

Adfuit Acrisio servandæ cura puellæ,
Hunc tamen illa suo crimine fecit avum.
Quid faciat custos, cum sint tot in urbe theatra?
Cum spectet junctos illa libenter equos?
Cum sedeat Phariæ sistris operata juvencæ;
Quoque sui comites ire vetentur, eat? . . . .
Cum, custode foris tunicas servante puellæ,
Celent furtivos balnea tuta viros?

Sane femellarum *comes* appellatur plerumque *custos;* quare Propert. lib. 1. el. 3. v. 83. hæc optat Deliæ suæ,

At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.

Non oblivisear Aurelii Victoris pag. 82. edit. Pitisci narrantis Brutum *regiis juvenibus Delphos euntibus deridiculi gratia comitem adscitum baculo sambuceo aurum infusum Deo donum dedisse:* adolescentibus

Digitized by Google

peregrinantibus dandi *comitem*, ſive cuſtodem in more fuiſſe notum eſt, & inferne melius firmabitur; Bruto, qui ſe lapſum animi mente finxerat, ad regiorum puerorum delectamentum, atque longi itineris levamen *comitis* perſonam ei contulere; langueſceret ſententia Victoris, ſi Brutus eiſdem pueris *ſocius* datus eſſet; ſed longe ridendum ſe præbuiſſet, ſi cuſtodis munus ſubiiſſet: nihil hic adnotavit Pitiſcus. Idipſum teneo ex Tranquillo ipſo, qui, cum ei non vice ſimplici de principum adoleſcentium morum rectoribus ſermo ſit, hos *comites* appellitat: hinc in Aug. c. 98. Traſyllum Tiberii cuſtodem, *comitem* dicit; & clarius in Tib. cap. 22. M. Lollium Caji, qui Tiberii privignus fuit, *comitem rectoremque*. Et in Neron. cap. 5. narrat patrem Neronis *comitem* factum ad orientem C. Cæſaris juvenis; & Agrippam Auguſti in urbe Apolloniæ, in Aug. 94. Scio tibi non latere Albinovanum illum, quo amiciſſime utebatur Horatius, dictum *comitem*, *ſcribamque Neronis*, lib. 1. ep. 8. v. 3. piget me quorundam interpretum oſcitantiæ docentium Albinovanum fuiſſe Horatii *ſocium*, Neronis vero *ſcribam*.

XIV. Hinc noſcimus, cur queratur Tacit. annal. lib. 2. cap. 2. *diverſa eſſe a majoribus inſtituta, & derideri Græcos comites*, ſcil. morum rectores, qui plerique omnes e Græcia acciebantur. Et lib. 3. *Sabinus conjugem, & liberos Germanici percolere, ſectator domi, comes in publicum*. Et multa lux eſt Spartiano in Hadr. p. 165. *Cum judicaret, adhibuiſſe in conſilio non amicos ſuos, aut comites ſolum, ſed & jureconſultos, & præcipue Julium Celſum, & Salvium Julianum, & Neratium Priſcum, alioſque, quos tamen Senatus omnes probaſſet:* quem locum ingenti quæſitarum adnotationum mole in voce *comites* more ſuo onerat vir ſummus Salmaſius; verum labor ἀπροσδιόνυσος eſt a notione vocis *comitis* ævo Hadriani, quam nova luce donamus, cum noſtra nunc non interſit *comitum* officium ſub inferioris ſæculi Cæſaribus; ſexcentæ enim erant tunc temporis *comitum* nomenclaturæ, & dignitates, vide Briſſon. de verb. ſignif. de quibus & leges plurimæ exſtant, & decreta principum in utroque Cod. atque ingens commentariorum ſtrues; conſulas Galenium in notit. imper. Hic etiam Livii locus eſt ſatis ἔκφρασις dec. 1. cap. 15. qui omnium apertiſſime magiſtros puerorum a *comitibus* ſecernit: *Mos erat Faliſcis eodem magiſtro liberorum, & comite uti, ſimulque plures pueri, quod hodie quoque in Græcia manet, unius curæ demandabantur; principum liberos, ſicut fere fit, qui ſcientia videbatur præcellere, erudiebat*, &c. rebar Drakenborchium, qui ditiſſimis commentariis Livium honeſtavit, erudita quædam more ſuo de voce *comite* inſperſiſſe, ſed virum egregium, vel oblitum dicas, vel non tanti eam penſitaſſe. Poſſem præterea ex Senecæ declamat. ex epp. Plinii, &c. atque ex Tullio ipſo locos exſcribere, ubi *comes* in ea διαγνώσει eſt, de qua diſputamus; verum legentium patientiæ conſulendum potius, quam ut fruar rumuſculo viri longiſſimæ lectionis. Ceterum mihi imperare non potis ſum, quin adnotem Quintilia-

Digitized by Google

tilianum inſtit. lib. 1. c. 2. *comitis munus* una dictione appellaſſe *comitatus*, cum inibi parentes hortetur, ut filiis morum magiſtrum ſanctiſſimum conquirant: cujus rhetoris verba mire, quam tuemur, *comitis* notionem juvant: *Et nihilominus* (oportet) *amicum gravem virum, aut fidelem lateri filii ſui adjungere, cujus aſſiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebuntur: facile hujus metus remedium: utinam liberorum noſtrorum mores non perderemus, &c.* Exſtitiſſe etiam *comites*, qui *conductitii* dicebantur, habeo ex Juvenale ſat. 6. v. 352. quos ſibi curabant egentiores feminæ, ut fortunarum caritatem occulerent:

Ut ſpectet ludos conducit Ogulnia veſtem,
Conducit comites, ſellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.

XV. Hinc non una ex legibus digeſtorum luce adſpergitur, veluti 15. §. 15. de injur. & fam. libell. *Si igitur non matronali habitu femina fuerit, & quis eam interpellaverit, vel ei comitem abduxerit, injuriarum tenetur.* §. 16. *Comitem accipere debemus, qui comitetur & ſequatur, & ut ait Labeo, ſive liberum, ſive ſervum, ſive maſculum, ſive feminam. Et ita comitem Labeo definit, qui frequentandi cujuſque cauſa, ut ſequeretur deſtinatus, in publico privatoque abductus fuerit. Inter comites utique & pædagogi erunt:* §. 17. *Abduxiſſe videtur, ut Labeo ait, non qui abducere comitem cœpit, ſed qui perfecit, ut comes cum eo non eſſet.* Et l. 1. §. 2. eod. tit. *Cum comes matronæ abducitur, &c.* Clarius idipſum habes ex Paullo lib. 5. tit. 4. §. 14. *Qui puero prætextato ſtuprum, aliudve flagitium, abducto ab eo, vel corrupto comite, perſuaſerit; mulierem puellamque interpellaverit, &c.* Ex quibus juriſconſultorum verbis apertiſſime patet honeſtiſſimum *comitum* munus fuiſſe, pueros ſcil. ac puellas tutandi & cuſtodiendi, aliquando etiam matronas per urbem incedentes; & miror harum legum clariſſimos interpretes ratos *comitem* hic valere juxta, & *famulum*, qui nunc Italice reſpondet voci *paggio*, vel etiam Græce ἀκόλουθος apud Eccleſiaſticos: piget ſane id nugarum ſummos viros commentariis illeviſſe.

Pro legum intellectu advertas opto longe melius definiviſſe *comites* Labeonem, quam Ulpianum: ille enim uſus eſt ῥήματι *frequentare*, hic autem verbo ſatis γενικῷ *ſequi*; munus *comitum* fuiſſe aſſidua frequentique cuſtodia, & admonitionibus adoleſcentibus adeſſe ac proſpicere ratum eſt; hinc ubique audiunt *cuſtodes* & *admonitores*; τὸ *ſequi* ἁπλῶς longe ab eorundem officio alienum dicas; quod Ulpiano condonandum, cujus ætate Latina dicendi δεινότης jam remitti cœperat: contra vero *frequentem eſſe*, & *aſſiduum* proprium *comitum* fuerat; Martial. lib. XI. ep. 40. *Et pueri cuſtos, aſſiduuſque comes:* & Quintil. dial. de orat. n. 4. opportune me docuit *aſſiduum*, & *frequens* peræque habendum: *Niſi frequens & aſſidua nobis contentio jam prope ad conſuetudinem vertiſſet;* jure igitur Labeo de *comitibus* dixit *frequentare*, & Martialis *aſſiduos*

esse: vid. inferius p. 176. exempla Quintil. Imo hoc ipsum noverat Ulpianus, qui ibid. §. 22. ait: *Assiduo enim frequentia quasi præbet nonnullam infamiam*. Hic mihi conquerendum est de Bynkersoechio, qui in tenebricosissima l. 49. D. de leg. 3. pro *comatas* reponit *comites*, amandatque inter mancipia; Cujacius restituit *comas;* verum ejus legis verba adeo affecta video, ut haud scio an medicam manum exspectare possint.

XVI. Nunc primum etiam palam fit, cur in nummis Romani dixerint Deos, Deasve *comites impp.* vel *Cæsarum*, uti in nummo Probi Minerva audit *comes Augusti*, scil. *custos* & *tutela*, quod cuique pronum erat divinare. Præterea in sexcentenis marmoribus invenies viros honestissimos salutatos *comites puerorum*, &c. scil. *Comes Drusi filii Germanici*, vel *Comes Tib. Cæsaris Aug. datus a Divo Aug.* Consule inscript. thesaur. vel eorum indices in off. dom. aug. in quibus lapidibus *comes* est morum adolescentum magister & moderator: qui fere ex Græcis libertis deligebantur, utpote qui Græca sapientia, & πολιτείᾳ decori; semper enim in puerorum institutione peregrini mores & ratio opportunior habita est. Et miror neminem, qui tot silices & nummos multa luce donarunt, in ea notione vocem *comes* interpretatum esse. Exemplo sit, ut nova prodamus, unus ex lapidibus Herculanei, qui nuper Regis munificentia e ruderibus ejus oppidi eruti sunt: & pro re nata præclarissimum eorum custodem omnium nomine rogatum volo, ut eos tandem erudite, ut moris sui est, interpretetur, & typis edat; satis enim diu, & tolerantissime igniculum desiderii nostri passi sumus; neque mihi enixe oranti carmina ex tempore rependat.

DECRETO DECVRION
LOCVS SEPVLTVRAE
PVBLICE DATVS
L·AVSIDIO L·F·HOR·MONTAN
COMITI C·CALVISI SABINI

Quem lapidem eleganti commentario Regis imperio honestavit comes Matthæus Ægyptius de litteris politioribus egregie meritus in opusc. pag. 31. cujus doctissimi viri memoria, si ceteris συμπολίτας cara, mihi carissima est. Verum quaternos primos versus in millenis silicibus reperies, privam vocem *comiti* in quino obscuram fatetur Ægyptius, ideo omnigena eruditione, sed ἀπροσδιονύσῳ oneravit, atque præstare voluit *Ausidium Montanum socium* fuisse in militaribus itineribus *Calvisii Sabini;* communemque notionem ejus vocis sequi amavit. Attamen, pace tanti viri, primorum Augg. tempore *comes* peræque erat, ac *custos adolescentum, & morum magister;* quorum unum Sabini juvenis fuisse Montanum ex multis superne a me dictis, quisque mecum jurabit: hinc lapis Her-

Digitized by Google

Herculanenſis facile in lucem ſuam reſtituetur.

Demum de eadem ῥήσει velim advertas, ſi aliquando inter vetuſtiorum Martyrum acta vox *comes* ſit, non eſſe ipſam dignitatis titulum, uti in ſæculis rudioribus audiebat; ſed habeas in eadem διαγνώσει, quam inculcamus; hinc memini me legiſſe a Flacco *comite* virginem Feliculam Domitiani ævo interfectam; dicas igitur Flaccum e cuſtode ejus puellæ evaſiſſe carnificem. Et, cum adoleſcens horum martyrum hiſtorias pervolutarem, quaſdam veterrimas νοθείᾳ damnatas vidi, eo quod nomen *comes* viris adnexum legebatur; veluti ſi eſſet dignitatis honos poſteriori tempeſtate natus, non antiquum *cuſtodis rectoriſque morum* officium. Si vero quis curioſius interroget, qui fieri potuit, ut vocabulum γενικὸν *comes* ad id honeſtæ notionis progreſſum ſit, reponam omnium Scriptorum principi acceptum referendum eſſe, nam veterum volumina Homero plena ſunt, qui Od. β. v. 225. canit ſenem Mentorem Ulyſſis adoleſcentis ἑταῖρον fuiſſe, atque hunc Trojam proficiſcentem eidem Mentori totius familiæ curam commendaſſe, quare ubique Odyſſeæ lectitas Telemachi adeſſe *comitem* rectoremque morum:

. . . . . ἀνέστη
Μέντωρ, ὅς ῥ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἦεν ἑταῖρος,
Καὶ οἱ ἰὼν ἐν νηυσὶν ἐπέτρεπεν οἶκον ἅπαντα,
Πείθεσθαί τε γέροντι, καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσειν.

Iraſcor ſane tum ſcholiaſtis, tum doctis ævi noſtri interpretibus, qui de hac voce ἑταῖρος male merentes in exſuccam Latialem illam *ſocium* verterunt, de ῥήσει *comite* opportuna ſatis nihil cogitarunt. Atque hæc σωτόμως de *comite*, licet rem longius protrahere valuiſſem.

XVII. Amplior mihi exuberat exemplorum vis, quo *pædagogi* etiam munus elegans & honeſtum juxta, & *comitis* fuiſſe oſtendam, quæ vox odii plena antehac audiebat; nam præter Latiares, Græci etiam documenta mihi ſuggerunt; & conqueri liceat vel doctiſſimos viros ῥῆσιν *pædagogus* pro vix unius aſſis magiſtello adhibuiſſe. Edico igitur *pædagogum* qua Græce, qua Latine valuiſſe *cuſtodem ac comitem puerorum, eorundemque morum rectorem*. Bona avi ad opus aggredi reor, ſi ab Platone incipiam, qui *pædagogi* officium robuſtiori eloquentia deſcribit in Protag. p. 392. edit. Aldi, quam habeo: Ἐπειδὰν θᾶττον συνίῃ τὸ τὰ λεγόμενα, καὶ τροφὸς, καὶ μήτηρ, καὶ ΠΑΙΔΑΓΩΓΟΣ, καὶ αὐτὸς ὁ πατὴρ περὶ τούτου διαμάχονται, ὅπως ὡς βέλτιστος ἔσται ὁ παῖς παρ' ἕκαστον καὶ ἔργον, καὶ λόγος, διδάσκοντες καὶ ἐνδεικνύμενοι, ὅτι τὸ μὲν δίκαιον, τὸ δὲ ἄδικον· καὶ τοῦτο μὲν καλὸν, τοῦτο δὲ αἰσχρόν· καὶ τοῦτο μὲν ὅσιον, τοῦτο δὲ ἀνόσιον· καὶ τοῦτο μὲν ποίει, τοῦτο δὲ μὴ ποίει· καὶ ἐὰν μὲν ἑκὼν πείθηται, εἰ δὲ μὴ, ὥσπερ ξύλον διαστρεφόμενον καὶ καμπτόμενον δ' ὀργάνοις ἀπείλαις καὶ πληγαῖς. Μετὰ δὲ ταῦτα εἰς τῶν ΔΙΔΑΣΚΑΛΩΝ πέμποντες, κ. τ. λ. *Nam cum primum puer, quæ dicuntur, intelligit, nutrix, mater, PÆDAGOGUS, pater ad hoc omni cura ſtudioque contendunt, ut in ſingulis tum verbis, tum operibus optimus*

puer

Digitized by Google

puer evadat; singillatim enim monstrant, quid justum, quid injustum; quid honestum, quid turpe; quid sanctum, quidve profanum sit; quæ agenda, quæ non: quibus si obtemperat puer, bene secum agi putant; sin renititur, tum veluti contortum obliquumque lignum minis plagisque dirigunt. Post hæc LUDIMAGISTRIS pueros curandos tradunt, &c. Ex quibus divini viri verbis propalam est παιδαγωγὸς morum fuisse dumtaxat rectores, & aperte distinctos a διδασκάλοις, *ludimagistris*.

Idipsum admonet Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς circ. init. atque æque, ac Plato puerorum moribus dirigendis παιδαγωγὸς ἀσκεδαίους optat, utiturque exemplo Phœnicis, pædagogi Achilli ab Peleo patre dati; mox distincte iisdem puellis διδάσκαλον inquirit; quoniam autem Plutarchi verba longiora sunt, quam ut hic illini possint, ipsum tute consulas. Et ubique in eo sermone pædagogorum meminit in hac notione; eosdem etiam in vita Alex. a præceptoribus discriminat p. 667. cujus verba paullo inferne adscribam. Mos erat *pædagogis* ad ludos litterarios puellos custodiæ curæque suæ commendatos deducendi, ut ex Ælian. habes var. hist. lib. 3. c. 21. in quo magnanimitas Themistoclis pueri *pædagogo*, qui, ut Pisistrato tyranno in via locum cederet, admonuerat, resistentis, & appositè respondentis, commendatur: Ἐπαιδεύετο ποτὲ ἐκ διδασκαλείου παῖς ἐπὶ ὧν Θεμιστοκλῆς· εἶτα προσιόντος Πεισιστράτου, ὁ παιδαγωγὸς ἔφη τῷ Θεμιστοκλεῖ μικρὸν ἐκχωρῆσαι τῆ ὁδῷ, προσάγοντος τοῦ τυράννου· ὁ δὲ οὐ πάνυ ἑλευθερίως ἐπεκείνατο· αὐτὴ γὰρ, εἶπεν, αὐτῷ ἐστὶν ἱκανὴ ὁδός; ὅτως ἄρα ἤδη καὶ μεγαλόφρον ἐνεφαίνετο τῷ Θεμιστοκλεῖ καὶ ἐξ ἐκείνου· vides clare distingui διδάσκαλον ab παιδαγωγῷ, ille quidem Themistoclem litteras, hic mores edocebat. In hac Æliani historia totus est Perizonius ὁ πάνυ in voce διδασκαλείῳ, quæ notissima est, de παιδαγωγῷ Pythagora taciturnior. Idem Ælianus lib. 14. cap. 20. narrat de *pædagogo* quodam Sybarita puerum vehementer objurgante, qui ficum, in quam inciderat, sustulerat; inde puello ereptam ipse prorsus ridicule devoravit: Συβαρίτης ἀνὴρ.... τῷ παιδὸς, ὃν ἄγε, διὰ τὴν ὁδὸν ἰσχάδι περιτυχόντος, καὶ ἀνελομένου, ἐπέπληξεν αὐτῷ ἰσχυρότατα· γελοιότατα δὲ αὐτὸς τὸ ἔρημα παρὰ τοῦ παιδὸς ἁρπάσας κατέτραγεν· atque acriter mordit hunc morum magistrum Sybaritam Ælianus. Præterea de *pædagogo* ad ludum litterarium puerum ductante, vide locum ex libello m. sc. superne p. 84. a me laudato. Addam, quæ Æsopus dixerat mercatori, ut se emeret, in ejus vita, quicumque sit auctor, p. 13. edit. Nevelet. Καὶ Αἴσωπος, ἦ πάρεστί σοι παιδία οἴκοι ἀτακτοῦντα, καὶ κλαίοντα; τούτοις ἐπίστησόν με παιδαγωγόν· καὶ πάντως αὐτοῖς ἀντὶ μορφῆς ἔσομαι, & *Æsopus dixit, suntne tibi filii domi turbulenti, & flentes? his me præfice pædagogum; & prorsus eisdem pro spectro futurus sum.* Et Æsychius παιδαγωγὸν opportune vocat παιδάτην.

XVIII. Lubens provoco ad Clem. Alexandr. virum πολυίστορα, quo notio παιδαγωγοῦ, de qua tamdiu disputamus, clarius emicet, quem sciunt universi ternos operis sui libros eo nomine insigniviſſe: & gaudendum mihi est, quod in bene multis capp. definit παιδαγωγὸν, non litterarum, aut scien-

ſcientiarum præceptorem eſſe, ſed *virum* πρακτικόν, & *morum magiſtrum*; utinam ea omnia hic allinere liberet, verum quandonam foret exſcribendi finis? præſertim cap. 7. lib. 1. quod inſcribitur: *Quidnam ſit pædagogus*, ubi in longiori eo capite mecum conjurat, idque profana eruditione honeſtat, enumeratque non unos Græcorum adoleſcentum veteres *pædagogos* ab Phœnice Homerico trahens principium. Sat vero mihi exputo cap. 1. verba quædam excerpere, veluti ex latiſſimo campo floſculos, ubi etiam porro alienum a διδασκάλῳ παιδαγωγόν advertes. Νωὶ δὲ θεραπευτικός τε ὢν, καὶ ὑποθετικὸς ἅμα ἄμφω, ἑπόμενος αὐτὸς αὐτῷ παραινεῖ τ προτετραμμένον, κεφάλαιον τῶν ἐν ἡμῖν παθῶν ὑπιχνέμενος τὴν ἴασιν· κεκλήσθω δ' ἡμῖν ἐνὶ προσφυῶς ὅτος ὀνόμαπ Παιδαγωγός· πρακτικὸς, ὰ μεθοδικὸς ὢν παιδαγωγὸς· ἢ καὶ τὸ τέλος αὐτῦ βελτιῶσαι τὴν ψυχήν ἐσι, ὰ διδάξαι .... πρακτικὸς δὲ ὢν ὁ παιδαγωγὸς, πρότερον μὲν εἰς διάθεσιν ἠθοποιΐας πρὰτρέψατο· ἤδη δὲ καὶ τὴν τῶν δεόντων ἐνεργείαν παρακαλεῖ, κ. τ. λ. *Nunc autem dum inſtituit, & adhortatur ſimul, inhærens valde muneri ſuo, & quem admonendum ſuſcipit, excolit, præſertim nobis morborum animæ curationem promittens: appoſite hic uno vocabulo Pædagogus appelletur; cum in actione, non in tradendæ doctrinæ ratione verſetur pædagogus; quatenus ejus finis eſt animam meliorem reddere, non docere .... cum in actione totus ſit oportet pædagogus, poſtquam mores compoſuerit; tum ad ea, quæ agenda ſunt, adhortetur.*

Hoc ipſum clarius & concinnius definit Clemens paucis poſt verbis: Καθάπερ ὖν τοῖς νοσῦσι τὸ σῶμα ἰατρῦ χρήζει, ταύτῃ δὲ τοῖς ἀσθενῦσι τὴν ψυχὴν παιδαγωγῦ δεῖ, ἵν' ἡμῶν ἰάσηται τὰ πάθη· εἶτα δὲ εἰς διδασκάλε, ὃς καθηγήσηται καθαρὰν πρὸς γνώσεως ἐπιτηδειότητα ἀτρεπίζων τὴν ψυχὴν δυναμένῳ χωρῆσαι τὴν ἀποκάλυψιν τῦ λόγε: *quemadmodum ergo, quorum corpus ægrotat, iis medico opus eſt; ita, quorum æger eſt animus, ii pædagogo opus habent, ut noſtri animi morbos curet; deinde vero doctore, qui ad puriores deducat animum cognitionis facultates, quo aptus ſit ad revelationem doctrinæ percipiendam.* Noſtram adjecimus Clementis utrique κειμένῳ interpretationem, nam etiam illa Potteri adeo a Græca fide diſcedit, ut verba Latiaria videas, præſertim in primo, quæ nil ſententiæ concludunt. Tenes igitur ab hoc Alexandrino viro, cujus præcipuum opus eſt, quid ſit vox παιδαγωγός, cum primis docere, iterumque lætor ipſum mecum benevolentiſſime conjurare.

Et nunc primum novimus, eandem ῥῆσιν in divinis Paulli epp. dedicatam id valere, quod multis inculcamus, mihique dolendum, quod, evolutis plurimis doctiſſimorum virorum commentariis, vel ἀσύσατα, vel omnibus nota eos illeviſſe miratus ſum. Cap. enim 5. ad Cor. 1. v. 15. inquit: Ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, ἀλλ' ὰ πολλοὺς πατέρας· ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησῦ διὰ τῦ ἀγγελίε ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα· hortatur Paullus Corinthios, ut verba ſua ſcribentis, non tanquam a perſona *pædagogi*, ſed a *patre* miſſa acceptent: & quaſi arguit veteris legis prophetas Hebræ

bræ gentis *pædagogos* fuiſſe & *comites* dumtaxat ; evangelii vero miniſtros & præcones audire vult auguſto cognomento *patres*. Præterea ad Galat. cap. 3. v. 24. & 25. eandem ſententiam recinit: Ὥστε ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστὸν, ἵνα ἐκ πίστεως δικαιωθῶμεν· ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως, οὐκέτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν. Quis autem ferat prophetas Iſraeliticos, & Moſis legem a Paullo traduci *ludimagiſtros ?* quare decorum quid & ſatis honeſtum in voce παιδαγωγός cogites oportet. Atque hæc διὰ βραχέων de hoc nomine tracta a Græcis Scriptoribus, queis adjicere potuiſſem Theodoret. hiſt. eccl. lib. 3. c. 18. alioſque, quos lubens prætereo, nam eodem horum verba recidunt. Conſule etiam Lucianum, Athenæum, & præ ceteris Xenophontem; cuinam ignota eſt Κύρου παιδεία;

XIX. Reſtat, ut præſtem, an Latini, ut eorum moris eſt, a Græcis hujus vocabuli notionem arripuerint; atque multus futurus ſim, an brevis in colligendis exemplis, ignoro. Agmen agat Quintil. lib. 1. c. 1. circ. init. qui graphice *pædagogi* munus, ac poteſtatem deſcribit, & ſanequam aperte a ludimagiſtris ſecernit: *De pædagogis hoc amplius, ut aut ſint eruditi plane, quam primam eſſe curam velim ; aut ſe non eſſe eruditos ſciant ; nihil enim pejus eſt iis, qui paullum aliquid ultra primas litteras progreſſi falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerunt ; nam & cedere præcipiendi eruditis indignantur, & veluti jure quodam poteſtatis, quo fere hoc hominum genus intumeſcit imperioſi, atque interim ſævientes ſtultitiam ſuam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus ; ſiquidem Leonides Alexandri pædagogus.... quibuſdam eum vitiis imbuit, quæ robuſtum quoque, & jam maximum regem ſunt proſecuta;* advertis jam Leonidem Alexandri *pædagogum*, cujus maximo regum Ariſtoteles fuerat *præceptor*. Neque imperioſos dumtaxat, atque intumeſcentes ſe jactabant pædagogi; verum etiam aulæ imperatorum dominos, & rectores, quod notum eſt ex Suet. in Galb. c. 14. *Regebatur trium arbitrio, quos una, & intra Palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, pædagogos vulgo vocabant. Hi erant T. Vinius legatus ejus in Hiſpania, &c.* Paucis interjectis verbis, addit Quintilian. *Si tamen non continget, quales maxime velim, nutrices pueros habere, pædagogus at unus certe ſit aſſiduus, dicendi non imperitus, qui, ſi qua erunt ab his præſente alumno dicta vitioſe, corrigat protinus, nec inſidere illi ſinat, &c.* vides pueros, ſi ad *pædagogos* ſpectant, *alumnos* vocari, *diſcipulos* quoad *præceptores*. Præterea cap. 2. cui titulus: *Utrum utilius domi, an ſcholis pueri erudiantur*, pluries ſecernit *præceptorem* a *pædagogo*, & conqueritur quoſdam ludimagiſtros *ob conſcientiam ſuæ infirmitatis etiam pædagogi quodammodo officio fungi*. Mox apertius diſtinguit utroſque: *Id* (æmulationem ſcilicet) *nobis acriora ad ſtudia dicendi faces ſubdidiſſe, quam exhortationes docentium, pædagogorum cuſtodiam, vota parentum*. Demum cap. 3. eadem fere inculcat: *Poſtremo quod ne opus quidem erit hac caſtigatione, ſi aſſiduus ſtudiorum exactor adſtiterit:*

Digitized by Google

rit: nunc fere negligentia pædagogorum ſic emendari videntur, ut pueri non facere, quæ recta ſunt, cogantur, ſed cum non fecerint, puniantur .... Jam ſi minor deligendis cuſtodum, & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere, in quæ probra nefandi homines iſto cædendi jure abutantur. Haud ſcio an quis, perlectis hujus ſapientiſſimi rhetoris verbis, poſthac ambiget de vera, quam proferre adnitimur, *pædagogi* διαγνώσει, & qua auctoritate id genus hominum floruerit, ut ad imperium deſciverit: reliquos Quintiliani locos, ubi *pædagogi* meminit, tutemet legas.

Pædagogos præterea ab ludimagiſtris diſtinguit Plinius lib. 5. epiſt. 16. *Ut illa* (Fundani filiola) *patris cervicibus inhærebat! ut nos amicos paternos & amanter, & modeſte complectebatur! ut nutrices, & pædagogos, ut præceptores pro ſuo quemque officio diligebat!* Eſſe *pædagogum cuſtodem rectoremque morum* definit iterum Plin. lib. 3. ep. 3. *Adeſt enim adoleſcenti noſtro cum ceteris naturæ, fortunæque dotibus eximia corporis pulchritudo, cui in hoc lubrico ætatis non præceptor modo, ſed cuſtos etiam rectorque quærendus.* Quis mecum non iraſcatur Longolio in adnot. neganti hic *cuſtodem rectoremque* non perinde eſſe, ac *pædagogum*, ſed *rhetorem?* Succinit Plinio Petronius de Gitone adoleſcentulo cap. 49. p. 585. *Macte virtute eſto; raram facit mixturam cum ſapientia forma .... ego laudes tuas carminibus implebo; ego pædagogus & cuſtos, etiam quo non juſſeris ſequar.* Idipſum teneo a Terent. in Phorm. act. 1. ſc. 2. v. 36. & v. 94. canente *pædagogi* proprium eſſe *ſectari*, *in ludum ducere & reducere* puellos, puellaſve.

Præterea Seneca ep. 89. p. 398. arguens Ariſtonem Chium, qui philoſophiæ partem τὴν παραινετικὴν ſuſtulit, & *pædagogi* munus eſſe dixit, non philoſophi, inde reponit: *Tanquam aliud ſit ſapiens, quam humani generis pædagogus*, quanti pretii eſt in hac epiſt. vox *pædagogus!* Si quæras quoſdam alios Senecæ locos, ubi hæc ῥῆσις illita eſt, vid. ep. 60. & excerp. contr. 6. p. 453. &c. Demum de ira c. 22. ipſe etiam præceptores a *pædagogis* diſtinguit: *Præceptores, pædagogoſque pueris placidos dari: proximis applicatur omne, quod tenerum eſt, & in eorum ſimilitudinem creſcit; nutricum, & pædagogorum retulere mox in adoleſcentiam mores.* Hic mihi in mentem veniunt Cic. verba de amicit. paullo ante fin. qui ait: *Nutrices, & pædagogos jure vetuſtatis plurimum benevolentiæ poſtulare, & quodammodo colendos*, igitur eorum munus religionis plenum erat; & contra ſcio Plautum conqueri de ſceleſto pædagogo ab officio ſuo deſciſcente, & vocare *caput ſcelerum, ac cupere excruciari*, in Pſeud. act. 1. ſc. 5. v. 31. Et Valerius Max. lib. 6. c. 1. exemp. 2. laudat Pontium Aufidianum, equitem Rom. qui Fannium Saturninum *pædagogum virginitatem filiæ ſuæ prodeuntem ſupplicio affecit, inde etiam puellam necavit:* rogaris, ut lectites in eod. Valer. quanti faciebat Sarpedonem *pædagogum* ſuum Cato Uticenſis, cui pueritiæ ne

Digitized by Google

ſpiritus quidem deerat, nam ferrum, quo Syllam tyrannum interficeret, ſibi puello dari obſecraverat, lib. 2. cap. 1. exemp. 2. Suetonius etiam, & Tacitus ſæpe meminere principum adoleſcentum *pædagogos*, exemplum ſuperne adduximus pag. 88. vide etiam in Aug. cap. 67. in Neron. 36. & 37. in Claud. 2. Peccarem, ſi præterirem Apulejum de Aſin. circ. init. lib. 10. p. 213. qui nos docet, quanto amore & cura *pædagogi* puellos complectebantur: *Illico repentina pueri pernicie pædagogus commotus ululabili clamore matrem, totamque ciet familiam*. Demum, ne patientiſſimo animo tuo legentis abutar, quoſdam Martialis verſus ſolummodo addam lib. 3. ep. 48. *Et, pædagogo non jubente, laſcivi Parere gaudent villico capillati*; vides hic ſeveritatem *pædagogi*, ſive *cuſtodis* pueros ab affectata laſcivaque capillorum elegantia, atque ab villicis miniſteriis coercentis, e contrario hos longe refractarios; hæc ſane certa eſt poetæ mens; verum ſat importunam legere eſt adnotationem, ſcil. *pueri alacriter & ſponte obeunt, nec detrectant miniſteria etiam a villico imperata, quod alibi dedignantur iſti*, confudiſſe omnia reor interpretes, quod in vocis *pædagogi* notione erant hoſpites. Ceterum omnium cariſſima ſunt pro me aperte definientis Varronis verba apud Nonium: *Educit obſtetrix, educat nutrix, inſtituit pædagogus, docet magiſter*.

Denique mihi repeririſſe videor in Suet. in Aug. c. 48. pueris non honeſto loco natis, & mente lapſis non appoſitum *comitem*, aut *pædagogum*, nomina quidem ſummæ honeſtatis, verum eum, qui *rector* erat cognomento: *Rectorem* (Auguſtus) *quoque ſolitus eſt apponere ætate parvis, ac mente lapſis, donec adoleſcerent, aut reſipiſcerent*. Nunc adeo inficete vivitur, ut ingenuorum puerorum cuſtodes ament, quin & jubeant potius ſalutari *rectores*, quam decentiſſimo nomine *comites*, aut *pædagogos*. Et ſatis fui ex Plutarcho addiſcere veteres habuiſſe *præfectum pædagogorum*, quem dicere quis poſſet *pædagogorum pædagogum*, in Alexandr. pag. 667. Πολλοὶ μὲν ἦν περὶ τὴν ἐπιμέλειαν ἦσαν αὐτῷ τροφεῖς, καὶ παιδαγωγοὶ, καὶ διδάσκαλοι λεγόμενοι· πᾶσιν δ' ἐφειστήκει Λεωνίδης, ἀνὴρ τόπῳ ἤθει αὐστηρὸς, καὶ συγγενὴς Ὀλυμπιάδι, quæ ita vertunt: *Multi ejus inſtituti appoſiti fuerunt nutritii, pædagogi, & magiſtri appellati; quibus omnibus impoſitus erat Leonides, vir & moribus ſeverus, & propinquitate Olimpiada contingens*. Parum in voce τροφεῖς te reſiſtere jubeo, quam Latialiter habes importune *nutritii*; hinc ſi minima medela reſtituas τροφῆς, ſententia melior emicat, *Multi electi ſunt pro Alexandri educationis ſtudio comites, & præceptores, &c.* ubi etiam vides diſcretos παιδαγωγὸς a διδασκάλοις. Advertas præterea tantæ dignitatis fuiſſe *comitum* officium, ut, qui regibus ſanguini conjuncti eſſent, illud ſubirent, uti Leonides.

XX. Hinc multa lux eſt Juſtiniano inſtit. lib. 1. tit. 6. §. 5. *Juſtæ autem manumiſſionis cauſæ hæ ſunt, veluti ſi quis patrem, aut matrem, filium*

Digitized by Google

filium, filiamve, aut fratres, ſororeſve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum, alumnamve, aut collactaneum manumittat, &c. haud mihi invidebis *pædagogum* hic ab imperatore accipi non pro puerorum doctore, ſed pro *comite, & morum magiſtro.* Pro re nata huic §. medela ſit, & vocem *educatorem* adventitiam ab κεκμένῳ detergendam dicas, tum quia loco non ſuo innexam vides, tum quia ſupervacaneam, cum æque ſit, ac *pædagogus;* & vel legulejus internoſceret ex mundo in contextum ab rudi librario importune atque ἀτόπως invectam; ſane quis interpres in margine ῥῆτιν *educatorem* illeverat pro pædagogi σωνύμῳ· queis peccatis ſqualere juris σῶμα ſæpe conqueror, vid. cap. v. ſuperne. Neque ſane hæreas, quin *pædagogus* valeat perinde, & *comes*, edicente id aperte Ulpiano l. 15. §. 15. D. de injur. & fam. libel. *Inter comites utique & pædagogi erunt*, & Mæcianus l. 35. D. de fideicom. liber. ejus munus diſtinguit, quando vocat *pædagogos liberorum.*

Haud ſcio, an impetrare valeam, ut de non unis marmoribus, in queis ſcalptum eſt munus *pædagogi*, ſileam, veluti eſt ſilex apud Vignol. de column. Antonini pag. 209. TI. CLAVDIO AVG. L. EVTYCHO PAEDAGOGO PVERORVM. Ceterum Gruteri indices evolvas, nec non id genus theſauros, & συλλογάς· atque inviſes ſilices etiam pro decentiſſima hujus vocis notione conſpirare: adiſis præterea Columbarium Livianum ap. Fr. Blanchinium, ubi inſcriptiones 35. & 214. *pædagogi* nomine inſignitæ ſunt; & miratus ſum tantum virum vertiſſe bis *pedante* vulgi opinioni indulgentiſſimum; & D'Orvillium unum ex his Blanchinianis epigrammatis recitantem in Chariton. p. 128. nihil de voce *pedante* advertiſſe, neque quid novi protuliſſe: ab amiciſs. Fr. Gorio, qui idem columbarium docte & laborioſe illuſtravit, nil me arripere potuiſſe doleo; neque peculiaris diatribe Jo. Jacobi Claudii *De nutricibus, & pædagogis* exquiſitum quid ſubminiſtravit: imo video illum officia pædagogorum confudiſſe, ita ut in cap. 7. init. iſthæc legas: *Vidimus quales fuerint pædagogi; dicendum ſequitur, qua de cauſa illos ſemper filiis addiderint veteres, nempe, ut prima litterarum elementa docerent, quod proprie eſt inſtituere;* attamen ipſe teſtatiſſimum feci eos litteras nunquam docuiſſe pueros, ſed mores dumtaxat emolliviſſe: fortaſſe Pignorius de ſervis ei impoſuit, qui antea jam illeverat: *Pædagogi puerorum, & puellarum ductores fuerunt, & doctores.* Et conqueror plures Scriptores, quos ipſe laudavi, Claudium effugiſſe; & culpandus ſane, quod pag. 433. de Latinis valdequam male meritus eſt, cum temere, vel inconſulte edicat: *Vocabulum Latinum, quo deſignetur* (pædagogus) *nullum inveni, dici poſſet inſtitutor, cum pædagogi officium proprium ſit inſtituere.* Contra ipſi docuimus ſexcentenis exemplis Latiares Scriptores habuiſſe πολυθρύλλητον vocem *comes*, quæ συνώνυμον omnino eſt *pædagogo*, licet antehac ignoraretur.

Digitized by Google

XXI. Neque mihi objicias *pædagogium*, quod a *pædagogo* educitur, vocem esse servorum potius, licet elegantiorum, qui nunc Italice *paggi* audiunt, quam ingenuorum liberorum; hinc eorum *custos*, sive *pædagogus* nomen non esse ejus dignitatis dicas, quam inculcavimus: verum reponam, haud ignotum esse non semel nominis alicujus prolem in deteriorem significationem desciviſſe; exemplo utar ἰδίῳ, *manceps* licet ἀμέτως creet *mancipium*, primam vocem scis honeste dici, alteram de fæce hominum usurpari. Ceterum de ῥήτει *pædagogium* præter ea, quæ in Plin. lib. 6. ep. 27. pag. 540. collegere Longolius, & Briſſon. de verb. ſignif. (nam in Digeſt. lib. ea vox legitur,) conſule Burmann. in Sueton. to. 2. p. 62. qui ambobus curatiora digeſſit, laudavitque quotquot eandem vocem commentariis illuſtrarunt; cum mea id attexere nihil interfit. Si tibi pinguius otium ſuppetat, adeas etiam Pignorium de ſerv. & Reineſium claſ. 7. 24. licet non multa aſſuant de *pædagogiis*; & miraberis viros ſummos inibi confudiſſe *præceptores* cum *pædagogis*.

Ut autem prolixiora, quam quæ animo conceperam, colligam, ajo vocabulum duplex *comites* & *pædagogi* honeſtatis decoriſque plenum audiiſſe; eorumque officium *ad morum ſcabritudinem ab animo delendam*, ut verbis Petron. cap. 99. utar, curatiſſime impenſum: longeque eos abfuiſſe a *præceptorum* munere, qui ad litteris pueros imbuendos ſolummodo adnitebantur; quod me, niſi mire fallar, longo exemplorum agmine ratum firmumque feciſſe reor. Culpandos ſane jubeo, quotquot *pædagogos* inter ludimagiſtros (*pedanti*) amandarunt, ſunt autem plerique omnes, qua de re etiam pag. 88. jure conqueſtus ſum; ne doctiſſimos quidem excipias: omnium inſtar ſit Salmaſius de ſubſcrib. teſtam. in epiſt. ad amicum Amſtelædam. pag. 5. inquiens: *Nam perſuaſerat ſibi vir PÆDAGOGICE vanus, & ferulis olim ſcuticiſque tenendis, & quatiendis aſſuetus, ſi virgas clare ſtrepentes intentaret, futurum, ut inſtar pueri diſcentis, mutus metu muſſaret, &c.* Quoniam autem contra id auctoritatis viros urgendum erat, ſervavi demum, veluti pro clypeo, Martialis epigr. 40. lib. XI. in quo ſeveriſſimi *comitis*, ſive *pædagogi* ſollicitudinem γραφικωτάτως & poeticis illecebris expreſſam perleges; quæ omnis circa mores impenditur, de litteris ne vox quidem:

Cùnarum fueras motor, Charideme, mearum,
Et pueri cuſtos, aſſiduuſque comes;
Jam mihi nigreſcunt tonſa ſudaria barba,
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non crevi, te noſter villicus horret,
Te diſpenſator, te domus ipſa pavet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare;
Nil mihi vis, & vis cuncta licere tibi.
Corripis, obſervas, quereris, ſuſpiria ducis,
Et vix a ferulis abſtinet ira manum.

Si

Digitized by Google

Si Tyrios ſumpſi cultus, unxive capillos,
Exclamas, nunquam fecerat iſta pater.
Et numeras noſtros adſtricta fronte trientes,
Tanquam de cella ſit cadus ille tua:
Deſine non poſſum libertum ferre Catonem,
Eſſe virum jam me dicet amica tibi.

Si quæras exemplum præterea feminæ *comitis*, teneo ab Homero, quocum ἀναπαλάττως vivo, quod quidem ſat nativum eſt, & ſecundum ingenuam heroicorum temporum indolem, Od. η. v. 7. ubi divinus vates grande præconium canit de Eurymeduſa *comite* Nauſicaæ regis Corcyræ filiæ adoleſcentulæ:

Αὐτὴ (Ναυσικάα) δ' ἐς θάλαμον ἰὸν ἧιε· δαῖε δέ οἱ πῦρ
Γρηῢς Ἀπειραίη θαλαμηπόλος Εὐρυμέδουσα,
Τήν ποτ Ἀπείρηθεν νέες ἤγαγον ἀμφιέλισσαι·
Ἀλκινόῳ δ' αὐτὴν γέρας ἔξελον, ὕνεκα πᾶσι
Φαίηκεσσιν ἄνασσε, θεῷ δ' ὡς δῆμος ἄκουεν·
Ἣ τρέφε Ναυσικάαν λιπαρώλενον ἐν μεγάροισιν,
Ἣ οἱ πῦρ ἀνέκαιε, καὶ εἴτω δόρπον ἐκόσμει.

Vides Epirenſem vetulam ex ſerva factam θαλαμηπόλον *thalami Nauſicaæ cuſtodem* ob inſignem prudentiam, quare brevis Scholiaſtes vocat τὴν οἰκου προνοοῦσαν· & matrona Daceria hic opportune advertit, *Homere fait entendre par-là, que c' étoit une perſonne conſiderable*, quæ uno verbo dixiſſet *comitem*. Et quidem Græcæ mulieres ingenita elegantia civili prudentia mixta circumfluebant. Vocem τρέφε ne vertas cum omnibus interpretibus *enutrivit*, ſed *educavit*, uti mecum conjurat Daceria, *Eurymeduſe, qui l'avoit elevée, e qui avoit alors ſoin de ſa chambre*. Γρῆις illa θαλαμηπόλος adeo placuit Heliodoro, ut lib. 7. p. 317. in eadem ſententia adhibuerit, quod non adnotavit Barneſius, & Daceria. Demum iſthæc omnia ſummus vates in ipſo nomine veluti coarctavit, Εὐρυμέδουσα, *late providentiſſima*, quæ virtus propria cuſtodum eſt, ac *comitum*. Quare Homeri filii parentem veterrimum imitantes id genus mulieribus, ſive matronis ab *prudentia* nomen confinxere, veluti Ariſtænetus τρόφον quandam appellat Σωφρονὶς lib. 1. ep. 6. Ἡ δὲ κόρη φησί· σίγα πρὸς Θεῶν, ὦ Σωφρόνη, κ.τ.λ. *& puella inquit, tace per Deos, o Sophrona*. Labecula ab politiſſimo ſcriptore, ab juvenibus tanquam ſyrtide fugiendo, detergenda mihi eſt; nam Σωφρόνη dormitantium librariorum noxa eſt, & Cornelius Paw turbas cit, quo eam amoliatur, etenim inquit in adnotat. Ω Σωφρόνη, *an nomen proprium, dubito, & ſcribendum videtur* ὦ σωφροσύνη, *ut litterarum compendia obfuerint imperitis. Idem mendum apud Aphthonium in Progymnaſmatis, ut plerique putant: videbimus diligentius alibi*. Verum rem tanti non ducas, neque longiora ipſius Paw promiſſa exſpectes, minima quidem mutatione Græcam vocem habebis, nimirum Σώφρονι ab recto Σωφρονὶς, ίδος· & miror rem tam

pronam

pronam virum Græcanice doctum non vidiſſe, cum conſtet pleraque mulierum nomina ita cadere, quarum non una ſunt in ipſo Ariſtæneto exempla, veluti lib. 1. ep. 10. Διονυσίς. ep. 25. Φιλαινίς· lib. 2. ep. 5. Παρθενίς· ep. 15. Χρυσίς· ep. 21. Δελφίς· jure igitur repone Σωφρονί. Verum ne ſemper profana expromamus, ſi optes *comitis*, ſive *pædagogi* exemplum plenum antiquitatis, ac dignitatis, præſto eſt hiſtoria Raphaelis in lib. Tobiæ, ubi multis verbis munus *comitatus* ejus Angeli parvum Tobiam regentis γραφικωτάτως deſcribitur: hinc gratulor ab ſacris Scriptoribus ubique Raphaelem κυρίως conſalutari *medicum* Tobiæ filii, & *comitem*.

XXII. His igitur veluti per longas ambages de voce *comitis* animadverſis, quæ tamdiu me ab tramite in anfractus abduxit, ut tandem in unum collineent, atque ad Suetonii verba, in quibus *thecam calamariam* legere eſt, illuſtranda dirigantur, adſentiaris oportet, ſi *comes* juxta eſt, & *pædagogus*, ſive *puerorum cuſtos*, jure ab eo Claudium juſſit eripi *thecam graphiariam*; etenim cum *comites* deducerent puellos, eorumque lateri ſemper adhærerent, meticuloſiſſimus imperator verebatur, ne *comites* inſtrumenta ſcribendi puerorum, *graphia* ſcil. ſecum comportarent; quare Suetonius *comiti* procul dubio tribuit *thecam graphiariam*. Contra vero, cum ſcribæ non ſtilis, ſed atramento uterentur, ab his *thecam calamariam* detrahi imperavit; tenuium calamorum vaginam, non adeo infrunitæ mentis Claudium credas, ut timeret, ſed ponderoſæ materiei vaſculum ſcribendi. Neque hæreas, eo quod ſi honeſtiſſimam præſtiterim *comitis* perſonam, ipſum videas in Suet. ferre inſtrumenta ſcriptionis, quæ puerorum erant; quare ſi, ut id conſtet; exemplo optes firmandum; ſcias haud ſatis diu mihi adlaboratum eſſe, ut in Luciano illud inviſerem, Amor. p. 1061. quo aptius ipſe mihi confingere nequiſſem, & miror tot egregios viros illud in uberrimis in Tranquillum commentariis non aſſuiſſe: Ἀκόλουθοι δὲ οἱ παιδαγωγοὶ... τὰ σεμνὰ τῆς ἀρετῆς ἐν χερσὶν ὄργανα κρατοῦντες, οὐ πεκτενὸς ἐντομὰς... οὐδ' ἔσοπτρα... ἀλλ' ἢ πολύπτυχοι δέλτοι κατόπιν ἀκολουθοῦσιν, κ. τ. λ. *aſſeclæ autem comites veneranda virtutis in manibus inſtrumenta habentes, non ſecti pectinis inciſuras... neque ſpecula.... ſed vel multiplices pugillares a tergo ſequuntur*; ſollemne igitur, neque indecorum inſtrumenta puerilia geſtare *pædagogos*, ſive *comites*. Quare ſi huic interpretationi verborum Suetonii, quæ ob unam vocem *comitis* tenebricoſa videbantur, & jam nunc in aperto ſunt, refractarius quis poſthac obſtiterit, næ is natus eſt, ut poſthabito conſcientiæ pretio, animi contentionem invidiamque prodat ſuam. Ceterum jam primum ex Tranquillo patet bono Latinitatis ævo vaſculum atramenti vocitatum *thecam calamariam*.

XXIII. Præterea hanc bonam Latialem vocem *thecam calamariam* edocemur ex notiſſimo Martialis diſt. 19. lib. XIV. *Sortitus thecam calamis armare memento, Cetera nos dedimus tu leviora para*: quid ſibi velit, mens poetæ idem fere dicentis in utroque verſu, cogitent alii; interpretes nec lucem

lucem verbis impertivere, nec de ταυτολογία questi sunt. Hariolationem, quam scio traducendam audaciæ plenam, apponam, ut parum poetæ sententiam fulciam, quæ aliter nec bene constat, nec voces sibi respondent; quare fieri potuit, ut Martialis illeverit *ærea nos dedimus*, scil. *nos tibi donavimus æreum, sive ponderosum vasculum atramentarium, tu quod levius est, nempe calamos addas*; quam lectionem si probes, hinc colligerem id genus organa scriptoria fuisse plerumque ex ære, uti regium nostrum σκιάδειον · imo vasculum hoc regium eo quod & atramentarium certo audit, atque ex ære conflatum, parum dubii relinquitur, quin *ærea* scripserit Martialis: itaque poeta, & vasculum nostrum mutuam sibi præstant lucem. Verum pensi mei est ostendere *thecam cum calamis*, seu *calamariam*, uti legitur in lemmate, esse atramenti organum. Certe Hieronymus, qui non sordidæ Latinitatis Scriptoribus studuit, adserit in Ezech. cap. 9. v. 2. *sua tempestate* organum, de quo loquimur, *vocitari atramentarium, quod multi significantius THECAS appellabant*; scil. indicare videtur Suetonii, & Martialis verba; enim vero ipsi florenti Latinorum ævo vixere, & significantius ac sanctius, quam Hieronymiano scripsere, neque aliud reperies antiquius monumentum, ubi *theca calamaria* legas. Neque cogites *thecam calamariam* esse *calamorum vaginam*, uti rudiores quidam interpretati sunt; etenim id genus receptacula aliter cadentia legere est, in *arium* scil. uti *graphiarium* est *stilorum vagina*, & *panarium* est *panis receptaculum*, ita etiam *granarium*, &c. quare si Martialis de *calamorum cistula* locutum velles, sane appellasset *calamarium*, nomina siquidem eandem usque servant ἀναλογίαν.

Addam Amm. Marcellini locum lib. 28. c. 4. pag. 407. edit. Gronovii 1693. narrantis Imperatores *in conviviis pisces, volucres, & glires jussisse trutina ponderari, & notarios triginta cum THECIS, & pugillaribus tabulis omnia adnumerare, ut deesse solus magister ludi litterarii videretur*; ne tibi imponat Ammianus, ut credas cum Pignorio de Servis, eo quod meminit tabularum, *thecas* esse graphiaria, non atramenti vasa; nam Marcellinus exhibet notarios scriptioni operam dantes, inquit enim, *eadem numerantes notarii xxx. prope assistant cum THECIS, & pugillaribus tabulis*; vagina autem stilorum scribi posse quis unquam cogitaverit? Tabulas vero idem esse, ac membranas superne ad tædium usque ostensum est; vox *pugillaribus* adjuncta tabulis, quod novum est, vel olet Marcellinianam scribendi indolem, vel notat breves membranas. Et quidem posthac minime ambigendum, quin Latini nomen vasculi atramentarii, *thecam calamariam* appellaverint ab *calamis* ipsis, quos in eo non quidem recondebant, ut ait Hieron. in Ezech. sed intingebant; haud scio, qua arte arundines in parvo brevique atramenti vasculo accludi possint; etenim ex Origene in Ezech. & ex Hieron. ipso vocem καλαμιάδειον discimus esse nigri liquoris receptaculum; adhucdum nos Itali a *calamis*, quos in eo inficimus, vocitamus *calamajo*.

Digitized by Google

XXIV. Eandem ῥῆσιν videre est in act. Concil. Chalched. to. 4. act. 1. edit Labejan. Paris. pag. 129. Στέφανος ὁ ἁγιώτατος ἐπίσκοπος Ἐφέσου εἶπεν· ἐξελάμβανον οἱ νοτάριοί μου Ἰουλιανὸς ὁ νῦν ἁγιώτατος ἐπίσκοπος Λεβέδου, καὶ Κρισπῖνος διάκονος· καὶ ἦλθον οἱ νοτάριοι τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Διοσκόρου, καὶ ἀπήλειψαν αὐτῶν τὰς δέλτους, καὶ τὰς δακτύλους αὐτῶν παρά τι ἔκλασαν θέλοντες λαβεῖν καὶ τὰ καλαμάρια αὐτῶν, καὶ ἃ δὲ ἀντίγραφα ἔλαβον τῶν ὑπομνημάτων· ἄπερ οἶδα ἐκ τότε, τί ἐγένετο, *Stephanus reverendiss. episcopus Ephesi dixit, excipiebant notarii mei Julianus, qui nunc est reverendiss. episcopus Lobedi, & Crispinus diaconus, & venerunt notarii episcopi Dioscori, & deleverunt tabulas eorum, & digitos eorum pæne fregerunt volentes tollere thecas* (in marg. atramentarias) *& neque eorum actorum exemplaria accepi: neque novi de cetero, quid actum sit.* Longiora concilii verba apposui, ut pauca adnotem : *notarii* hic utuntur δέλτοις, & *calamariis;* igitur etiam *thecæ* Ammiani Marcellini, & *pugillares tabulæ* paullo ante laudatæ eadem instrumenta sunt, sed diverso tantum vocabulo dicta, cum penes ejusdem muneris viros sint, scil. *notarios*; vides etiam cum verbo τῷ ἀπήλειψαν jungi καλαμάρια· hinc melius firmatur ἀλειπτήριον, (de qua ῥῆσει superne pag. plura habes,) pertinere ad atramentum, non ad tabellas ceratas; & nihil dubii reliquum est, quin καλαμάριον sit μελανοδοχεῖον, quamquam a *calamis* nomen mutuetur, cum in hujus Concilii actis cum ungendi verbo (ἀπήλειψαν) adjectum legamus; si enim esset *calamorum theca*, seu *vagina*, inepte componeretur cum τῷ ἀλείφειν· atramento enim, non vagina δέλτους, *libros*, perungimus & illinimus. Demum male appicta est margini Concilii vox *atramentaria* contra Suetonii, & Martialis auctoritatem, qui *thecæ* adjecere τὸ *calamariæ*.

Sed rogitet quis, quorsum tendant plurima isthæc, quæ de ῥῆσει Græcobarbara καλάμαριον dicta sunt? scilicet ut advertamus, cum jam ratum fecerim ab priscis etiam Scriptoribus atramenti vasculum a *calamis* nomen inditum, nihil fore dubii posthac, quin *theca calamaria*, cujus & Suetonius, & Martialis meminere, Latine sit nostrum vasculum, quam nullibi Scriptorum reperiri eruditissimi quique conclamarunt, quibus fucum fecere Suetonii interpretes universi, qui præcipites in notionem *vaginulæ calamorum* concurrerunt; pigetque me etiam Jac. Facciolatum, virum penitioris Latinitatis promum condum, deque me egregie meritum in Lexico elaboratissimo *thecam calamariam* vertisse Ἰταλιωτικῶς *pennajuolo*. Demum iratus fio Henr. Trotzio pag. 89. qui adeo detorsit *thecæ calamariæ* διάγνωσιν, ut evaserit *canon*, ita ut apud veteres vice *regulæ* fungeretur; quare pretium operæ erat per longa veluti itinera, quo tantorum virorum pro hac *vaginula* jurantium auctoritas elevaretur, ad rem aggredi, & retegere vocabulo æque atque Græcos minime destitui Romanos, licet hi, sicuti etiam Hebræi unam, illi plures hujus vasculi voces, quorum lingua longe ditior, procuderint. Hæc de tot sinceris vocabulis ad

thecam

Digitized by Google

thecam calamariam ſpectantibus ex Hebræis, Græcis, Latiniſque Scriptoribus a me laborioſa eorum lectione expromptis. Hinc ſocordes & ſeros diligentiæ damnandos prædices, quotquot de re γραφικῇ multa volumina coagmentarunt, ejuſque vaſculi voces exſtitiſſe vel præfracte negarunt, vel inerti ignavoque ſilentio, eo quod labori parſerunt, prætereundas exiſtimarunt, in opiniones ἀρχαιολόγων monumentis minime firmatas juratiſſimi.

***

ab ῥήσει atramentarium *abhorruerint: & ne unam quidem vocem in* arium *cadentem pro cujuscumque liquoris vase amarint*. Vinaria *in Hor. & Plaut. non sunt* cadi vini, *uti eruditissimi: quique exputarunt: non curandus Petronius, nec Cyrilli glossæ.* XIV. Πολυβοίᾳ *vocabuli* ΜΕΛΑΝ *etymon vestigatur, atque ab Phœnicio fonte* מלון *tractum ostenditur contra Voss. Demum reliqua sena παχυγράφων epigrammata affectissima restituuntur, & metrica lege convertuntur.*

I. PRETIUM operæ me facturum reor, si γνησίοις sapientioris ævi thecæ calamariæ nominibus ex veteribus monumentis trium linguarum expromptis, barbaras præterea hujus vasculi voces ex enormi insipientis ætatis turba Scriptorum foras traham, quo & vitentur, & res omnis *atramentaria* ad πλεῖωσιν evadat. Quanquam autem inter hæc incompta & rudia vocabula non parum diu te sistam, haud tamen dubites, quin Græcis elegantiis, & Latina venustate rem veluti condire atque intermiscere satagam, postquam initio venia sit de ἑβραϊζόντων barbaris vasculis pauca libandi; a quibus, si a sanctis eorum voluminibus discedas, inficetum omne ac pingue exspectes. Itaque ῥῆσιν pro notione *atramentarii* ineptam satis, & certa γοθείᾳ infamem פנקס cuderunt Rabbini, quæ pura putaque Græcanica est πίναξ, suntque eadem στοιχεῖα in utraque lingua, quod vel tiro noscitat: atque adeo mentis morbo caluere, ut vocem, quæ Græce *tabula* est, πίναξ, *atramenti vasculum* valere dixerint; hinc in Chaldæam παράφρασιν cap. 9. Ezech. τὸ פנקס intrusere ad illud scriptorium organum significandum, cum iis minimæ frugis hominibus Hebræa vox קסרת obscura satis fuisset, utpote ἅπαξ λεγομένη in sanctis libris: vide, quæ multa adnotavi superiori cap. pag. 157. At cave, ne Mazochii nostri valens auctoritas te percellat, ut credas פנקס vocem rudioris sæculi inter Hebræos enatam, quæ prorsus Græcanica est, ὁ πίναξ, atque ita in Buxtorfium mecum conjurantem stilum acuit vir ἑβραιότατος · *Nec enim Buxtorfium audio, qui vocem Chaldæam* (פנקס) *a Græca præposterе derivavit: id quod haud raro vir magnus peccat*, de dipt. Quirin. pag. 39. verum præterquam quod undequaque olet Græcitatem vox Chaldæa, cum ignarissimis ignoro, quo pacto Græci antiquissimi, uti Homerus, cui carissima est, (consule pag. 50. &c. quantum negotii mihi ῥῆσις isthæc πίναξ facessivit,) ab Chaldæis suffurari potuissent; & dubii plenus sum, quin id me doceat vir rerum *biblicarum* cum primis doctissimus. Ceterum tironi parum lexica Chaldæa evolventi in quavis pæne plagula bene multa Græcanica, Latiaria, quin & barbarica vocabula, στοιχείοις solum immutatis, objiciuntur: & nos pauca ad rem scriptoriam solummodo spectantia pag. 82. collegimus, queis mox קלמרין, καλαμάριον, adjiciam. Quod adeo verum dicas, ut ipse Christianus Schoettgenius id viderit, vir non tantæ lectionis, ac magnus Mazochius: consule illius histor. librar. & bibliop. in Poleni thesaur. tom. 3. p. 387. qui hujus stribliginis vocabula Chaldæa vocat *Rabbinica*; sic enim ait: *Sequentibus temporibus Chaldaica, seu Rabbinica vox* לבלר *in usu erat, quæ libellarium, seu libra-*

Digitized by Google

librarium denotat; quæ ejuſdem furfuris eſt, ac פנקס, licet hæc Græcanica ſit, & לבלר Latiaris.

Præterea iidem Rabbini invexere in ſanctam linguam voces תיק מוכתב, *theca ſcriptionis*, & תרונתק, *compoſita theca*, quaſi ex תרון, & תיק, *duplex receptaculum*, ſcil. ad *pulviſculum*, & *atramentum* recolligendum. His addenda eſt Miſchna, quam ſane ſecundi a Chriſto ſæculi fœtum plerique φιλεβραῖοι prædicant: id ſcio ipſam tum Græcanicis, tum Latialibus vocabulis corruptiſſimis ſcatere; inibique lib. 6. de Lavacris non vice ſimplici atramentarium dicitur קלמרין, quæ ἄφωνα elementa æque ſunt, ac barbarum τὸ καλαμάριον, ſi vocalibus animaveris; & ſupernæ ambæ voces מכתב תיק, & תרונתק ibrides ſunt, compactæ ſcil. ex ῥήσει Græca θήκη, & ex Hebræis תרון *duplex*, & כתב *ſcribere*. Ecce tibi lex Miſchnæ de atramentario: קלמרין הדיוטות אינה טהורה עד שינקבנה מצרה וקלמרין שר יוסף הכהן היתה נקובה בצורה, quæ ita transfuſa ſunt: *calamarium idiotæ non eſt mundum, niſi donec perforatum ſit: calamarium Joſeph Sacerdotis a latere ſuo perforatum fuit*, male verſum הדיוטות, *idiotæ*, pro πληθωπικῷ *idiotarum* ab ἑβραιοτάτῳ Surrehnuſio vid. Miſch. par. 6. pag. 383. & nota barbariem Miſchnæ auctoris, qui vocibus peregrinis ubique abutitur, & quam pinguis Minervæ eſt, ut nomina ἀρθενικὰ inſtar θηλυκῶν inflectat, ut vertere poſſis *calamarium idiotarum feminarum*, קלמרין הדיוטות. Quo pacto pertundendum ſit hoc vaſculum, & cur illud Joſephi a latere perforatum fuerit, ſi cui plus otii eſt, R.Ob. de Bartenora, & R. Moſche filium Maimon. conſulat; nos id genus homines, & volumina minime curamus, quorum decumana errata & deliramenta cuivis propalam facere proclive eſt. Porro oblitus eram advertere in Paulli verbis ep. 2. ad Tim. c. 4. v. 13. quoſdam ex Syra interpretatione reperiſſe *thecam calamariam*: Τὸν φελόνην, ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. Porro Syrus interpres vocem φελόνην vertit ſatis oſcitanter, atque ὑπερβολικῶς בית כתבן, *domum ſcriptorum*; attamen inibi Apoſtolus *veſtem viatorum* propriam commemininſſe ſcimus. Et ſane Stephanus le Moine in epiſt. ad Cuperum de Melanophoris iſthæc allevit pag. 599. to. 2. theſ. Poleni: *Philonium, ſeu penula, quod reddiderunt domum librorum, ſeu thecam librorum; ſed mallem per thecam calamariam verba Syri reddere, cum poſtea fiat mentio librorum, & membranarum, &c.* Verum, poſthabitis his nullius pretii interpretamentis, ad detergenda ex Græcis voluminibus hujus thecæ fucata nomina accedendum.

II. In Pollucis Onomaſt. lib. 10. c. 14. enumerantur librorum ſpecies, nempe βιβλία, χάρται, πέλλαι, δίφθεραι, γραμματεῖα, γραμματίδια, δέλτοι, δελτία, quæ ita transfuſa legimus, *libri, chartæ, atramentaria, diphtheræ, tabulæ, tabellæ*: vides jam πέλλας eſſe *thecas calamarias*, idque calculo ſuo tuetur Kuhnius, inquit enim, πέλλη, *vaſculum fundo lato, ore arctiori, qualia ſunt mulctra, vel atramentaria*: Hemſterhuiſius & in-

Digitized by Google

terpretem, & Kuhnium mordet: *Interpres atramentaria vertit prorsus* ἀπροσδιονύσως... *quod Kuhnio non displicuisse miror*: verum ipse in bene longa adnotatione ῥητὰ, & ἄῤῥητα aggerens medelæ parum facit affectæ voci; tandem legentis animum relinquit noscendæ ejus vocis avidiorem. Ceterum Hemsterhuisii verborum ambages eo recidunt, ut pro πέλλαι recudat audacissime ἴττελαι, vel potius ἴξκλαι firmans mutationis facinus alio Pollucis loco lib. 7. cap. 33. §. 211. Ἡρόδοτος τὰς Ἴωνας φησὶ τὰς βίβλας διφθέρας λέγειν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ· τὰς δὲ διφθέρας καλοῦσι καὶ ἰττέλας (Kuhnius ex Hesychio emendat ἰττέλας,) *Herodotus tradit, Jones libros diphtheras appellare a more antiquo: diphtheras autem* & ἰττέλας *vocitant*. Attamen hic Pollux nos monet veteres Jonas, & Græcos Herodoto antiquiores appellasse *chartas* (non *libros*, ut male versum est) διφθέρας, vocabulo vero barbaro, seu peregrino ἰττέλας· cujus ῥήσεως extrariæ meminit ὀνομαστικογράφος, non quidem ut usurpemus, sed ut diligentissimum se prodat, moneatque Ἴωνας τὰς διφθέρας καλεῖν καὶ ἰττέλας, *Jonas pelles dicere etiam* ἰττέλας. Contra vero in lib. 10. c. 15. ubi genuina nomina, & materiem librorum apponit, nihil de Jonib. sermo est; errasset sane, si obsoletam voculam ad imitandum exscripsisset.

Quin autem ἰττέλη peregrinitatem præseferat, nisi egregie fallor, nihil dubii est; nam ex Phœnicibus inductam reperi, Jones παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, Herod. lib. 5. 58. facile quædam eorum vocabula mutuati sunt: חתלה, *pellem* ego interpretor, licet vulgo vertatur *fascia*, *pannus*; scimus enim veterrimos hominum, quibus in rebus nos pannos, simpliciſſima quæque adhibuisse: idque adeo ratum est, ut quæ in psal. 103. 3. legimus, *Extendens cælum*, *sicut pellem*, Jobus fere in eadem sententia cap. 38. v. 9. utatur etiam ῥήσει חתלה, quæ enunciari & proferri potest *ittela*, unde ἀμέτως Græca vox ἰττέλη quacum τὴν ἰξάλην male confundit Hemsterhuisius: hæc enim bona vox est, quam habes ex Hippocr. & Galen. περὶ ἀγμῶν pag. 244. edit. Carterii.

Verum pronum est Pollucis locum restituere, qui tot Ἑλληνικωτάτους viros torsit, quorum unus Jungermannus enixe conqueritur: *Grammatici hunc usum ejus vocis non explicant . . . quid tamen dicam nescio; id tamen scio, me non intelligere*, &c. si dicas vocem πέλλας intrusam, & a posteriori manu adscriptam; rem ita eveniſſe exputo: barbarus quis Græculus margini, ut moris est, illevit πέλλας, ut ostenderet notionem vocabuli διφθέρας, utpote non tam usu triti, ut est vox δέρματα· inde exscriptor insciti ſſimus inter verba Pollucis immiscuit deturpavitque scriptorem politiſſimum; id genus fœditates fere in omnibus membranis exstare indolescimus. Græcanicum non esse vocabulum ἡ πήλη, sed Romanum satis compertum est, & habes etiam ab Vossio in Etymol. qui Philoxenianam dictionem πελλοράφος barbaram jure traducit; licet Hemsterhuisius ad remotissimam Græci sermonis antiquitatem pertinere importune tueatur.

Digitized by Google

tur. Fateor autem me in omni, quantum est, Pollucis Onomastico ne unam quidem vocem ἀξοπκήν, & quæ e medio Græco fonte non hausta sit, reperisse; hinc detergendam τὴν πέλλην edico, quo illud in nativam puritatem restituatur. Oscitanter igitur hallucinati sunt Latinus Onomastici interpres, & Kuhnius, qui furtivum & insititium τὸ πέλλας, *atramentaria* reddidere, atque ad bonam mentem sane rediissent, si otiosius expendissent Pollucem ejusdem cap. initio librorum nomina adnumerare, circiter vero finem scriptionis instrumenta attexere, interque cetera *thecam calamariam*, quam eleganti veraque voce expressit, nimirum μελανοδόχον, quod nos superius jure refecimus μελανοδοχεῖον. Pollucem igitur facile ξενικῇ ac barbara voce purgavimus, & longe faceſſant, qui *vas atramenti* πέλλῶ vocitare audent.

III. Temperare mihi non possum, quin ῥῆσιν in eodem Onomastici cap. nequiter appositam ad negotium etiam calamarium spectantem exturbem, veramque reponam: Pollux enumerat valcula pueri scribere cupientis: Τῷ παιδὶ δέοι ἂν προσεῖναι γραφεῖον, παραγραφίδα, καλαμίδα, πυξίον: quæ ita Latine versa prostant: *puero adesse debent stylus, notatorium, calamarius, tabella;* stuporem interpretum miratus sum, atque eorum, qui æternis doctisque commentariis hunc grammaticum decorarunt, nihilque prorsus de voce Græca καλαμίδα, neque de mendosa Latiali *calamarius* adnotarunt; & pæne ad monstrosum illud vocabulum *notatorium* exhorrui; misertus sum etiam Græcorum meorum, quos tam fœde in exteram linguam transfusos video. Porro quid cum pueris *calamus*, aut *calamarium*, cum ejus ætatis stilus proprius sit, uti superne pluribus firmatum est? Verum ne longus sim, & ne animi pendeas, mecum quovis pignore pro καλαμίδα restitue τὴν κανονίδα, ut sibi constet Pollux; nam paucis post versibus meminit *calamorum*, quos cum atramento, & atramentario componit, μέλαν, μελανοδοχεῖον, καλάμους· *canonis* vero nullibi meminit; atque ita nequaquam ἐπαναλήψει culparetur frustranea iterans vocabula; vocem vero παραγραφίδα verte *thecam graphiariam* cum Suetonio, qui illam pueris etiam tribuit, vide pag. 167. & lexicis adscribe, quibus fortasse adjecta non est, cum adhuc ejus notio ignoraretur; (longe faceſſat Trotzius pag. 89. libere definiens esse *stilum plumbeum*;) atque hoc pacto organa scribentium adolescentulorum belle enumerarentur, γραφεῖον, *stilus* cum ejus theca, quæ est παραγραφίς· inde κανονίς, *regula*, ut scriptio non exorbitet; demum πυξίον, *tabella*. Neque te turbet Henr. Stephani auctoritas in lex. aliquantulum addubitantis, an κανονίς sit instrumentum, quo diriguntur versuum lineæ; nam diligentissimum virum fugerat primum epigr. τῶν ταχυγράφ. ex Anth. lib. 6. ubi inter τὰ σκεύη scriptoria apponit Philippus ὑπάτην κανονῖδα, & vertunt *summam regulam*:

Καὶ κανονῖδ' ὑπάτην, ἣ τὴν παρὰ θῖνα κίσηρον,
Αὐχμηρὸν πόντῳ τρηματόεντα λίθον
Καλλιμένης Μώσας . . . . θῆκεν.

Et

Et regulam ſummam, &, qui juxta litus eſt, pumicem
Squalidum, maris pertuſum lapidem
Callimenes Muſis.... dedicavit.

Porro ut, quæ de hac voce κανονὶς ſentio, aperiam; Philippus non illevit epigrammati κανονῖδα, ſed κανόνα, exſcriptores vero voces κανονῖδ' ὑπάτῳ fœde interciderunt, & litteras intertubarunt; quiſque noſcit nihil ſani menti ingerere illud ὑπάτῳ regulæ adjectum; quare ſi litteras loco ſuo reſtituas, luce clarius Philippi αὐτόγραφον inſpicies; ſcribe igitur κ' κανόν' ἰθύτατον, & *regulam rectiſſimam*, quo nihil emaculatius, nihilque τῷ κανόνι ſcriptorio aptius, quam ut ἰθύτατος, *rectiſſimus ſit*; neque προσῳδίᾳ laborabit verſus; quod contra eſt, ſi legas κανονῖδα, cum penultima omnino tenuanda ſit, & detergenda ab eleganti epigrammatographo puerilis erroris noxa. Meam hanc διόρθωσιν certiſsimam reddit epigramma 2. ejuſd. tit. inibi incorrupte leges, Καὶ κανόνα γραφίδων ἰθυτάτων φύλακα, & *regulam ductuum plumbeorum rectiſſimum cuſtodem*, (non *rectiſſimorum*, canon ſit oportet *rectiſſimus*, non calami), & facile quiſque apponet ἰθύτατον pro ἰθυτάτων, quod oblitus eſt Montfauconius in Palæogr. pag. 22. in fin. Juvat non parum etiam epigramma 3. Καὶ κανόνα γραμμῆς ἰθύπορον ταμίλῳ, extima vox ταμίλῳ hic haud Latine reddere ſatis ſum; adde epigr. 7. v. 3. κάνων τύπον ὀρθὸν ὀπάζων· & epigr. 4. v. 2. ἰθυτενῆ κανόνα. Vides igitur quam importunum ſit τὸ ὑπάτῳ, & quam miſere conſciſſæ ambæ hæ voces; miror ita etiam legi in membranis Palatino-Vaticanis, quas optimæ notæ venditant, num. 33. & Manutium, totque viros Græce ſcientes tam turpem maculam, quod tanti non erat, minime eraſiſſe; & dubius ſum, quin mihi fides detur, ſi indicem Salmaſium ipſum in Hiſt. Aug. to. 2. p. 699. col. 2. aliquoties acerrimum verborum tortorem, ſæpe fortunatiſſimum inſtauratorem ambas has voces κανονῖδ' ὑπάτην minime adglutinaſſe. Ceterum ut ad Pollucem redeam, atque ad H. Stephanum, ſi vocem κανονὶς ab epigrammate deterſimus, alibi invenire otium non mihi fuit, atque haud ſcio, an reperire ſit; attamen bona vox eſt, & ἀναλογικῶς cadit a κανών, ut ſexcentæ id genus dictiones, quæ ὑποκορισικῶς deducuntur. Hic autem parum te reſiſtere jubeo, & advertere in Suidæ lex. etiam laudari verſum epigrammatis corruptum, nimir. κανονῖδ' ὑπάτην, quare ab ea uſque ætate ea labes incubabat, & miror Suidam non abſterſiſſe; & mirandum magis Kuſterum Græce doctiſſimum hic nihil vidiſſe; etiam boni viri aliquando dormitant! verba Suidæ adſcribam, ut ea conſulendi labore te levem: Κανωνὶς ἐργαλεῖον καλλιγραφικὸν ἐν ἐπιγράμματι, κ' κανονῖδ' ὑπάτῳ.

IV. Quoniam autem mihi ſermo eſt de κανονίδι Polluci reſtituta pro καλαμίδι, quam interpretes oſcitanter *calamarium* converterunt, a qua notione perquam longiſſime abeſt: pro re nata vox κανών, quæ Clem. Alexandrini pulcherrima στρώματα nequiter inficit, detergenda, quæ etiam falſo pro *vaſe ſcriptorio* habita eſt; neque credas politiſſimum ſcriptorem

Digitized by Google

rem in id barbariei impegiſſe. Ἑξῆς δὲ ὁ ἱερογραμματεὺς προέρχεται ἔχων πτέρα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, βιβλίοντε ἐν χερσὶ, καὶ κανόνα, ἐν ᾧ τὸ γραφικὸν μέλαν, καὶ χοῖνον, ᾗ γράφουσιν, ita vertunt: *deinde autem ſacrorum ſcriba procedit habens pennas ſuper capite, librum in manibus, & vaſculum, in quo ſcriptorium atramentum, & juncum, quo ſcribere ſolent*, Strom. lib. 6. pag. 757. edit. Oxonienſis: accuſandi Gentianus Hervetus, & Joan. Potterus, duoviri de Clemente egregie meriti, qui locum affectiſsimum nihili prorſus curarunt; ſaltem, quod conjecit Cangius, appoſuiſſent, hic enim pro κανόνα voce importuniſsima legit κάνιον, vid. Gloſſar. Græcum; *Inde* κανίκλειον, inquit, *caniculus, ſive vaſculum, quo imperator utebatur ad puniceas litteras ſcribendas; quare qui hujus ſervandi, vel miniſtrandi munus acceperat*, ὁ ἐπὶ κανίκλειον, *vel ſimplicius* κανίκλειος *vocabatur*, hæc Cangius; quæ apprime probantur Montfauconio Palæogr. p. 22. Me autem piget his elegantibus, & Attice contextis σκώμμασι adſuere vocularii κάνιον, quæ labes eſt infimæ Græcitatis; cum non dubius ſim, quin appinxerit Clemens κανοῦν, *ciſtulam*, quam bonam vocem, ut poſthabeam Homero eſſe familiariſsimam in utroque poemate, ubique veterum Scriptorum reperimus, ἀνταξιοῦ ἄλλων ſit Pollux lib. 10. cap. 23. pag. 1263. Καὶ κανοῦν δὲ ἀρτοφόρον, εἴποις δ' ἂν καὶ κίσλιν ὀψοφόρον, & *arculam panariam, & ciſtam obſonariam dices*. Si igitur ſecundum Pollucem τὸ κανοῦν, & ἡ κίσλη ejuſdem notionis & poteſtatis vaſcula ſunt, optimique ex Græcis *atramentarium* dixere κίσλιν μελάνδοχον, quis canonum grammaticorum quanti vis tenax prohibeat, quo minus etiam κανοῦν μελάνδοχον, vel κανοῦν, ἐν ᾧ μέλαν γραφικὸν dicam? Interdicendum igitur, ne quis credat κανόνα eſſe *atramentarium* falſa Clem. Alexandrini voce abreptus, pro qua bonam veramque reſtitui.

v. Sed longe turpiorem maculam a laudato Clementis σκώμματι eluendi mihi venia eſto: Ἱερογραμματεὺς προέρχεται πτέρα ἔχων ἐπὶ τῆ κεφαλῆς, *ſacrorum ſcriba procedit pennas habens ſuper capite*; πτέρα aptius transfunderem *alas*, ut eſſet Mercurio ſimilis ἱερογραμματεὺς, nam Hermetis βιβλίον geſtabat; ſed ne tricemur, mihi ſanequam perridicula videbatur perſona ſacri ſcribæ pennatum, alatumve oſtentare caput, nullibi ſiquidem reperies πτέρα fuiſſe ejus principis corporis partis ornamentum; turpe enim rati ſunt non ſolum ſacerdotis, ſed cujuſvis hominis capiti inducere plumas. Quare ſi parum reficias vocem πτέρα, ſtatim habes πάρα, eritque propria ἱερογραμματέων· neque intercedas tiaram fuiſſe Perſarum, nam reponam Virgilium Æn. 7. 247. dare Priamo, dum diceret jura populo, *ſceptrumque, ſacramque tiaram*; & Juvenalem ſat. 10. v. 267. de eodem Rege Phrygio canere, *tremulus poſita ſumit arma tiara*. De hoc capitis geſtamine vide Briſſon. lib. 11. Regn. Perſ. p. 174. Si otio abundes, & hujus pilei σχῆμα intueri cupias, adi obſervat. Jac. Gronovii in Herodot. pag. 973. & pag. 912. qui marmor Perſepolitanum profert, in quo Darius equitans exhibetur. Adde Spanhemium de P. N. to. 1. pag. 450. 468. 537. ubi multa de eadem tiara, ejuſque forma,

Digitized by Google

forma, ornamentis, &c. ibique oſtenditur etiam gentilium ſacerdotes geſtaſſe id genus pileum. Verum miror Spanhemium laudare Briſſonium, non vero Gronovium. Clemens videtur ab Herodoto ipſo mutuatus fuiſſe verba, quæ ſanamus; hic in Polhymnia pag. 403. inquit Πέρσαι ... περὶ τῇσι κεφαλῇσι εἶχον πάρας.

Adde, Pollucem πτέρα minime recenſere inter capitis tegumenta, ſed inter chlamydes, quæ, utpote amplivagarum alarum inſtar, probe ita appellatæ ſunt, imo etiam πτέρυγες, lib. 7. c. 13. Τὰς δὲ Θετταλικὰς χλαμύδας, Θετταλικὰ πτέρα ὠνόμαζον· & cap. 14. Μέρη δὲ ἐσθήτων, πτέρυγες μὲν, καὶ πτερύγιον, τὸ ἥμισυ τῦ χιτωνίσκυ. Contra vero lib. 5. cap. 16. inter capitis ornamenta apponit πάραυ καὶ κυρβασίαν· & Clementi gratulor, *verbum emicuit ſi forte decorum ... & paullo concinnius*, Horat. Hunc Clementis locum laudat etiam Jo. Cauſſinus obſervat. in Horapollinem pag. 257. & 258. edit. Cornelii Paw, nihilque de amanuenſium incuria ſuſpicatus eſt; quin κάνονα nihil hæſitans vertit *regulam*, & voculas ἐν ᾧ, puerorum inſtar, occuluit. Neque me turbant Ariſtophanis ſcholiaſtæ ajentes Perſas habuiſſe tiaras pennis pavonum ornatas; (& miror tot illuſtres Clementis interpretes neque Ariſtophanem, neque hoſce ſcholiaſtas laudaſſe,) verum pernego hunc comicum id ceciniſſe, conſtatque ex ejus verſibus in Acharn. v. 63.

.... ἄχθομαι γὼ πρέσβεσι
Καὶ τοῖς ταῶσι, τοῖς τ' ἀλαζονείμασι.
.... *nam ego legatis, & pavonibus*
Et oſtentationibus ſuccenſeo.

Irridentur hic legati Perſarum, eo quod pictis veſtibus, longaque tiara ſuperbientes Athenas adventarint; quare Ariſtophanes lepide σαρκάζων *pavones* appellat; nihil igitur hinc eruitur de pennis tiaræ appoſitis. Equidem etiam ſcholiaſtæ locum comici explanare aggreſſi, quæ proferunt, dubii plena ſunt, ternaſque conjectationes adnectunt nulla prorſus auctoritate fultas: Τοῖς κόλποις τοῖς πεποικιλμένοις, ἐπεὶ ὁ ταὼς ποικίλος· ἢ ὅτι πορφύρας ἔχουσι, καὶ πάρας, ὡς αὐτός φησι· Τιάραι δέ εἰσι περικεφαλαῖαι Περσικαὶ ταῶνος πτέρα ἐχοῦσαι· ἢ ὅτι ἥκοντες ἀπὸ Περσίδος ταῶν' ἔχοντες ἐληλύθασιν, ſcil. vocitatos ajunt pavones legatos Perſicos, *vel ob indumentorum varietatem, hilaritatemque colorum, vel eo quod purpura induti, & pennato galero tecti pavones viderentur; vel demum quod iter agentes hanc avem ſecum circumportarent:* in quibus verbis cum nihil conſtans ſit & certum, poſthaberi poſſunt; præſertim cum alia mens ſit Ariſtophanis, neque alibi legamus pennatas fuiſſe tiaras, neque in earundem millenis figuris pennas cernere ſit. Quare loco Clementis, quem ſanavimus, ſcholiaſtarum ſententiam nihil prorſus officere vel luſcinioſus cernit. Si quæras plura de πτεροφόροις, qui nuntii erant & curſores, a Mercurio ducto nomine, & de iis, queis exemplo Cupidinis alas juſſit apponi Ælius Verus imp. *ventoſque* appellavit, vide Trotzium in Hugonem

Digitized by Google

nem pag. 149. ſed permixta omnia leges, & concocta parum: vel conſulas Caſaubonum in Spartian. in Ælio Vero p. 236. & Lamprid. in Alex. Sever. p. 1023. Demum ne deneges veniam, ſi a voce κανόνα emendanda, quam pro atramenti vaſculo perperam accepere, alio tranſvolarim; olim *pædagogus* Clementis, & *ſtromata* deliciæ meæ fuere, utinam forent omnium ſacrorum adoleſcentum, eo magis, quod Clemens eſt ὁμηρικώτατος.

VI. Rejectis jam non unis adulterinis hujus organi Græcis nominibus, moleſtiſſime mihi ferendum eſt Montfauconium, (vid. Palæogr. pag. 24.) dupliciter de theca calamaria male mereri; qui & in nomine, & in materia ipſa peccavit; inquit enim, *In epigram. antiquo vaſcula atramentaria plumbea eſſe dicuntur*, prolatoque epigrammate, κυκλομόλιβδον edicit eſſe *atramentarium plumbeum;* auctoritas ac nomen tanti viri, cui φιλήλληνες nihil non debent, cuique imponeret, ut in ejus verba juraret: quare ne egregii Scriptoris fama in rem litterariam Græcanicam falſum nomen hujus vaſculi, & vile genus materiei inducat, ipſum epigramma, quod ex ſeptenis ſecundum eſt in Anthol. lib. 6. περὶ ταχυγράφων, adſcribam, brevique commentario honeſtabo.

Ἄδηλον.

Γραμματίκῳ πλήθοντα μελάσματι κυκλομόλιβδον,
Καὶ κανόνα γραφίδων ἰθυτάτων φύλακα,
Καὶ γραφικοῖο δοχεῖα μελανοτάτοιο ῥεέτρα,
Ἄκρατε μεσσοτόμους ἀγλυφέας καλάμους,
Τρηχαλέῃσι λίθον δονάκων ἀθηγέα κόσμα,
Ἔνθα περιτμβέων ὀξὺ χάραγμα πέλει,
Καὶ γλυφανῖδι καλάμῳ πλατὺ γλοχῖνα σιδήρου,
Ὅπλα σοι ἐμπορίης ἄνθετο τ' ἰδίης
Κεκμηκὼς Μενέδημος ὑπ' ἀχλύος ὄμμα παλαιὸν,
Ἑρμεία, σὺ δ' ἀεὶ φέρβε σὸν ἐργατίνην.

Interpretationem hanc ipſe appoſuit Montfauconius:

Scriptorio plenum atramento rotundum plumbum,
Et canonem calamorum rectiſſimorum cuſtodem,
Ac ſcriptorii vaſculi nigri fluminis,
Atque a ſummo per medium ſciſſos bene ſcalptos calamos,
Scabrumque lapidem calamos bene temperantem,
Ubi detritorum tenuis character eſt,
Et ſcriptorii calami lati cuſpidis cultri,
Arma tibi mercimonii poſuit proprii
Laborans Menedemus caligine oculorum ſenilium,
O Mercuri, tu autem ſemper paſce tuum operatorem.

Miſeret me ſat elegantis carminis ſanequam inficete in Latinum converſi, & Latialia verba illita ſunt ad libidinem, non ad αὐτογράφου indolem. Et quidem nemo non videt κυκλομόλιβδον πλήθοντα μελάσματι non eſſe *thecam atramenti plenam*, ſed plumbi lamellam inſtar numiſmatis rotun-

Digitized by Google

dam, quacum in membranis, & chartis ope τῦ κανόνος signabantur lineæ bene plurimæ, ne scriba susque deque exorbitaret: hanc plumbi figuram ignorans Trotzius fingit *plumbeum stilum* pag. 88. in Hugon. Facile detorsere mentem Montfauconii verba πλήθοντα μελάσματι, ideo versum est *plenum atramento*; verum μέλασμα longe distat ab τῷ μέλαν, cum illud sit simplex *denigratio* & *tinctura*; & Pollux definit μέλασμα, τὸ τ' κόμης βάμμα, *denigratio, est comæ tinctura*, loquitur de tonsorum instrumentis lib. 2. cap. 3. segm. 35. & vox πλήθοντα poetarum est ἔμφασις· idque scitu facile est iis, qui tragicos lectitant; exempli ergo στρατὸς χαλκοπλήθης, Eurip. in Suppl. quæ non transfunderem certe *ære repletus exercitus*, sed *armatus*; quare μόλιβδος πλήθων μελάσματι, valet æque, ac *nigrum, nigricans plumbum*.

Præterea si Montfauconius invisisset reliqua epigrammata ταχυγράφων, statim nosset κυκλομόλιβδον satis longe distare ab *atramentario*; nam in primo dicitur plumbum librarium κυκλοτερὴς μόλιβος σημάντωρ σελίδων, *rotundum plumbum signans pagellas*: in 3. γυρὸς μόλιβος σημάντωρ γραμμῆς· in 4. τροχόεις μόλιβος, ὃς οἶδε ἄτροπον χαράσσειν, *versatile plumbum idoneum ad recte characteres fingendos*: in 5. μόλιβος ἄβροχος γραμπτήρ, *plumbum inerrans in signando*: in 6. μόλιβος ἐπιθύνων, *plumbum dirigens*: in 7. μόλιβος κύκλοισι χρώστων τρωχθείς, *plumbum in gyro signans erasum*. Igitur cum ignarissimis ignoro, quo pacto in exscripto epigrammate Montfauconius, cum struem exemplorum ante oculos habuerit, si modo habuit, non viderit *plumbum*, sed *atramentarium*: & quod sane mirum est de tanti viri ἀβλεψία, in unoquoque ex epigrammatis atramentariæ thecæ nomina inesse, vid. in fine hujus cap. atque in hoc ipso vocari δοχεῖα γραφικοῖο μελανοτάτοιο ῥέεθρα· id quidem non advertit auctor Palæographiæ, sed prius σφάλμα ad omnia turbanda ipsum impulit, edicitque Menedemum tum *atramentarium plumbeum*, tum alia vascula servando atramento Mercurio sacrasse, quæ ταυτολογία non est in epigrammate, ut illud legenti patet. Saltem in mentem venissent Montfauconio, quæ in Varum lepide cecinit Catullus ep. 18. ut sciret fuisse inter scriptoria instrumenta plumbum longe diversum ab atramentario:

Puto ego esse illi millia, aut decem, aut plura
Præscripta, nec sic ut fit in palimpsesto
Relata, chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.

Et inter officia domus Augustæ, vid. Grut. indicem adnumeratur, qui erat *a plumbo*, scil. qui membranas plumbea lamella dirigebat, uti erant etiam a glutine librorum, & malleatores, &c. Hic autem obiter moneo, ne commisceas hos servos *a plumbo* cum *plumbariis*, quos meminit l. ult. D. de jure immunit. quos ad negotium militare, & ad militares artifices referas, conflantes scilicet *plumbeas glandes*; miror sane Gothofredum

in

in ea lege *plumbarios* confundere cum *plumariis*, vel saltem commutare; etenim rejicit lectorem ad tit. Cod. de excusation. artif. ubi imperator opportune *plumariorum* meminit. Miror magis Mazochium legalium vocabulorum scientissimum eam pandect. ῥῆσιν in dedicat. sub ascia pag. 282. col. 1. interpretari de iis, qui marmora adplumbabant: *Lapides a lapicida ad traditam ab architecto formulam scalptos politosque alius deinde adplumbabat, iique sunt plumbarii, l. ult. D. de jure imm.* ita vir doctiss. Attamen quisque facile videt inibi militiæ solummodo artifices addictos enumerari, quorum non ultimi nominis dicas *plumbarios*, qui scilicet ex eo metallo glandes conformabant, quarum maximus usus in prælio: hinc Ovid. Metam. 2. v. 727. *Balearica plumbum funda jacit.* Sallust. in Jugurt. c. 47. *Pars eminus glande, aut lapidibus oppugnare;* verum in re protrita satis pigeat immorari.

VII. Quoniam autem huic carmini non inconcinno adjectum est supernum ex Palæographia admodum monstrosum interpretamentum, Græcæ fidei pax mihi sit restituendi. Porro ambos priores versus & quoad autographum reparavi, & ἰθυτάτων in ἰθύτατον pag. 190. immutavi. Restat solummodo, ut vocabulum γραφίδων, quod omnes transfundunt in *calamorum*, an id vere notet, inquiram; quod sane pernego, nam κανών non est φύλαξ *calamorum*, sed regit lineolas, quas colorat plumbum, non vero regit arundines scriptorias; quare γραφίδες sunt *ductus* illi, seu *lineæ*, quæ pinguntur ab lamella plumbea ope regulæ custodientis, ne illæ a recta exorbitent; itaque ἢ κανόνα, γραφίδων ἰθύτατον φυλάκα, vertes apposite, & *normam, linearum rectissimum custodem*. Addas præterea γραφὶς εἶσε γενικὸν instrumentum, quo in membranis pingimus παραλλήλως ductus; & hic γραφίδας per me liceat ut accipias pro lamellis illis plumbeis, quæ rectissimæ regulæ adjumento chartas colorant. Nimis licenter Trotzius definit pag. 89. id instrumentum *ab Græcis dici* παράγραφον, *Latinis præductal;* & in utroque pueri instar culpandus; neque enim παράγραφον Græce id notat, neque exstat ἑτέρα generis, sed παράγραφος, nisi sit error typographi: vox vero *prædictal* in Latio nata non est, sed longe barbararum gentium advecta; Romani ἰδίῳ ejus organi vocabulo caruere, vel potius tot eorum voluminibus pessumdatis, cum ipsis nomen illud desideramus. Ipse vero pro notione potius *linearum* τὰς γραφίδας accipiam; etenim in epigr. 6. dicitur μόλιβδος ἐπιθύνων πορείας ἀκλινέας γραφίδεσσιν, *plumbum dirigens vias rectas lineis;* & epig. 7. μόλιβδος χαράσσων αὐλακας ἰθυπόρων γραφίδων, *plumbum signans semitas rectarum linearum:* aperte vides discriminari instrumentum scribens ab lineis ipsis. Sed nihil evidentius in ep. 3. γυρὸν κυανέης μόλιβον σημάντορα γραμμῆς, *curvum plumbum nigricantis colorator lineæ:* γραμμὴ autem, & γραφὶς valere idem nullus nescit. Concludam igitur nequiter peccatum esse, cum κανόνα γραφίδων versum sit, *regulam calamorum.*

In 4. v. inficete, ἀγλυφέας καλάμους versa sunt *scalptos calamos;* scribe

Digitized by Google

ἐγραφέας καλάμους, *bene ſcribentes calamos*; calami non ſcalpunt, multo minus παθητικῶς ſcalpuntur; fundum do hujus mutationis verſ. 10. epigr. 4. ubi vocantur ἐγραφέως τέχνης ὄργανα· &, ne dubites, ſors obtulit, ut eadem verba legerim in verſ. 6. epigr. 5. ἐγραφέων καλάμων ἀγροβαφεῖς ἀκίδος, *bene ſcribentium calamorum cuſpides extremitate tinctas*.

Diſtichon 3. duram rem faceſſit, ut Latinitate donem, nam quam apposuit Montfaucon. tenebricoſa eſt, & barbara, Græcique verſus ἀσύντακτοι.

Τρηχαλέωτε λίθον δονάκων ἐθηγέα κόσμε,
Ἔνθα πεφτριβέων ὀξὺ χάραγμα πέλει.
Scabrumque lapidem calamos bene temperantem,
Ubi detritorum tenuis character eſt.

Verba λίθον δονάκων ἐθηγέα κόσμε nullam concludunt ſententiam, quare quidam vocem κόσμου immutarunt in κόσμον, & Latine, *lapidem calamorum acutum ornatum*; hi autem ſuaves admodum ſunt, cum non ſit pumex acutus, ſed calami; verum vel locus corruptus eſt, vel ſi ita ſcripſerit auctor epigrammatis, ut brevis ſim, nam res non tanti eſt, dicendum ἐθηγέα non produci ab ἐθηγής, *bene acutus*, & παθητικῶς ſumi; ſed ab ἐνεργητικῇ voce ἐθηγός, *qui acuit*, uti ἑρμογλυφός, *qui ſtatuas ſculpit*; quare, λίθος τρηχαλέος ἐθηγὸς κόσμε δονάκων, reddas, *lapis ſcaber optimus-aculeator decentiæ calamorum*, i. e. ἐταξίας δονάκων, qua apte decenterque ſcriberent; ſicuti, ne ab epigrammatis diſcedam, in 5. viſitur γράμματος εὐμονίη, *characteris ordo, decentia*; hinc ſententia ſatis concinna enaſcitur; (condonanda mihi ῥῆσις nova *aculeator*, quo Græcorum verborum fidei conſulerem;) atque addendum eſt vocabulum lexicis ἐθηγός, cum hic active ſe habeat; ἐθηγής e contrario, *acutus*, paſſive jam exſtat, uti ξίφος ἐθηγές. Præterea, cum ἐθηγός componendus ſit cum nominibus ἀρτεμικοῖς, ſcribas oportet τρηχαλέον λίθον, non τρηχαλέω, nam in primo epigram. eſt τρηματοέντα λίθον· in 4. λίθον ὀκεμσέντα· epigramma 7. rem firmat, nam eadem verba inſunt, ἢ λίθος ἐχιδέων τρηχαλέος καλάμων, *& lapis ſcaber bene ſciſſorum calamorum*; licet hic falſo legatur θηγαλέος, *acutus*; &, nuper commonui pumici id ἐπιθετὸν eſſe prorſus ἀπροσδιόνυτον. Porro aliquid lucis etiam pentametro addam, Ἔνθα πεφτριβέων ὀξὺ χάραγμα πέλει, quem interpretantur, *ubi detritorum tenuis character eſt*; vides jam hic nihil niſi verba, poetæ mentem minime aſſecuto interprete; quare germane vertendum eſt: *Inde, calamis ab pumice circumroſis, evadit character expeditus & celer*; erratum eſt igitur in voce ὀξύς, quam vel tirones norunt valere etiam *celer*; & quem latet Plutarchi locus in Rom. Τὰς ταχεῖς Ῥωμαῖοι καὶ ὀξεῖς, κελέρας ὀνομάζουσιν; Demum ſeptimus verſus, Καὶ γλυφανῆ καλάμε πλατέος γλωχῖνα σιδήρε, *& ſculptorii calami lati cuſpidem ferri*, laborat in voce γλυφανῆ, & non vice ſimplici dictum eſt, calamos non ſcalpere membranas, ſed tingere; quare inſtaura veram bonamque vocem γραφικῆ, nam prima inficeta & Græcis ignota; neque te turbet auctoritas

Digitized by Google

tas Salmaſii Hiſt. Aug. pag. 706. & in Solinum p. 734. eandem in hoc epigram. agnoſcentis; potius obſtupeas illum ajentem γλυφανον eſſe *ſcalpellum*, teſtemque vocantem hunc verſum, cum inibi adjunctum ſit τῷ καλάμῳ. Sed fortaſſe H. Stephanus Salmaſium decepit; etenim in ſuo Theſauro tom. 1. p. 851. hanc vocem ita explicavit & male vertit. Reliquos tres epigrammatis verſus affectos non reperi, quod fortunæ potius tribuendum, quam exſcriptorum ſtudio, qui illud tam perverſe inquinavere.

VIII. Reſtat ut pauca addam de interpretatione hemiſtichii ver. 5. λίθον δονάκων εὐθηγέα, *lapidem calamos bene temperantem*; nam mihi temperare non potis ſum, quin diuturnum, communemque errorem, ne dicam flagitium ex omnium vel politiſſimorum Scriptorum libris detergam; qui in re γραφικῇ verbum *temperare* nequiſſime abutuntur, ſcilicet in ea notione, qua in hoc epigr. Montfauconius, nim. pro *acuere*, quod Græci dicunt ὀξύνειν, θήγειν· nam licet elegantiſſime veteres uſi ſint τῷ ῥήματι *tempero*, nunquam in præpoſtera hac ſignificatione ab eiſdem uſurpatum legi; ſed *temperare*, i. e. *acuere calamos* a tranſmontanis regionibus invectum eſt nuper in Latium. Illos tranſverſos egit locus Cic. ep. ad Q. Fratrem lib. 2. ep. 15. *Calamo, & atramento temperato, charta etiam dentata res agetur: ſcribis enim te meas litteras ſuperiores vix legere potuiſſe: in quo nihil eorum, mi frater, fuit, quæ putas; neque enim occupatus eram, neque perturbatus, nec iratus alicui: ſed hoc facio ſemper, ut quicumque calamus in manus meas venerit, eo ſic utar, tanquam bono.* Quæ ſic interpretor; adeo confuſam & turbatam epiſtolam non bono calamo illeverat Cicero apri dente non lævatis chartis, ut conquerendi fratri cauſam dederit; cui reponit Cicero ſe in poſterum temperantius & moderatius ſcripturum, nec uſurum quovis calamo, qui in manus venerit; hoc pacto probe conſtabit antiqua indoles verbi τῷ *temperare*, quam ſolam veteres uſurparunt; & ſicuti belle audit *ſtilus redundans*, *temperatus* apud ipſum Cic. hæc eadem προσθετὰ adjici poſſe calamo nemo neget.

Si vero quis adhuc animi mente hæreat, quin *temperare* non juxta ſit, & *acuere*, vadem divitem dabo Hieronymum, quem Ciceroni impenſe ſtuduiſſe norunt omnes, eique gratulor, quod ſecundum hanc ſententiam Tullii hujus epiſtolæ locum intellexiſſe viſus eſt, inquit enim in præfat. Evangel. *Ita calamum temperavimus, ut iis tantum, quæ ſenſum mutare videbantur, correctis, reliqua minora ſineremus, ut fuerunt:* ecce tibi Hieronymus, qui *moderatius* ac *temperantius* ſe geſſit in reddendo Græcæ fidei Latinum Evangeliorum librum, neque omnia uti in Hebræo commutavit, idque κυρίως eſt, *calamum temperavimus*, non vero *ſcalpello acuimus*, uti hæc Hieronymi verba nequiter, pace tanti viri, Salmaſius interpretatur Hiſt. Auguſt. pag. 706. imo locum ipſum epiſtolæ Tullii perverſe ad eandem *acuendi* nōtionem detorquet; & ad ſtuporem

uſque

Digitized by Google

uſque miratus ſum tantum interpretem in Plinio vocem bonam interpolaſſe, atque appoſuiſſe præpoſteram : *Nimia quippe Auguſtæ* (chartæ) *tenuitas tolerandis non ſufficiebat calamis*, pro *tolerandis* refecit, *temperatis ;* ſibique plaudit : *egregia emendatio ; temperati calami ſunt acuti, nam temperare calamum, eſt acuere ;* jam vides hæc ἀσόγως a Salmaſio dici, cum revera *charta tenuis calamum*, & atramentum non *tolerat*, ſed diſpergit, vel ebibit ; neque hic ſermo eſt de *acumine calamorum ;* ſed magni viri mentem laudatiſſimæ epiſtolæ Cic. verba obnubilarunt.

Salmaſii auctoritas fortaſſe in eandem ἀβλεψίαν minoris famæ interpretes corripuit, veluti Nic. Funccium de Script. vet. pag. 121. lubentiſſime definientem ; *Calamus temperatus eſt recens ad ſcripturam acuminatus*, &c. ceteroſque id genus bene multos, quos tempori parcens prætereo, nimis ſolummodo intererat grande Salmaſianæ ſententiæ momentum elevare. Optarem, ut idem παρόραμα in Latiniſſimo Jac. Facciolati lexico non inviſiſſem in voce *calamus*, ita enim inquit : *Calamus temperatus eſt ita acuminatus, ut expreſſe ſcribat ;* atque hunc nævum tanquam in eleganti corpore reprehendo. Demum quis in animum inducat etiam Mazochium noſtrum ſanctioris Latinitatis promum condum tot virorum agmini τὸ ῥῆμα *temperare* in præpoſtera ſignificatione *acuendi* accipientium nomen dediſſe ? vadem do locum in laborioſiſſimo commentario de Eccl. Neap. ſemper unica init. pag. 330. *Neapolitanis hominibus non potuit admirationi non eſſe viri ſummi* (Aſſemani) *facilitas, qui nulla de cauſa ... ſtylum noſtris Hebdomadariis attemperaverit :* ſcilicet pro Hebdomadariis *acuerit*, cum jam oſtenſum ſit *temperatus ſtilus* longe diſparem notionem præſeferre ; nam ſecundum mentem cl. Mazochii, & Latinæ linguæ indolem allinendum fuiſſet, *ſtilum acuerit*, ſicuti appoſite more ſuo in eod. comment. p. 350. *ſtylum acuit* (Aſſemanus) & *illud critica bile perfundit.*

Scio quoſdam *attemperare*, (quos inter adnumerandus doctiſſimus Facciolatus,) credidiſſe ἰσοδύναμον τῷ *aptare ;* hinc ſine noxa dici poſſet *calamum & ſtilum alicui attemperare*, nim. *opem ferre*, fundumque dant Senecæ locum ep. 113. quem omnem exſcribam, ut ſententia melius conſtet : *Mors enim admota etiam imperitis animum dedit non vitandi inevitabilia : ſic gladiator tota pugna timidiſſimus jugulum adverſario præſtat, & errantem gladium ſibi attemperat ;* vides hic quam importunum eſt *gladium ſibi aptare*, cum jam *jugulum præbuiſſet gladiator ;* quare mens philoſophi eſt : gladiatorem certo moriturum prompte præbere jugulum, & *animo temperato* ſibi ictum excipere, cum videat ſe non poſſe *vitare inevitabilia*. Vocem autem *errantem* hic ne accipias pro *aberrantem*, ſed in eadem διαγνώσει, ac *ancipitem*, ſcilicet *ſævum ;* cui non notum eſt *telum* & *gladius anceps ?* ἀντάξιος ἄλλων ſit Maro Æn. 7. v. 523. *Direxere acies non jam certamine agreſti, Stipitibus*

Digitized by Google

tibus duris agitur, ſudibuſque præuſtis ; Sed ferro ancipiti decernunt, &c. præſertim ſi *erro* ſit ab ἔρρω, quod imprimis uſurpatur, cum quis in malam rem ire jubetur ; atque ita ſæpe uſum Homerum ſcio. Et quidem nemo unus credat gladiatorem, cui ab adverſario jugulum jam præbitum eſt, poſſe aberrare ab ictu, atque indigere, ut ſua ferientis dextera paratiſſimo jugulo aptetur. Quare ratum teneas aliam prorſus eſſe indolem *ῥήματος temperare*, quam quæ vulgo inducta eſt.

IX. Præterea demiror iterum Salmaſii ἀβλεψίαν, qui in Solin. p. 763. in Plinii verbis illuſtrandis lib. 33. c. 14. *temperare ferrum*, iterum edicit eſſe idem ac *acuere*, & Græcis vocibus reſpondere τοῖς σομῶν, ὀξύνειν, ἀκονᾶν· verum mihi credas *temperare ferrum* eſſe juxta, atque *igne emollire:* quod deinde induratur denſaturque, dum in aqua immergitur atque tingitur, eaque eſt mens Plinii loquentis de ferro Parthico, ac Serico: *Neque alia genera ferri ex mera acie temperantur, cæteris enim admiſcetur mollior complexus, &c.* vides jam ex Plinio idem eſſe *aciem temperare* ac *molliorem facere*. Hinc lux erit Ciceroni in Academ. ajenti: *Lyſippum eodem ære, eadem temperatione, eodem cælo, aqua ſignum feciſſe*, ideſt Lyſippus *temperavit* prius, ſeu *emollivit*, deinde *aqua obduravit*. Atque perbene Lucretius canit lib. 6. v. 968. *Humor aquæ porro ferrum condurat ab igne*, in quem verſum hæc adnotata legere eſt appoſitiſſime in edit. Avercampii: *Ferrum candens, & igni calefactum aqua condurat; ita fit σόμωμα, ideſt acies:* (*inquit Ariſtoteles lib. 4. Meteor. cap. 6.*) *ſubſidit enim, & expurgatur fæx & ſcoria. Quo ſæpius autem ferrum igni mollitum in aquam frigidam conjicitur & refrigeratur, eo fit purius & ſolidius, atque ex tali ferro fit acies:* igitur *temperatur* & *mollitur* (μαλάσσεται) ferrum igne: *acuitur* & *denſatur* in aciem, (vulgo *acciajo*,) quando in aquam immergitur.

Hinc etiam Græcis lux affulget, cum enim Pollux ait βάψις χαλκοῦ, ἢ σιδήρου, ne vertas *temperatio æris, & ferri*, uti H. Stephanus ceteriquè, ſed *tinctura*, *obduratio*, *acies*. Et gratulor me promentem hanc genuinam notionem τῦ βάπτειν de Homero, delicio meo bene mereri in Od. IX. v. 391. Ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν μέγαν, ἢὲ σκέπαρνον Εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτει μέγαλα ἰάχοντα, Φαρμάσσων· τὸ γὰρ αὖτε σιδήρου τε κράτος ἐστίν, quæ ſic verſa ubique interpretum leges: *Veluti autem cum vir faber ſecurim magnam, aut aſciam in aqua frigida mergit valde ſtridentem temperans: hoc enim denique ferri robur eſt:* commune eruditorum σφάλμα vides in verbo φαρμάσσων Latine transfuſo *temperans*: qua de ἀβλεψία etiam Samuelem Clarkium incuſes, licet legerit in editione nitidiſſima Joſue Barneſii *roborans*, & in ſcholiis brevibus συνώνυμα appoſitiſſima, σερόπειῶν, σομῶν, σομοπειῶν: reſtituas igitur *venenans*, *obdurans*, ut naſcatur ferri *acies* & *durities*, quare bene Hom. addit, τὸ γὰρ αὖτε σιδήρου τε κράτος ἐστίν· notum eſt quid ſit pal-

Digitized by Google

pallium *venenatum*, & φάρμακον eſt βάμμα, vide Salm. in Solin. pag. 189. 190. Cum enim vatum princeps dicat fabrum ferrarium in aquam demiſiſſe ferrum, fieri haud poteſt, ut illud in ea *emolliatur*, & *temperetur*, ſed *venenetur*, *condenſetur*, & κράτος *induat*: cui ſuccinit Lucretius ſuperne laudatus. Utinam hic Homeri locus Mazochium non effugiſſet in lib. de aſcia, ſane multa luce more ſuo fortaſſe offudiſſet. Ceterum tantus vir *temperata* mente ferat ſibi me ſubiratum, quod eos divini vatis verſus, ubi binas aſciæ ſpecies meminit, oblitus ſit; non enim ulli fas eſt ea in ὑποθέσει, qua de agitur, Homericas voces præterire vel occulere, præſertim cum ſciam ipſum præ me eſſe ἐμπειρικώτερον, ejuſque opus *acuta* aſcia adamuſſim perpolitum, & fabrefactum ad unguem. Et quem non vehementer pœniteret ſummum virum præteriiſſe bina epigrammata tit. χειρωνάκτων ex Anthol. lib. 6. in quibus πολυθρύλητον inſtrumentum πέλεκυν cum quæfitiſſimis προσθετοῖς honeſtam legere eſt, quin ceterorum lignariorum σκαλῶν familia ſtipatam? præterea magno numini, (Minervæ ſcilicet) in more fuiſſe aſciam dedicandi nos docent Philippus & Leonides epigg. auctores; quæ ſi in mentem Mazochio viro æternæ lectionis veniſſent, duplici veluti ſidere opus laborioſum exornaſſet, novaque luce decoraſſet; licet eundem Philippum Auguſti ævo florentem adverſarium ſibi lectitaſſet in voce πάκτων, quam non fabro *lignario*, ſed aurifici apponit in primo epigr. ejuſdem tit. vocatque χρυσοπάκτων· verum vir prudens & acutiſſimi conſilii hanc ῥῆσιν in ſuam etiam ſententiam multa arte traxiſſet.

Facile hinc noſces, cur *ferrum temperare* interpretati ſint tot Græcæ & Latinæ linguæ magiſtri *obdurare*, non vero *emollire*, ſcilicet, quod vernacule *temperare il ferro* accipimus in notione τῦ σωμᾶσθαι, & *denſandi*; ſed puerile eſt voces, quarum vim inficeta capita immutarunt, ad mentem veterum Scriptorum dignoſcendam retorquere. Multa habes de ῥήματι *tempero*, & fortaſſe non poſthabenda. His animadverſis in animi mentem venit Statii noſtri canentis Thebaid. 2. v. 128. de tigride contra irruentes venatores ad certamen ſe apparante: *Qualis ubi audito venantum murmure tigris Horruit in maculas, ſomnoſque excuſſit inertes, Bella cupit, laxatque genas, & temperat ungues, Mox ruit in turmas:* ubi globus interpretum reponit ſtatim, ac ſatis intrepide *acuit ungues* vulgari ac ſubleſtæ notioni fucum facientium. Attamen poſtquam veram τῦ *temperare* vim in lucem traximus, quiſque ultro colligit tigridem, cum *temperat* ungues, illos explicare & foras emittere, tanquam a ſuis vaginulis; ita ut hic *temperat* valeat idem, ac præcedens τὸ *laxat:* qui quidem ungues antea veluti conſtringebantur & condenſabantur, viſo venatore hoſte, *laxantur* & *temperantur;* quod nativum eſt, & ingenitæ indoli hujus verbi ſane quam reſpondet.

x. Age ad Montfauconium regredior, cujus pæne oblitus eram; male igitur vocem εὐθηγέα in *bene temperantem* transfudit pro *bene acuentem*,

Digitized by Google

tem, atque idipsum recinit in commentario epigrammatis: *Cos temperando calamo:* & *cotem* male appellat *pumicem; cos* enim ferrum acuit, *pumex* calamos; & pag. 22. (loquitur de instrumentis scriptionis:) *Cultellus temperandi calamos Græce* γλυφὶς καλάμων, *vel* γλύφανον, *apud* Græcos γλύφειν *est temperare calamum instrumento, sive cultello, quem Itali temperino, nos canif appellamus: temperandi vocem hoc usu adhibet Cic. ad Quinct. Fratrem, calamo & atramento temperato*; addiscere optarem, ubi Græcarum gentium γλύφανον vocabulum exstet. Vides jam tot summos viros, quid audiat *temperare calamum*, non inspexisse, si ab Hieronymo discesseris, cui hac in re cor sapiit, mihique contra eosdem sentienti veluti facem prætulit.

XI. Detersimus igitur ab Græco epigrammate, ejus Latiali interpretamento restituto, tot operarum, atque interpretum errata; at ecce tibi ambo Benedictini ἀνώνυμοι, auctores nuperrimi Diplomaticæ rei, quam egregie illustrare occœpere, de hujus epigrammatis versu 2. Καὶ κανόνα γραφίδων ἰθύτατον φύλακα, sanequam male meriti, qui recuso παραράματι Montfauconii in vocabulo ἰθυτάτων, pro ἰθύτατον, pag. 939. tom. 1. monstrosæ regulæ scriptoriæ specimen ex his Græcis verbis protulere, scilicet, quæ esset simul *regula*, & *calamorum theca*; hallucinati profecto ob vocem φύλαξ, *custos*, tanquam si κανὼν φύλαξ γραφίδων æque esset, ac custos calamorum, eosque includeret; κανών enim dumtaxat custodit regitque plumbi ductus, ne a signis, quæ relicta sunt, scriba exorbitet; quare satis apte reliqua epigrammata dicunt hanc normam, tertium quidem τα-μίην γραμμῆς, quartum ἡγεμόνα γραμμῆς, quintum κυβερνητῆρα μολίβδε. sextum μολίβδε σύνδρομον ἡνιοχῆα, *lineæ administram, plumbi gubernatricem, concurrentis plumbi aurigam*; de sublesta voce ἡνιοχῆα vide in fine hujus cap. sed regulam non esse calamorum thecam luce clarius est, ita ut longius confutem: atque ideo hoc Benedictinorum σφάλμα adnotavi, ut, cum ipsi Montfauconii fere omne opus exscripsissent, & quæ in epigrammate errata sunt, detergere debuissent, novam labem eos infudisse constet. Scias oportet etiam Trotzium κάνονα adferere fuisse *thecam calamariam* de prim. scrib. orig. pag. 89. & Nicolaum Funccium de script. vet. pag. 137. atque ad hujus erroris patronum Salmasium provocat, cujus viri auctoritas facile ei imposuit, sed locum nobis non indicavit; penes Funccium fides sit in hoc scriptorio instrumento falsum fuisse Salmasium. Nunc quidem in mentem venit me fugisse aliam labeculam, quæ in Aldina ἐκδόσει huic carmini inhæret; initio enim appositum est: Γραμματόκῳ πλήθοντα μελάσματι κυκλομόλιβδον, vox γραμματόκος valet κατὰ λέξιν *litteras pariens*, quod minime facit plumbum, sed solummodo fingit lineas; quare legas γραμματικῷ, utpote nomen γενικόν, i. e. *scriptorium*, quod muneris plumbo bene convenit. Tandem ut hujus antehac inquinatissimi carminis, quoad Latini sermonis caritas patitur, sententia clarior emicet, ita ipse metrica ratione per otium converti.

Digitized by Google

Curvum ſcribarum plenum nigredine plumbum,
Et quæ fida regit regula lineolas,
Fluminis atque linunt atri quæ vaſcula chartas,
Et calamos, quorum eſt ſectus apex bifidus,
Ac lapidem, calamorum eſt quæ bene ſcabra ſupellex,
Fitque, hiſce arroſis, littera liberior,
Adde aciem lati, quo ſcribat fiſtula, ferri;
Quæ vitæ fuerant, illa tibi arma dicat
Viſus qui ob ſenium Menedemus nube laborat:
Oro, tuum ſcribam, Mercuri, uti foveas.

Adſcribam carmen vitiis carens una cum ſuis variantibus, ut emendationum quiſque judex ſit.

Γραμματικῷ (1) πλήθοντα μελάσματι κυκλομόλιβδον,
Καὶ κανόνα γραφίδων ἰθύτατον (2) φύλακα,
Καὶ γραφικοῖο δοχεῖα μελανοτάτοιο ῥέετρου, (3)
Ἄκρα τε μεσσοτόμους εὐγραφέας (4) καλάμους,
Τρηχαλέοντε (5) λίθον, δονάκων εὐθηγέα κόσμου, (6)
Ἔνθα περιτριβέων ὀξὺ χάραγμα πέλει,
Καὶ γραφικῆ (7) καλάμῃ πλατέος γλωχῖνα σιδήρου·
Ὅπλα σοι ἐμπορίης ἄνθετο τῆ ἰδίης
Κεκμηκὼς (8) Μενέδημος ὑπ' ἀχλύος ὄμμα παλαιόν·
Ἑρμεία, σὺ δ' ἀεὶ φέρβε σὸν ἐργατίνην.

(1) ex Ful. Urſin. & Ald. γραμματόκῳ. (2) Urſin. & Ald. ἰθυτάτων.
(3) ex Palat. ῥέετρα. (4) comm. εὐγλυφέας. (5) comm. τρηχαλέην.
(6) ex Palat. κόσμον. (7) comm. γλυφανῆ. (8) ex Palat. κεκμηώς.

Indulgendum ſane mihi eſt, ſi ſatis diu in hujus epigrammatis medela, & illuſtratione verſatus ſim, tædebat me aſſidue rem tractare atramentariam; quare ad poetarum flores horæ parum diverti; quanquam ad ipſum ſcriptionis negotium carmen ſpectare jam vides. In cauſa fuit Montfauconius, qui *plumbum* pro fingendis lineis *thecam calamariam* præpoſtere interpretatus eſt, cumque ipſe ſummi παλαιογράφου fama, uti revera eſt, polleat, haud ſcio, cur elegans epigramma & Græce, & Latine mendoſiſſimum exſcripſerit. Reliquum eſſet, ut ſena huic epigrammati germana carmina ſub tit. ταχυγράφων eadem arte & labore perpurgarem, nam etiam inquinatiſſima typis data proſtant; verum prolixe ab argumento vagarer, ſi hic adſuerem; idcirco melius pretium operæ futurum reor, ſi ad finem hujus capitis ea ablegem, & ſervem, tanquam poſt cœnam, cupedias.

XII. Deterſis ab numero bonorum vocabulorum non unis pravis nominibus thecæ calamariæ, quæ furtim in Græcos Scriptores irrepſerant, vel quæ interpretes male ad rei atramentariæ notionem detorſerant, reſtat, ut

Digitized by Google

ut paucas quaſdam voces ejus vaſculi longe vitandas traducam. Sunt autem καλαμάριον, κάνιον, κανικλεῖον. Et prima quidem fugienda, licet antiquior, utpote ab Origenis uſque tempeſtate celebrabatur; verum nuſquam politiorum & profanorum Scriptorum καλαμάριον reperies; vox enim eſt a Romanis ſurrepta, & Græcitate donata ab rerum ſacrarum Scriptoribus, uti ſuperne dictum mihi eſt pag. 155. bonique Græci id organum ab τῷ μέλανι, non vero a *calamis* vocitarunt, ſicuti advertimus ex ſeptem epigr. ταχυγράφων allatis pag. 161. quare illam Hebræis ἑλληνίζειν, a quibus Origenes, Hieronymus, & Calched. concilium addidicere, relinquamus; pigetque ad nauſeam uſque legere apud quoſdam ex fæce grammaticorum καλαμάριον dici ἀπὸ τὸς καλάμους αἴρειν, vide Etymolog. in appendice Ducangii Gloſſar. De voce κάνιον ſatis multa aggeſſi, cum Clem. Alexandrini locum περιβόητον luce decoravi pag. 161. inibi Ducangium τὸ κάνιον Clementi cultiſſimo ſcriptori tribuentem caſtigavi; germanamque lectionem reſtitui. Demum inficetiſſimi ſæculi vox κανικλεῖον nihil mihi curanda eſt, verſanti ſolum beati Græcanici ævi ingeniorum monumenta; ſi vero quis vocabulorum id genus monſtris oblectetur, & ἀεργίᾳ frangatur, per me liceat, ut Ducangii lexica, & de medii ævi antiquitatibus Scriptores egregie meritos ad ſatietatem inviſat; cum nunc temporis ea vigeat diſcendi libido, quanquam fortaſſe norunt ſe patientiſſime curſaturos ſæva & infeſta doctrinis tempora. De κανικλείῳ igitur adeas Ducangium, & potiſſimum Borremanſium var. lect. c. 4. p. 32. unde *caniculariі*, vel *caniclini*, qui atramento principis præerant, & non ſolum imperatori *purpuramentum* miniſtrabant, verum ſi quid præter nomen ſubſcribendum eſſet, id manu ſua exarabant, quod alias a Palatii quæſtore, vel ſcriniorum magiſtro fieri mos erat. Demum mihi non accuranda ſunt vocabula πυκτίον, & πυκτίδιον, quæ Cyrillus ait in Lex. valere καλαμάριον · neque vox ἐμβάφιον, quam Salmaſius pro *atramentali* laudat in Solin. p. 265. ῥήτεις enim ſunt ſæculi nimis ἐκβαρβαρῶντος. Ecquis ferat vocem deterioris ævi ἄλαβα, quam *atramentum* etiam interpretatur Heſychius, μέλαν, inquit, ᾧ γράφομεν, cum ea notio, quam huic voci tribuit, plena ſit dubii, fueritque in cauſa, ut in ῥήτει *alabarches*, vel *arabarches* tot turbas excitaverit contra Cujacium Nicolaus Fullerus lib. 4. Miſcell. Theol. c. 16. Præclara ſatis ea de re contraxit Voſſius in Etymol. voce *alabarches*, quæ conſulas rogo. Bochartus in fine Jeroz. edicit eſſe Ægyptiam vocem. Mirum hujus vocis etymon in Alberto in ditiſſimis adnot. in Heſych. reperies.

Nunc ſane in mentem venit de quibuſdam, qui in linguam vernaculam Plutarchi illuſtrium virorum vitas converterunt, in Eumene thecam calamariam inveniſſe, vide *Vocabolario della Cruſca* in voce *calamajo*; & cui non mirum etiam Andream Dacerium in Plutarcho idem organum vidiſſe? inquit enim: *Eumenes le ſuivoit portant ſon écritoire, e ſon portefeuille*; verum quis ferat Græca verba tam ἀπροσδιονύσως converſa,

Digitized by Google

Εὐμένης δὲ γραφεῖον ἔχων, ἢ πινακίδιον ἠκολούθει init. vitæ? cum mens Plutarchi sit, *Eumenes gestans stilum, & tabellas sequebatur;* quare ne credas Dacerio γραφεῖον esse *atramentarium vasculum*, & quanquam γραφεῖον bona vox sit, auctoritas viri ἑλληνικωτάτου non tanti sit, ut pro *atramenti* τηλυχείῳ accipias; quare, si non barbare se habuit Dacerius, ἀκυρωτάτως locutum dicas. Neque mihi, qui cap. IV. Græcos usos stilo, & tabella scriptoria enixe negavi, hunc Plutarchi locum objectes, atque ab usque Alexandri M. tempestate hæc γραφικὰ organa eos adhibuisse contendas; reponam etenim Plutarchum Romæ degentem Romanos mores imbibisse, quos iter agentes stilos, & tabellas secum portasse pluribus testatissimum feci pag. 101. Ceterum mendacii facile ea in re Plutarchum arcesse; nam Nepos Eumenis vitam conscribens nihil prorsus stili, & tabellæ, quam secum ferebat Eumenes, commeminit, salutatque solummodo honestissimo duorum regum scribæ nomine: inquit siquidem cap. I. *Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi, Amyntæ filii, brevique tempore in intimam pervenit familiaritatem; fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis: itaque eum habuit ad manum scribæ loco, quod multo apud Grajos honorificentius est, quam apud Romanos; nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur; at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide, & industria cognita; quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem: illo interfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim.* Quare vel Plutarcho boni historici fidem desideres, vel eum Romanorum more locutum purges. Hæc satis de Græcarum vocum atramentariorum vasculorum νοθείᾳ & barbarie.

XIII. Tandem supereſt, ut inquiram, an Latine aliquod minime genuinum, atque insipientioris ætatis nomen hujus σκευαρίου exstet, ut vitemus; sed non multum negotii ejus linguæ Scriptores mihi creavere; etenim non tanta eorundem librorum, sicuti Græcorum copia opprimimur, qui vix una alteraque vice hoc organum meminere, contenti liquoris, i. e. *atramenti* potius appellatione, quam vasculi. Et quidem *calamarium* & *atramentale* esse nullius pretii voces etiam tirones didicere. Scitu autem jucundissimum reor, cur Romani *atramentum* libenter usurparint, ab voce *atramentarium* tam longe abhorruerint, quæ non esset indecora suboles. Equidem diu mihi cogitanti, atque pæne omnia vocabula ita terminantia pensitanti obortum est, indolem Romanæ linguæ felicioris temporis eam fuisse, ut liquorum cujuscumque generis vasa circumscriberentur, non vero ab proxima liquoris ipsius derivatione appellarentur; itaque apud bonos Scriptores nunquam reperies *aquarium*, *vinarium*, *olearium*, *mellarium*, *acetarium*, *unguentarium*, *nivarium*, sed *vas vini*, *saccus nivis*, &c. vel aliter inflexa, uti *acetabulum*: licet adjectiva in *arius a*, *um* ex ipsis liquoribus educta optimi Latini usurparint; satis mihi sit

privum

privum Catonis de R.R. c. 135. exemplum locuples: *Hamæ*, *urnæ olearie*, *urcei aquarii*, *urnæ vinariæ*, *vasa ahenea*; sed nunquam eorumdem vocem ἀδετέρων pro vasculo reperies. Quare licet sint *aquarius* ὑδροφύλαξ, *olearius* οἰνοπώλης, *mellarius* μελιτυργός, *unguentarius* μυροπώλης, κ.τ.λ. prohibemur tamen ab ῥήσει *unguentarium*, *acetarium*, &c. pro *receptaculo*; sed dicendum *vas unguenti*, vel *vas unguentarium*, *vas mellarium*; quare id vetarint Latini, norint ipsi, nam in re grammatica non ratio viget, sed veterum voluntati parendum. Mirum inde posthac non fore reor, si ab *atramento* interdicta sit propago *atramentarium* pro ἐνδοχείῳ· servanda est enim vocum, quæ ad liquores pertineat, ἀναλογία· quare dicas oportet *vas atramenti*, vel per me liceat, *vas atramentarium*.

Diu mecum ipse reputavi tacitus huic meæ sententiæ Horatii locum serm. 2. sat. 8. v. 39. officere, *Invertunt Allifanis vinaria tota*, ubi omnis turba interpretum in hæc verba conjurant, *convivas effudisse totos vini cados poculis Allifanis*, ideſt poculis maximis factis Allifæ Samnii oppido; hinc luce clarius esset Augusti ævo Scriptores usos voce *vinarium* absolute pro *vini vase*; atque absurdum Romanos ab id genus vocabulis adhorruisse; imo cum princeps liquorum vinum sit, ac si Horatius ejus receptaculum vocitaverit *vinarium*, nihil intercedit, quo minus *aquarium*, *unguentarium*, atque etiam *atramentarium* dicamus. Verum ex totius Horatiani sermonis contextu collegi, longe aliud, quam vini dolia mente concoxisse Venusinum vatem politissimum, & pro *vinaria tota* intellexisse unumquodque *vini genus*, quod Nasidienus cœnæ apposuit, scil. quadruplex, *Chium*, *Cæcubum*, *Falernum*, *Albanum*, quæ tota Vibidius, & Balatro, quos secum duxerat Mœcenas, exhausere funditus, cum juravissent secum: *Nos nisi damnose bibimus*, *moriemur inulti*, *Et calices poscunt majores*, *vertere pallor Tunc parochi*, (Nasidieni) *faciem nil sic metuentis*, *ut acres potores*. Vinum autem omne genus ingurgitasse bibaciſſimos convivas clare narrat Horatius, nam Vibidius quærebat irridens, *num fracta lagena*, *Quod sibi poscenti non dentur pocula*; etenim beatos illos liquores cum socio jam omnes exhauserat; & demum bene concludit, *Cœnæ dominum sic fugimus ulti*, uti ab initio secum convenerant. Accipiendum igitur τὸ *vinaria* non pro *cadis*, aut *doliis*, uti etiam vult cl. Facciolatus, sed quotquot *vini species* accuraverat Nasidienus: ita Horatiana illa compotationis narratio leporis plena erit. Et nunc primum discimus ejus vocis vim, quæ si vera, licet nova, lexicis apponenda. Quoniam autem exempla quærunt & qui refractarii, & qui seri sunt studiorum, paratissima mihi est vox simillima *acetaria*, quam norunt omnes non siquidem audire *aceti vasa*, sed *omne genus herbarum*, vel *eduliorum*, *carnium*, &c. quæ aceto, oleoque condita eduntur, imo cujusque speciei *hortensia*; vide Plin. lib. 19. c. 4. Mirum igitur non erit posthac, si apud Hor. *vinaria*.

Digitized by Google

ria non ſint *cadi*, vel *dolia*, ſed *vini varietates*. Imo *aquarium*, & *mellarium*, quæ Latine habemus, nullam prorſus notionem *vaſis* includunt, ſed illud quidem γενικῶς locum, quo pecudes ad potum aguntur, hoc quidem locum notat, ubi nutriuntur apes, vide auctores rei ruſticæ.

Verum, ut hanc *vinariorum* notionem preſſius firmem, ad Plauti locum in Pœn. act. 5. ſc. 2. v. 15. apprime συμφωνον provoco, ſummis interpretibus ſatis moleſtum & operoſum:

... Itaque in totis ædibus
Tenebræ, latebræ: bibitur, eſtur, quaſi in popina haud ſecus.
Ibi tu videas litteratas fictiles epiſtolas
Pice ſignatas: nomina inſunt cubitum longis litteris:
Ita vinariorum habemus noſtræ delectum domi.

Quidam hanc vocem *vinariorum* ſibi tenebricoſam inverterunt in *vivariorum*, quæ nihili eſt, cum neque domi vivaria eſſe poſſint, neque quis *delectum* jungit cum τῶ *vivariorum*. Duza nodum haud facile ſolvit, jubetque accipi pro *delectu venditorum vini*; ſed hoc a Plauti mente longe divortit, ut legenti ejus carmina patet. Quare ſi Plautinam ῥῆσιν *vinaria* pro *multiplici vinorum delectu* accipias, plana tibi ſunt omnia; nam ſermo eſt de domo eduliis, & vinorum ſpeciebus opipara, in quorum lagenis pice ſignatis inſcripta legebantur nomina conſulum, & ejus liquoris ſpecies non unæ diſtinctæ litteris cubitum longis. Miror ſane doctiſſimos Plauti, Horatiique interpretes id notionis ceterum haud abſtruſæ non vidiſſe: & mihi gratulor duoviros poetas elegatiſſimi ſæculi pro mea ſententia tam arcte conjuraſſe. Porro diu mihi adlaboratum eſt, an Græci unico vocabulo, ut Latini, ſpecies vini appellitarent; ſed fruſtra mihi tempus tritum eſt, neque a Polluce lux ulla; tandem ex Æliano novi ea voce Græcos caruiſſe, duplicique uſos, ſcil. οἶνοι διάφοροι, var. hiſt. lib. 12. cap. 31. vel potius γένη οἴνων, lib. 13. cap. 6. Neque credas me aufugere Petronii auctoritatem, qui voce *vinarium* pro vaſe ipſo abuſus eſt in bino cap. 70. & 78. cum norint univerſi, quam licentioſus verborum, & nominum novator ſit Arbiter, ut nemo unus imitandum ſuſciperet; præterea ejus Satyricum mutilum, conciſum, pravum ad nos tranſmiſſum indoleſcimus; & fortaſſe ſincere ſcripſerat Petronius *vas vinarium*, ut Cicero, at oſcitantes librarii voculam *vas*, tanquam redundans rejecerunt.

Demum minime curandæ ſunt Gloſſæ Cyrilli, quæ οἰνοφορεῖον vertunt *vinarium*, cum nullius pretii ſint, & ætatis inficetæ. Unum addam veteres *vini vaſa* dixiſſe *tinas*, hinc nobis Italis *tino*, Græci δεῖνος, ex Heſychio δεῖνος, εἶδος ἐκπώματος · & apud Athenæum pag. 467. δεῖνος eſt μέγας μετρητής, vide ibi Caſaub. p. 787. & Salmaſ. in Solin. p. 167. Jubeo etiam te Trotzio iraſci, qui in Hugonem pag. 564. κωλῶς dixit *vaſa vinaria*; contra vero in indice appoſuit ſolummodo

vina-

Digitized by Google

vinaria; ſane viſus eſt ejus vocis vim non penſitaſſe, & utrumque dici poſſe exputavit. Probe igitur concludam ῥῆσιν *atramentarium* pro τῷ μέλανος *receptaculo* Latialem non eſſe, & ab ea jure abſtinuiſſe Romanos, vocemque Horatianam *vinaria* tantum abeſſe, ut officiat, ut potius ſententiam firmet corroboretque. Atque hæc de ſpuriis *thecæ calamariæ* nominibus Hebræis, Græcis, ac Latinis. Plura ſatis hujus organi vocabula barbariei plena colligere quiviſſem, ſi nimium patienter Scriptores nullius pretii evolvere animus toleraſſet.

XIV. Reliquum mihi eſt, quo tandem ab *atramento* me extricem, ut τῷ μέλανος, ſi fieri poſſit, etymon veſtigem, & de Græcis meis merear. Primum quidem adnotandum, licet Græcorum ſermo non unis vocibus fere in unaquaque re exuberet, in hoc atro liquore deſignando unicam τὸ μέλαν eos uſurpaſſe; neque unquam reperies σηπία, *ſepia*, vel πεῦθος, *loligo*, illos detorſiſſe ad *atramenti* notionem, quod feciſſe Latinos ſatis conſtat. Reor autem, nam in etymis plurimum conjectionibus indulgendum eſt, nomen μέλαν tractum eſſe ab Hebræo לון *pernoctare*, *noctu incedere*: adde, ut in hoc ſancto ἰδιώματι ſollemne eſt, & tirones norunt, τὸ מ, quod vocant παραγωγικόν, ut habeas מלון, ideſt μέλαν iiſdem στοιχείοις· מלון autem eſſet, *nocturnus*, *obſcurus*, *niger*; hinc etiam noſces *Lunam* dici ἀμέτρως ab לון, quæ per noctem incedit, & tenebris præeſt, & σελήνη ab שלנה, *quæ pernoctat*, quod non vidit Voſſius, & ab ἀπροσδιονύσοις multa congerit. in Etymol. in verbo *Luna*; contra vero *Sol* probe deducit ab הל *ſplendor*, *candor*, inde eſt ἥλιος, & Latinis *Sol*, uti ab ἅλς, *ſal*, ſibilo pro aſpiratione appoſito; ſed nihil arduum eſt oſtendere & aſtrorum nomina, & colorum apud Græcos non eſſe αὐτόχθονα, ſed ab oriente accepta, ſi doctiſſimorum virorum facile ἑβραιζόντων veſtigiis inhæreamus; etenim voces rerum, quas natura ipſa profert, a majoribus traditas lubentes ſervamus. Si qui vero τῷ μέλαν originationem non adeo alienam prædicaverint ab מלון, Græca vox remotiſſima vetuſtate ſpectabilem ſe prodet, & ῥέτεως hujus veluti ἀποθέωσιν celebrabimus: pigebat enim me ejus vocis, unde nomen thecæ calamariæ Græce factum eſt μελανοδοχεῖον, originem perdiu latuiſſe, & cum tantum & operæ, & chartæ in hujus vaſculi tum vetuſtate, tum nominibus veſtigandis triverim, πεμβόητον vocabulum ΜΕΛΑΝ ab honeſtiſſima omnium linguarum matre fuſum tot doctiſſimos & πολυγλώττους viros poſthabuiſſe. Atque iraſcendum Hebræis, ac Latinis gentibus jubeo, qui vel ab ספר, *ſcribere* voce γενικωτάτῃ, vid. pag. 152. vel a *calamis* noſtro huic organo nomen acquiſivere pag. 167. ἰδιοτικὴν vero, & ad vaſculum propius ſignificandum ῥῆσιν minime curarunt, דיו ſcil. & *atramentum*, quod unum in voluminibus æternum durat, & ut cum Sannazario noſtro fateamur epigr. 32. de atram. ſcriptor. lib. 1.

Eripit inviſo nomina noſtra rogo.

RE-

Digitized by Google

RELIQUA SENA EPIGRAMMATA

ΤΩΝ ΤΑΧΥΓΡΑΦΩΝ

In veterem γνησιότητα nitoremque reſtituta.

I. D'Orvillii laudes. Epigr. I. adjecta vulgari interpretatione. II. Πλάρης *male pro* γραμμῆς, *illius vocis vera notio.* III. Κανονῖδ' ὑπάτην *amanuenſium* σφάλμα *pro* κανόν' ἰδύπατον· *qui & non unis verſibus mancum hoc epigramma exſcripſerunt.* IV. *Idipſum epigr. ſine mendis apponitur, &* μετρικῶς *convertitur.* V. *In Epigr. III. pro* σκληρῶν *appoſitum opportune* σχισῶν, *& pro* ἄντροις, ἄντλοις. VI. *Vox* ἔκκρεμες, *inficeta, reſtituta verior* ἔκτρομος, *&* ἐλκὲ *pro* ἦλθε *ex Homero. Carmen nullis erroribus ſqualidum adſcribitur.* VII. *Epigr. IV. paucis maculis turpe detergitur, atque lege metrica adſtringitur.* VIII. *In Epigr. V. pro* σατερὸν *adſcripta vera vox* σατερὸν· *& pro* λειμῶνα *ſuffectum* πληρῶμα· *ac Latiali metro converſum.* IX. *Male exſcriptum* ἠνιοχῆα *pro* ἴδιον ὀχῆα. *Quid* πέτρα, *&* λᾶας· *Salmaſius, & Clericus parum reprehenduntur.* X. *Mazochio reſiſtitur ajenti Homeri tempeſtate ædes fuiſſe ligneas. Pauca de voce* τέκτων. XI. *Juſtini male intellecti ab Jo. Lango, & Benedictinis viris vera interpretatio.* XII. *Conjurant ſimul Hebræi, Græci, & Latini in notione vocum* צור, *&* אבן: πέτρα, *&* λίθος· petra, *&* lapis. *Querelæ de cl. Mazochio.* XIII. *Nuperrima inſcriptio Cumanæ Cryptæ; & aliquid de Puteolanis Ciceronibus delibatur. Grævius Homeri verſus male interpretatur. Voces* συσήρια, *&* μυσήρια *pro* συσπάρια *importuniſſimæ.* XIV. *Epigramma VII. reliquis emaculatius, nam una vox* κύκλοισι *reſtituitur in* ἄκροισι· *metrica Latinitate donatum. Juſtæ querelæ, eo quod tot ſummi viri hos epigrammatum flores erroribus marceſcere tandiu ſiverint.*

I. RATIO deſponſæ fidei pag. 202. urget jam, ut reliquos ſenos epigrammatum flores in priſcum nitorem atque γνησιότητα pro virili reſtituam, præſertim cum eadem ad atramentariam ſcriptionem omnino faciant, & niſi hic appenderem, longum de mea ſcribentis diligentia conquerendi argumentum pleriſque multis præſtarem. Idque animo meo apprime ſedet, ut longiori atramentario labori ex hiſce elegantibus floſculis, veluti coronidem imponerem. Curatum mihi eſt fortaſſe bonis conjecturis indulgenti, cum veteribus caream membranis, ut ea carmina, deterſis ſat multis librariorum depravationibus, priſcæ dignitati redderem; & quanquam ad me Aſſemanius horum epigrammatum exemplar e Vaticana biblioth. exſcriptum ſumma, qua floret, humanitate dediſſet, iiſdem reperi fœditatibus marcidum, queis ſqualent ea, quæ typis edita legimus. Utinam ſuperiori anno æterna litterarum Græcarum jactura D'Orvillius non tam cito obiiſſet; tantus enim vir nitidam Ἀνθολογίας hujus editionem, & collectis innumeris veterum epigrammatis antehac ignotis, locupletem ſe daturum ſpoponderat; ab eo ſane multum decoris ac medelæ ſenis hiſce ταχυγράφων carminibus adjectum futurum fuiſſet, ut univerſi gratularemur. Quanquam autem ipſe non, ut D'Orvillius, tanti ſim, qui

e medio

Digitized by Google

e medio res arceſſo; tamen quod magis grave eſt virus ab hiſce floribus expellam, & pro virili ad veterem munditiem revocabo. Tentavi etiam, an carmina rite vertere potuerim; licet ſciam me plus oneris ſubiiſſe, quam veniæ adſecuturum; demum non æque longioribus verbis, queis ſuperne unum ex epigrammatis deterſi, te detineam, verum cito rem agere juratus recipio.

EPIGRAMMA I.

Φιλίππου.

Κυκλοτερῆ μόλιβον σελίδων σημάντορα πλευρῆς,
Καὶ σμίλιν δονάκων ἀκροβελῶν γλυφίδα,
Καὶ κανονῖδ' ὑπάτλου, καὶ τὴν παρὰ θῖνα κίσηριν,
Αὐχμηρὸν πόντου τρηματόεντα λίθον
Καλλιμένης Μούσαις ἀποπαυσάμενος καμάτοιο
Θῆκεν, ἐπεὶ γήρᾳ καυθὸς ἐπεσκέπετο.

Tornatum plumbum paginarum indicem lateris,
Et cultellum calamorum acutam cuſpidem habentium ſculptorem,
Et regulam ſummam, & juxta maris littus pumicem,
Squalidum ponti pertuſum lapidem
Callimenes Muſis quieſcens a labore
Poſuit, poſtquam ſenectute oculus integebatur.

In primo verſu pro πλευρῆς fidentiſſimus apponerem γραμμῆς, ut in verſ. 1. ep. 3. ubi lectitas eadem verba μόλιβον σημάντορα γραμμῆς · ſane plumbum lineolas ſignat pro directura characterum: quare etiam belle ſe haberet Philippus ſi apponas, μόλιβον σελίδων σημάντορα γραμμῆς, ſcil. plumbum *ſignans intervalla linearum*. Si vero jurare velis pro voce πλευρῆς, per me tibi liceat, ſed ne vertas *lateris*, ut vulgo, ſed *membranæ*, ſeu *chartæ*; etenim memini me legiſſe apud Etymologici auctorem πλευράν peræque eſſe, ac *membranam*, & verſus ſententia ſtabit; nim. *plumbum ſignatorem eſſe intervallorum membranæ*: verba apponam Etymologici, quo res ſit firmior: Πλευραὶ, οἷον αἱ πλήρεις ὕσαι, καὶ ἀμύχωτοι· ἢ πλεωραί τινες ὕσαι αἱ φυλάττουσαι τὸν πνεύμονα· ἢ πολύευραί τινες ὕσαι, ὡς πλατεῖαι· καὶ πλευρὸν ... παρὰ τὸ πολὺς, καὶ τὸ εὖρος, πολύευρά τινα ὄντα, τουτέστι πλατέα, κ. τ. λ. vides jam hic etyma hujus vocis ſecundum indolem ſæculi Etymologici, atque πλευρόν appellatam, quod *multum lata ſit, & pulmonem defenſitet*, quod membranæ proprium eſt; miror lexica ditiora veritatem vocis πλευρά non adnotaſſe; ſed vocabulum γραμμῆς concinnius. Non obliviſcenda vox κυκλοτερῆ in eodem verſu, quæ male fuſa eſt Latialiter *tornatum*, dicas *rotundum*, quod inviſes in ceteris epigram. Riſum ciet Dinnerus in Epithet. in δόναξ pag. 252. quippe qui vertit ἀκροβελῶν δονάκων, *a ſummitate, vel ad ſummitatem deſectorum calamorum*, pro *calamorum acutam aciem habentium*.

Digitized by Google

III. In 3. verſ. fœdiſſime peccatum eſt, κανονῖδ' ὑπάτην interpres obeſiſſimæ naris ſtatim appoſuit, *regulam ſummam*; ipſe p. 190. genuinam lectionem reſtitui κανὸν ἰσύτατον, *regulam rectiſſimam*, vide inibi rata hujus mutationis momenta. Eodem verſu, κὴ τὴν παρὰ θῖνα κίσηεν, interpres oſcitanter ait, *& juxta maris littus pumicem*, cum vel pueri norint, τὴν παρὰ θῖνα, valere *littoralem*.

Nemo mihi moleſtus ſit, ſi veterem hujus epigram. exſcriptorem oblivioſiſſimum, atque æque, ac hunc ſenem Callimenem, luſcinioſum traducam, qui binos verſus, ſeu δίστιχον fortaſſe ob celeritatem ſcribendi prætermiſit, nobiſque hoc elegans epigr. mancum ac monſtroſum commendavit: fieri enim haud potuit, quin Callimenes ignobiliora ſcribendi organa Muſis appenderit, nobiliora & ἰδιοτικώτερα, quales ſunt *calami*, & *atramentarium*, minime dedicarit; profecto iratæ Muſæ ἀνάθημα iniquum minime excepiſſent: præſertim cum cetera ſex epigram. id genus ſcriptoria vaſcula Mercurio ſacrata commemorent. In primiſque ejus oſcitantiæ me piget, noſcitaſſem enim ſeptimam *thecæ calamariæ* nomenclaturam; quare diris exſcriptorem Græculum devovendum reor. Extremus verſus, Ἐπεὶ γήρᾳ κάνθος ἐπεσκέπετο, ſuccinit cum iis, quæ verba legimus in eodem Antholog. lib. 6. circa finem, ἀπὸ χειρονάκτων epig. 1.

Οἱ χρυσοτέκτων Δημοφῶν Κυλληνίῳ
Ἔθηκε, γήρᾳ κανθὸν ἐξοφώμενος.

IV. Apponam epigramma in priſcam venuſtatem, licet paucis in locis, eo quod breve, aut potius mancum eſt carmen, reſtitutum, cum ejuſdem metrica interpetratione per ocium concinnata, verborum Græcorum vim aſſequi adlaborans, quoad ſivit Latialis ἰδιώματος paupertas, quod & in ceteris etiam epigg. factum reperies.

Κυκλοτερῆ μόλιβον, σελίδων σημάντορα (1) γραμμῆς,
Καὶ σμίλω δονάκων ἀκροβελῶν γλυφίδα,
Καὶ (2) κανόν' ἰθύπατον, κὴ τὴν παρὰ θῖνα κίσηεν,
Αὐχμηρὸν πόντῳ τριματόεντα λίθον,
Καλλιμένης Μέσσας ἀποπαυσάμενος καμάτοιο
Θῆκεν· ἐπεὶ γήρᾳ κανθὸς ἐπεσκέπετο.

(1) vulgo πλευρῆς. (2) vulgo κανονῖδ' ὑπάτην.

Plumbum lineolis dans intervalla rotundum,
Et chalybem, findit qui imam aciem calami,
Ter rectum & canonem, & proſtat qui in littore pumex,
Pertuſus ponti eſt horriduluſque lapis,
Muſis Callimenes parcens jam ſcriba labori
Offert; nam ob ſenium luce carent oculi.

EPIGRAMMA II. æternis adnotationibus honeſtavi, fœditates abſterſi, & metrica etiam lege verti, vid. pag. 193.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA III.

Παύλε Σιλεντιαρίου.

Γυρὸν κυανέης μόλιβον σημάντορα γραμμῆς,
Καὶ σκληρῶν ἀκόνλω τρηχαλέλω καλάμων,
Καὶ πλατὺν ὀξωτῆρα μεσοχιδέων δονακήων,
Καὶ κανόνα γραμμῆς ἰθυπόρε ταμίλω,
Καὶ χρόνιον γλυπτοῖσι μέλαν πεφυλαγμένον ἄντροις,
Καὶ γλυφίδας καλάμων ἄκρα μελαινομένων
Ἑρμείῃ Φιλόδημος· ἐπεὶ χρόνε ἐκκρεμὲς ἤδη,
Ἦλθε κατ' ὀφθαλμῶν ῥυσσὸν ἐπισκύνιον.

Rotundum nigræ plumbum ſcripturæ indicem,
Et durorum cuſpidem aſperam calamorum,
Et latum ſcalprum per medium ſciſſorum calamorum,
Et canonem ſcripturæ recte progredientis diſpenſatorem,
Et diu ſculptis atramentum ſervatum in vaſculis,
Et crenas calamorum in ſummitate nigratas
Mercurio Philodemus: poſtquam temporis dependens jam
Venit contra oculos rugoſum tegumentum.

Hoc epigram. III. proſtat in quovis verſu depravatiſſime exſcriptum, & interpres in eo nihil vidit, quare mihi totum interlinendum eſt, ac confingendum. Et quidem in primo verſu γραμμῆς non valet neque *littera*, neque *ſcriptura*; non etenim plumbum ſcriptioni ſerviebat: quare nullo periculo remitte *lineolam*, & adjunctum κυανέης appoſitiſſime ſe habet ad plumbi colorem; nam ad characteres ſpectat τὸ μέλαν, & calami qui eos fingunt, audiunt μελαινόμενοι, ut in verſ. 6. hujus epigrammatis. Adhæc, ſecundus verſus Œdipo dignus: interpres verba appoſuit, ſententiæ minime ſollicitus: quis unquam ſomniarit calamos σκληρούς, *duros*, cum reipſa ſint fractu facillimi, & hoc προσθετὸν in epigram. 4. v. 3. belle additur chalybi, ἢ χάλυβα σκληρόν. Præterea ſatis inficetum eſt, & longe petitum pro *calamis* dicere *cuſpidem calamorum*: quare explorandum, an meliore luto verſus ille fingi poſſit. Et primo quidem repoſui, Καὶ λίθον ὡς ἀκόνην θηγαλέην καλάμων, & *lapidem tanquam cotem acuentem calamos*; cum fere idipſum legam in 4. verſu epigr. 7. Καὶ λίθος εὐσχιδέων θηγαλέος καλάμων, & *lapis bene fiſſos acuens calamos.* Verum cum longe abſit vox σκληρῶν ab iis, quæ repoſui λίθον ὡς, videor propius accedere, ſi immutem ſolummodo σκληρῶν in σχιστῶν, eritque totius verſus ſententia, & *ſciſſorum*; ἀκόνην, *cotem*; τρηχαλέην, *aſperam*, vel θηγαλέην, *acutam calamorum*; ideſt, voce ſimplici κίσηριν, ut in primo epigr. Quin autem ſit adjunctum σχιστοὶ calamorum γραφικῶν proprium, ne dubites, cum legere ſit in 3. verſ. hujus epigram. μεσοχιδέων δονακήων· atque in epigr. 7. v. 4. εὐσχιδέων καλάμων, & Au-

Digitized by Google

ſonius vocat calamos *fiſſipedes* in notiſſimis verſibus epiſt. 7. v. 48. -- *Fac campum replices, Muſa, papyrium, -- Nec jam fiſſipedis per calami vias -- Graſsetur Cnidiæ ſulcus arundinis, -- Pingens aridulæ ſubdita paginæ, -- Cadmi filiolis atricoloribus.*

In 3. ver. advertenda eſt vox ὀξυντῆρ, quæ mihi videtur in lexicis deſiderari: de ea ῥήτει adiſis Salmaſium in Solin. p. 735. In 4. verſu γραμμῆς non eſt *ſcriptura*, ſed *linea*, hanc enim, non illam dirigit καγών. Quintus verſus ab interprete marcide transfuſus eſt in Latium, & ῥῆπις ultima ἄντροις monſtroſa eſt: quare nos p. 20. (abſit verbis odium) genuinam ope optimorum monumentorum reſtituimus, nim. ἄντλοις, *vaſculis;* atque etiam dictum eſt quid ſit χρόνιον μέλαν vel potius χρόνικον pag. 162. quæ legas rogo. Sextum verſum, haud irata Minerva, divinavit interpres: *Et crenas calamorum in ſummitate nigratas*, nam γλυφίδες, & ἀκίδες ſagittarum, & calamorum *cuſpides* ſunt: verum vox *crena* dubiæ notionis eſt apud veteres, & dumtaxat nuperi ſcriptores, uti Homeri interpretes, eam celebrarunt pro *acie ſagittarum;* itaque ab ea cavendum eſt. Et hic verſus apprime reſpondet, atque lucem haurit ab v. 6. epigr. 5. εὐγραφέων καλάμων ἀκροδαφεῖς ἀκίδας. Neque audias ſummum virum H. Steph. hanc vocem γλυφίδας hic vertentem *cultellos*, vid. lex. nam in tertio verſu Silentiarius jam *cultrum* meminerat, ſcil. ὀξυντῆρα πλατύν, reliquum erat, ut *calamorum* meminiſſet.

VI. Extremum δίστοιχον adeo erroribus amanuenſium fœdum eſt, ut & Græca, & Latina plena ineptiarum & eorumdem ſocordiæ ſint; quare ut brevis ſim, confinge:

Ἑρμείῃ Φιλόδημος· ἐπεὶ χρόνῳ ἔντρεμεν ἤδη,
Κρύπτε κ᾽ ὀφθαλμὼς ῥυσσὸν ἐπισκύνιον·

Mercurio Philodemus (dedicat:) *poſtquam ætate tremebat jam,*
Et cooperiebat oculos rugoſum ſupercilium.

Nihil emaculatius hac ſententia; etenim χρόνῳ pro χρόνα habeo jam ex membranis Palatinis: ἔκτρεμες caret ſyntaxi, atque hic nihili valet; at contra ἔντρεμεν, unde ἔντρομος, ſenum ſollemne πάθος explicat. Vel legas potius ἔκτρομος ἤδη εἵλκε κατ᾽ ο. ρ. ε. *tremulus jam traxit ſuper oculos rug. ſupercil.* profecto Silentiarius ad Homeri verſum 136. Il. ρ. mentem animi intendit, ubi poeta princeps utrumque verbum uſurpat κρύπτω, ſive καλύπτω, atque ἕλκω, dum de furente Leone loquitur:

Πᾶν δέ τ᾽ ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται, ὥστε κάλυπτε,
Totumque ſupercilium deorſum trahit, oculos tegens.

Et Claudianus in Rufinum lib. 2. Homerica verba etiam reſpexiſſe videtur: *Inclinatque jubas, demiſſaque lumina velat;* licet Leo ſponte trahat deorſum ἐπισκύνιον, ſenes vero naturæ langueſcentis neceſſitate.

Verum ſi vox ἦλθε alicui arrideat, probetque, minime refragor; quare ſolummodo priora verba paullulum reficias, ἐπεὶ χρόνῳ ἔντρεμεν, ἤδη ἦλθε

Digitized by Google

ἦλθε κατ' ὀφθαλμῶν ῥ. ἐ. *postquam ætate tremebat, & venit super oculos rug. superc.* ita ut Silentiarii versuum sententia eodem semper recidat, scil. Philodemi dexteram tremore, & oculos cæcitate laborasse, quæ duo ταχυγράφοις cum primis impedimento esse nemo unus non videt: hanc vero mentem Silentiarii Græca, ut nunc exstant corruptissima, minime præseferunt; & parcendum Latiali interpreti, si ad arbitrium verba illeverit. De voce ἐπισκύνιον, si lubet, vid. Etymolog. M. Ex conjectatione quidem ἀπροσδιόνυσον vocem ἔκκρεμες inverti in hanc bonam ἔντρομος, quam lectionem veram esse didici ex altero epigr. ejusdem lib. ἀπὸ ἁλιέων, quod secundum est ejus tituli v. 7. Πείσων ὁ γριπεὺς Ἑρμῇ πόρεν ἔντρομος ἤδη Δεξιτερὴν πολλοῖς αἰθόμενος καμάτοις, *Piso piscator Mercurio obtulit tremulus jam dextra multis ustus laboribus*; quare ne me audacem dicas: imo in his epigrammatis dedicatoriis sæpe legas adjunctum τρομερός senum proprium, uti in secundo ἀπὸ κιθαρῳδῶν vers. 5. Ἀντὶ δὲ πλέκτρου Σκηπανίῳ τρομερὸς χεῖρας ἐρειτόμεθα, *pro plectro baculo tremulas manus sustentabimus*. Scio etiam posse ab aliquo Græculo sustineri inficetam vocem ἔκκρεμες, si parva mutatione in ἔκκρεμὲν, *suspendit* reficiatur, ita ut sententia sit, Φιλόδημος ἐπεὶ χρόνῳ ἔκκρεμες, *appendit sua scriptionis organa, jam venerat ad rugosum oculorum supercilium*; præsertim cum in 4. epigram. dedicatorio v. ult. legere est Βρομίῳ ζωὸν ἐχῖνον ἀνεκρέμασεν· verum quantum distet vox bona ἀνεκρέμασεν ab ἔκκρεμες, quæ nihili omnino est, neque a θήματι suo cadit, vel pueri parum ἑλληνίζοντες norunt: quare fortiter adhæreas τῷ ἔντρομος, ut & sententiæ & nitori epigrammatis consulas. Adscribam epigr. quasi recoctum, quo stet sententia cum sueta μετρικῶς a me concinnata interpretatione.

Γυρὸν κυανέης μόλιβον σημάντορα γραμμῆς,
Καὶ (1) σχιστῶν ἀκόνῃ τριχαλέην καλάμων,
Καὶ πλατὺν ὀξωπῆρα μεσοσχιδέων δονακήων,
Καὶ κανόνα γραμμῆς ἰθυπόρῳ παμίην,
Καὶ (2) χρόνικον γλυπτοῖσι μέλαν πεφυλαγμένον (3) ἄντλοις,
Καὶ γλυφίδας καλάμων ἄκρα μελαινομένων
Ἑρμείῃ Φιλόδημος· ἐπεὶ (4) χρόνῳ (5) ἔντρομος ἤδη,
(6) Εἶλκε κατ' ὀφθαλμῶν ῥυσσὸν ἐπισκύνιον.

(1) vulgo σκληρῶν. (2) vulgo χρόνιον. (3) commun. ἄντροις.
(4) ex Palatin. membr. χρόνῳ, vulgo χρόνε.
(5) commun. ἔκκρεμες. (6) vulgo ἦλθε.

Curvum lineolas plumbum quod perlinit atras,
Et lapidem, qui est ut cos acuens calamos,
Et latum ferrum, quo dissindatur arundo,
Qui fingit rectam lineolam, & canonem,
Putre atramentum insculptæ & quæ vascula servant,
Nec non & calamos, est nigra quibus acies
Mercurio, ob senium dextra tremulus Philodemus,
Palpebra cui rugosa ante oculos cecidit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA IV.

Ἄδηλον.

VII. Τὸν τροχόεντα μόλιβδον, ὃς ἀτρεπὸν οἶδε χαράσσειν
Ὀρθὰ παραξύων ἰθυτενῆ κανόνα,
Καὶ χάλυβα σκληρὸν καλαμηφάγον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν
Ἡγεμόνα γραμμῆς ἁπλανέος κανόνα,
Καὶ λίθον ὀκρυόεντα, δόναξ ὅθι δισσὸν ὀδόντα
Θήγεται ἀμβλωθεὶς ἐκ δολιχογραφίης,
Καὶ βυθίλλου Τρίτωνος ἀλιπλάγκτοιο χαμάδιλλον,
Σπόγγον ἀκεσορίλλου πλαζομένης γραφίδος,
Καὶ κίστλην πολύωπα μελανδόκον, εἰν ἑνὶ πάντα
Εὐγραφέος τέχνης ὄργανα ῥυομένην
Ἑρμῇ Καλλιμένης τρομερὴν ὑπὸ γήρα ὄκνῳ
Χεῖρα καθαρμόζων ἐκ δολιχῶν καμάτων.

Rotundum plumbum, quod ſemitam novit exarare,
Recte abradens recte extenſum canonem,
Et crenam aſperam capientem calamos, ſed & ipſum
Ducem ſcripturæ non errantis canonem,
Et lapidem prominentias longas habentem, calamus, qui duplicem (dentem
Acuitur obtuſus ex ſcriptorum prolixitate,
Et profundum Tritonis in mari errantis humilem lectum,
Spongiam, medicamen errantis ſcripturæ,
Et ſcriniolum multiforamen atramentum capiens, in uno omnia
Bene ſcribendi artis inſtrumenta contrahentem
Mercurio Callimenes, trepidam ob ſenectutis ignaviam
Manum componens ex longis laboribus.

Epigramma IV. præ ceteris elegantius, & melioris ævi fortaſſe, etiam ab Philippo confectum ſi aſſeram, haud a vero abludam: etenim ταχυγράφος eſt Callimenes, de quo cecinit in primo epigr. Philippus ipſe, quem Auguſti tempeſtate floruiſſe ſcimus. Hoc quartum epigramma ab exſcriptoribus non tam fœde nobis commendatum eſt, quare paucis te teneam; licet quædam non leve mihi negotium creent. Contra vero, quæ manibus teritur interpretatio adeo inepta eſt & inficeta, ut vel pueris indignam reor. In quarto verſu vocem γραμμῆς iterum adverte eſſe *lineam*, quæ regulæ ope ἁπλανοῦς a plumbo in membrana illinitur.

In quinto verſu, an vox ὀκρυόεντα bene regat ὕψιλον, & quæ ſit ejus vis, vide quæ docte in Theſauri indice aggeſſit H. Stephanus; quod vocabulum cum ſæpe Homerus celebret, Joſue Barnes in adnotat. in Hom. hoc ipſum ἐπιθετὸν expendit, & quæ Stephanus vidit, eadem tanquam e ſua penu Barnes recoquit repetundarum arceſſendus.

Verſus nonus gemmas contra mihi carus, utpote regium noſtrum atra-

Digitized by Google

atramentarium deſcribit, cum appellet κίσην πολύωπα μελανδόκον, *conſtans multis faciebus atramentarium vaſculum*, non vero ut vulgo, *multa foramina habens*: verum de vocibus κίση & πολύωψ longiſſima quæque ſuperne p. 18. habes & quia nova protuli, errorumque ſatis ab Scriptoribus deterſi, ea ſi conſulas, te fortaſſe non pœnitebit. Unum hic nodum ſolvendum mihi ſervavi, an ſcil. κίση πολύωψ revera ſit atramentarium; etenim verba, quæ ſequuntur, videntur indicare potius ciſtulam, ubi Callimenes omnia inſtrumenta repoſuerat, εἰν ἑνὶ πάντα εὐγραφέος τέχνης ὄργανα ῥυομένην, atque interpres in hanc ſententiam diſceſſit invertens, *ſcriniolum*, &c. quem non tanti curo, quanti H. Stephanum libere adſerentem in ind. Theſ. κίση *in epigr. dicitur ciſta, ſeu arcula ſcriptoria, in qua atramentum, calami, cultellus, pulviſculus, calculi, & ſimilia ſuas habent veluti cellulas*. At caligo omnis diſpellitur, ſi parva mutatione pro ῥυομένην remittas ῥυόμενος, ideſt, Callimenes *ſervans*, ſive *reponens* εἰν ἑνὶ *in unum*, ſive *ſimul* Ἑρμῇ ſupple ἔθηκεν, *dicavit omnia inſtrumenta ſcriptoria*, inter quæ extremo loco enumeratur κίση πολύωψ, μελανδόκος, *vas multarum facierum*, & *atramentum excipiens*. Et ut tirones vident, ſi in ea arca, κίσῃ, omnia organa ſuæ artis repoſuiſſet Callimenes, primum quidem non bene quadraſſet ſcriniolo adjunctum μελανδόκον, ſive potius μελανδόχον: deinde auctor epigrammatis oblitus eſſet accenſere inter ſcribendi organa principem ſupellectilem, ſcilicet *atramentarium*. Demum, quod potiſſimum mihi eſt, dixiſſet ἐν μιᾷ, ut ſyntaxis cum κίσῃ conſtet, non vero εἰν ἑνί. Verum hæc luce clariora ſunt, ad extremum verſum aggrediamur.

In quem reſtitue dumtaxat καταρμόζων, *componens*, in διαρμόζων, *liberans*, ideſt, *liberans tremulam manum ob ſenectutis ignaviam ab diuturnis laboribus*; amanuenſes enim facile permutabant διά in κατά, utpote per nexum præpoſitiones ſcribi mos erat: & cernere eſt ipſiſſimam ſententiam in extremo verſu epigr. 6. παλάμῃ δῶκεν ἐλευθερίην, *dexteræ dedit libertatem*.

Τὸν τροχόεντα μόλιβδον, ὃς ἀτραπὸν οἶδε χαράσσειν,
Ὀρθὰ παραξύων ἰθυτενῆ κανόνα,
Καὶ χάλυβα σκληρὸν καλαμηφάγον, ἀλλὰ κ᾽ αὐτὸν
Ἡγεμόνα γραμμῆς ἀπλανέος κανόνα,
Καὶ λίθον (1) ὀχρυόεντα, δόναξ ὅθι δισσὸν ὀδόντα
Θήγεται, ἀμβλυνθεὶς ἐκ δολιχογραφίης,
Καὶ βυθίην Τείων ἀλιπλάγκτοιο χαμεύνην,
Σπόγγον, ἀκεσσαμένην πλαζομένης γραφίδος,
Καὶ κίσην πολύωπα (2) μελανδόχον, εἰν ἑνὶ πάντα
Εὐγραφέος τέχνης ὄργανα (3) ῥυόμενος
Ἑρμῇ Καλλιμένης τρομερὴν ὑπὸ γήρεος ὄκνῳ
Χεῖρα (4) διαρμόζων ἐκ δολιχῶν καμάτων.

(1) vel ὀχρίοεντα. (2) alii μελανδόκον. (3) vulgo ῥυομένην.
(4) vulg. καθαρμόζων.

Plum-

Digitized by Google

Plumbum, quod curvum recta ſcit tingere chartas,
Enixe longo ſi hæreat & canoni,
Et chalybem durum, calamos qui ſcindit, & ipſum,
Qui dux haud curvæ eſt lineolæ, canonem,
Pallentem ac lapidem, & calamos, queis binus ineſt dens,
Rodentem obtuſos, plurima ſi illiniant,
Tritonique vago requiem, quæ eſt cara ſub undis,
Spongiam, aberranti fert quæ & opem calamo,
Vaſque atramenti, facies cui plurima, in unum
Omnia ſcribendi vaſcula Mercurio
Servans Callimenes ſenio jam ignavus & æger,
Dextræ & dans longo ex munere pace frui.

EPIGRAMMA V.

Ἄδηλον.

VIII. Ἄβροχον ἀπλανέϊ μόλιβον γναπτῆρα κελεύθου,
Ἧς ἐπιμίζεται γράμματι ἁρμονίη,
Καὶ κανόνα τροχαλοῖο κυβερνητῆρα μολίβδου,
Καὶ λίθακα τρητὴν σπόγγῳ ἐειδομένῳ,
Καὶ μέλαϊ σταθεροῖο δοχήϊον· αὐτὰρ ἀπ' αὐτῶν
Εὐγραφέων καλάμων ἀκροβαφεῖς ἀκίδας,
Σπόγγον ἁλὸς βλάστημα, χυτῆς λειμῶνα θαλάσσης,
Καὶ χαλκὸν δονάκων τέκτονα λεπταλέων
Ἔνθαδε Καλλιμένης φιλομειδέσιν ἄνθετο Μούσαις
Γήραϊ κεκμηκὼς ὄμματα, καὶ παλάμην.

Immadidum inerrantis plumbum ſcriptorem itineris,
Et ſub quo firmatur litteræ harmonia,
Et canonem currentis gubernatorem plumbi,
Et lapidem perforatum ſpongiæ ſimilem,
Et atramenti ſtabilis receptaculum, verum & ipſorum
Bene ſcribentium calamorum in ſummitate tinctos calamos,
Spongiam maris germen, fluentis florem maris,
Et æs calamorum fabricatorem tenuium
Hic Callimenes jucundum ridentibus depoſuit Muſis
Senio defatigatus oculos, & manum.

In Epigr. v. ἄβροχον plumbi appoſitiſſimum ἐπιθετόν, quare vertas *ſiccum, aridum*. De voce ἁρμονία, ejuſque pura notione vide bene multa in ſequ. libro. In verſ. 3. τροχαλοῖο valet *rotundi*, non vero *currentis*. In ver. 5. vietam, vel potius inauditam vocem σταθεροῖο, *ſtabilis*, ſanabis ſtatim, ſi reſtituas in σατεροῖο, vel σατροῖο, *tempeſtivi, veteris*, quare belle Silentiarius epigr. 3. v. 5. atramentum dicit χρόνιον, quod adjunctum huic alteri lucem præſtat, vid. pag. 162.

Verſus 6. ſalivam grandem movet, legimus etenim ſpongiam eſſe

χυτῆς

χυτῆς λειμῶνα θαλάσσης, in quibus verbis interpres e penu ſua pro λειμῶνα refudit *florem*, partem ſcil. pro toto, nam λειμών *pratum eſt*: eſſe autem ſpongiam *maris pratum*, vel *floſculum*, quis, etiamſi ſtomachi calidiſſimi, concoquere poſſet? affatim fuiſſet ſemel appellaſſe ἁλὸς βλάστημα, *maris frutex*. Quare mihi κείμενον deſperatæ medelæ eſt; ſed ſi quid loci conjectioni detur, reſtituerem, χυδὴν πίνοντα θαλάσσην, *ſpongiam abunde bibentem aquam*, & appoſite dicitur *ſpongia aquam bibere*; eapropter Græculi cum Etymologici auctore vocabulum σπόγγος compactum aſſerunt, quia σπᾷ ὑγρά, *ebibit humida*. Vel paullo ſanius pro λειμῶνα reponerem πληρῶμα, ita ut ſpongia ſit *maris frutex*, & quæ *aqua facile impleatur*. Verum, ſi quis me felicior ſit, & meliora veſtiget, quam quæ huic verſui ſanando illevi, mea ipſe ſpongiæ facile ſubmitto.

Ἄβροχον ἁπλανέϑ μόλιβον (1) γραπτῆρα μολίβδυ,
Ἧς ἐπιεικῶς γράμματϑ ἁρμονίη,
Καὶ κανόνα τροχαλοῖο κυβερνητῆρα μολίβδυ,
Καὶ λίθακα τρητὴν σπόγγῳ ἐειδομένῳ,
Καὶ μίλανϑ (2) σαθροῖο δοχήϊον, ἀλλὰ κὴ αὐτῶν
Εὐγραφέων καλάμων ἀκροβαφεῖς ἀκίδας,
Σπόγγον ἁλὸς βλάστημα, (3) χυτῆς πληρῶμα θαλάσσης,
Καὶ χαλκὸν, δονάκων τέκτονα λεπταλέων,
Ἔνθαδε Καλλιμένης φιλομειδέσιν ἄνθετο Μούσαις
Γήραϊ (4) κεκμηκὼς ὄμματα, κὴ παλάμῃ.

(1) membr. Vatic. γραμπτῆρα. (2) vulgo σαθροῖο.
(3) vel repone χυδὴν πίνοντα, vulgo χυτῆς λειμῶνα.
(4) Palat. membr. κεκμηώς.

Aridulum ſignans, recta ut ſit ſemita, plumbum,
Atque ut litterulis firma ſit harmonia,
Et canonem, cohibet qui plumbum errare rotundum,
Nec non pertuſum, ſpongia uti eſt, lapidem,
Vas & concocti atramenti, & qui bene tingunt,
Et quorum ſumma eſt nigra acies, calamos,
Et germen ponti eſt quæ ſpongia, ſat bibit undæ
Atque acuens calamos, ut faber, æs tenues
Callimenes blandis heic dedicat ipſe Camœnis
Ob ſenium dextra languidus, atque oculis.

EPIGRAMMA VI.

Ἰουλιανῷ ἀπὸ ὑπάρχων Αἰγυπτίῳ.

IX. Ἀκλινέας γραφίδεσσιν ἀπιϑύνοντα πορείας,
Τὸν δε μόλιβδον ἄγων, κὴ μολίβῳ κανόνα,
Σύνδρομον ἡνιοχῆα, πολυτρήτῳ τ' ἀπὸ πέτρης
Λᾶαν, ὃς ἀμβλείαν ϑῆκε γένυν καλάμῳ,
Σὺν δ' αὐτοῖς καλάμοισι μέλαν μυσήεντα φονῆς
Ἀνδρομέης, σμύλης τ' ὀξυτόμον κοπίδα
Ἑρμείῃ Φιλόδημος· ἐπεὶ χρόνϑ ὄμματϑ αὐγὴν
Ἀμβλύνας, παλάμῃ δῶκεν ἑλεϑείλιῳ.

Rectas litteris dirigentem ſemitas
Hoc plumbum agens, & plumbi regulam,
Concurrentem rectorem, & undique pertuſæ petræ
Lapidem, qui obtuſum acuit calamum,
Et cum ipſis calamis atramentum, myſteria vocis
Humanæ, crenæque valde acutum cultrum
Mercurio Philodemus: cum tempus oculi lucem
Obtundens, manui dedit libertatem.

In Epigram. VI. interpres in voce γραφίδεσσιν falſiſſimus eſt; non etenim γραφίδες ſunt *litteræ*, ſed *calami ſcriptorii*, ut nemo non videt. Pro ἀπιθύνοντα refice ἐπιθύνοντα. In 2. verſu ἄγων importuniſſimum eſt, & ἀσύνταικτον, igitur appone ὁμᾶ, vel quid ſimile. In 3. lege συνδρόμᾳ, ut cum μολίβῳ conveniat; *plumbum* enim *excurrit*, dum ſignat lineolas, & ab recta regula detinetur, ne exorbitet; præterea ſtatim expunge vocem ἡνιόχῆα, *aurigam*, quæ præfert metaphoram audaciſſimam, nemo ſane a ſe impetraverit, ut credat Julianum epigrammatis auctorem vocaſſe κανόνα, *plumbi aurigam:* quare ῥῆσιν illam meo periculo divide, & quæ probe ſcripſit Julianus, habebis, ſcil. ἴθυν ὀχῆα, hoc pacto regula ſuum ἐπιθετόν, ſcil. ἴθυν acquirit, fungiturque officio ſuo *cohibendi plumbum*, ne a recta diſcedat. Πέτρα quidem *rupes*, λᾶας eſt particula, quæ a rupe exſcinditur, quod jam ante me adnotaverat Salmaſ. in Solin. p. 851. contentus uno Theocrito, tot Homeri loca oblitus, vid. Il. δ. v. 107. Od. ε. v. 412, 415. 428. ubi in ea notione eſt vox πέτρη, ut ſexcentena taceam. Atque in hiſce etiam epigg. vides pumicem nunquam vocitari πέτραν, ſed vel λᾶαν, vel λίθον, & λίθος particula etiam rupis eſt in Homero, & ceteris Scriptoribus; ita ut huic vatum principi ſollemne eſt canere domos fabricari ξεστοῖσι λίθοισι, vel πυκινοῖσι λίθοισι · quare de regiis ædibus Priami legimus Il. ζ. v. 244. Πεντήκοντ' ἔνεσαν θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο. Et Il. π. v. 212. Ὡς δ' ὅτε τοῖχον ἀνὴρ ἀράρῃ πυκινοῖσι λίθοισι. Addas Od. ψ. v. 192. θάλαμον δέμον, ὄφρ' ἐτέλεσσα Πυκινῇσιν λιθάδεσσι, κ. τ. λ. Ac ipſe ſummus vates nos docet λᾶας, & λίθος in æqua notione haberi, cum de Circes domo recinit, Od. κ. v. 210. τετυγμένα δώματα Κίρκης ξεστοῖσι λάεσσι. Idipſum habeo ab Heſiodo, ut omnes horum vatum principum filios præteream, qui docet in ἔργοις v. 624. hyeme ſubducendas in littus naves, & muro ex bene compactis λίθοις cingendas contra vim, & humiditatem ventorum: Νῆα δ' ἐπ' ἠπείρῳ ἐρύσαι, πυκάσαι τε λίθοισι Πάντοθεν, ὄφρ' ἴσχωσι ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων. Quæ hic adjecit Clericus, ne legas, nam haud ſunt tanto viro digna.

x. Hæc mihi vix illinenti in mentem veniunt, quæ utinam non illeviſſet Mazochius in lib. de Aſcia, (cujus lucubrationes mihi delicium ſunt,) ter enim dictitat p. 264. 265. 267. in Homero omnia ædificia ex ligno compacta, ligneumque fuiſſe heroicis temporibus τεκτόνων domorum miniſterium. Cum con-

Digitized by Google

contra sit ex quinis hisce exemplis ; imo non solum lapidibus ædes eo ætatis exstructas legere est, verum etiam summa elegantia & cultu elaboratis ; & me etiam piget, eo quod vir magnus verbis castigat Eustathium secum non conjurantem. Verum Mazochio indulgendum, quem in nova, ac laudis plena, vocis τέκτων, quam cudit, διαγνώστη, maxime uri oportuit Homerum sibi fore adversarium; quare quavis ope & arte in sententiam suam convectare adlaborandum fuit. Ceterum viro huic eruditissimo non dumtaxat Eustathius, sed & Scholia brevia ea in re resistunt, quæ Il. δ. v. 110. isthæc adnotant : Τέκτων· ὁ καλούμενος τοξοποιός· ἢ ΚΟΙΝΩΣ, πᾶς τέκτων λέγεται· ἀπὸ τῆ τεύχειν, ὅ ἐστι, κατασκευάζειν τι. Adlevi majoribus litteris proverbium ΚΟΙΝΩΣ, quo advertas illud etiam Mazochio displicuisse in Suida, atque postquam leviter Kusterum arguisset pag. 267. more suo asciatum quid, & subtile attexuit, ut in ΚΟΙΝΟΝ immutet : consulas clarissimi viri adnotationem 320. quo rem perspicias. Imo longissimo ante Heroicorum temporum intervallo lapidibus cœptum est ædificari, vide Gen. c. XI. v. 3. *Habuerunt lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento*. Et Levit. c. 14. v. 14. c. jubetur *lapides, & ligna domus leprosi projici extra oppidum.*

XI. Pro re nata, eò quod epigrammatographus probe distinguit λᾶας ab πέτρα, atque Homerus sæpe utitur vocibus ξεστοῖσι λίθοισι, urgeor ad Justini locum ἐν λόγῳ πρὸς Ἕλληνας pag. 33. Venet. 1747. explanandum, qui Sibyllæ Cumanæ βασιλικὴν ait fuisse ἐξεσμένῳ ἐξ ἑνὸς λίθῳ, verba Homerica mutuatus, quæ non vice simplici in eodem κόμματι repetit : Ἐθεασάμεθα δὲ ἐν τῇ πόλει (Κύμῃ) γενόμενοι κ' πνα τόπον, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστω ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένῳ λίθῳ ἐγνωμεν· πρᾶγμα μέγιστον, κ' παντὸς θαύματος ἄξιον· ἔνθα τὰς χρησμὰς αὐτὴν ἐπαγγέλλειν οἱ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότες παρὰ τῶν ἑαυτῶν προγόνων ἕφασκον. Ἐν μέσῳ δὲ τ βασιλικῆς ἐπεδείκνυον ἡμῖν τρεῖς δεξαμένας ἐκ τῆ αὐτῆ ἐξεσμένας λίθῳ, ὧν πληρωμένων ὕδατος λέεσθαι αὐτὴν ἐν αὐταῖς ἔλεγον· κ' σολὴν ἀναλαμβάνεσαν εἰς τ ἐνδότατον τ βασιλικῆς βαδίζειν οἶκον ἐκ τῆ αὐτῆ ἐξέσμενον λίθῳ, κ.τ.λ. quæ verba ponderosa satis, miserum in modum conversa a Benedictinis viris ægre intueor : *Vidimus, cum in hac urbe (Cumis) essemus, locum quendam, ubi sacellum maximum ex uno saxo excisum conspeximus, rem sane præclarissimam, & omni admiratione dignam ; ibi sua illam oracula edidisse narrabant, qui hæc a majoribus, ut patriæ suæ propria acceperant. In medio autem sacello monstrabant nobis tria receptacula ex eodem excisa saxo, quibus aqua repletis lavare eam dicebant ; & cum vestem resumpsisset, in intimam sacelli ædem secedere ex eodem saxo excisam, &c.* Quis ferat βασιλικὴν μεγίστω transfundi ὑποκορεστικῶς *sacellum* cum ἐπιθετῷ *maximum?* quæ quidem contraria sibi sunt. Et qui fieri potuit, ut parvum *sacellum* tres δεξαμένας, imo & ἐνδότατον οἶκον amplecteretur ? quare merito Justinus vocitavit μεγίστω βασιλικὴν. Et miror eos doctissimos viros non secutos Jo. Langi interpretationem, quæ aliquanto melioris pretii est, eam tutemet consulas.

Digitized by Google

Verum & Langus, & Benedictini in verba, quæ ex Homero desumpsit Justinus, ἐξ ἑνός, vel αὐτῆ ἐξεσμένῳ λίθῳ, misere impegere *exisam ex uno lapide* convertentes; cum ξέω non sit *excido*, sed *perpolio*, *levigo*, idcirco princeps vatum *lapides* plerumque dicit ξεστούς. Nosco autem, cur transversum acti sint hi doctiss. interpretes, cum enim longior Maronis fabula de Sibyllæ horrenda specu a pueris in eorum pectora influxerit, rati sunt Justinum hoc antrum Virgilianum βασιλικὴν appellasse; & λίθον ἕνα peræque esse, ac *rupem*, hinc ἐξεσμένῳ versum est *excisam*; cum dicendum fuisset Latine, *Templum illud* (Sibyllæ) *parili perpolitoque lapide fabrefactum:* templa enim, domus, ædes lapidibus exstrui dicimus, ferro contra excidi, quod vel pueri vidissent. Et quis vel tiro Græculus ignorat voculam εἷς, *unus* sæpe in utraque lingua, valere *par*, *æqualis*, *idem?* itaut hæc Sibyllæ βασιλικὴ *uno lapide fabrefacta* juxta sit, ac *eodem saxo*, non conquisitis quibusvis lapidibus, sed ex una rupe excisis, atque inde ἐξεσμένοις, *bene aptatis:* ea quidem est Justini mens, idque elaboratissimum ædificium viderat, ideoque vocat jure μέγιστον πρᾶγμα, & παντὸς θαύματος ἄξιον. Quod autem εἷς, *idem*, ac *similis* denotet, posthabitis, quæ ab lexicis, atque ab indicibus habes, exemplis, uno Thucydidis utar opportuno satis hist. lib. 4. n. 64. p. 265. Τὸ δὲ ξύμπαν, γείτονας ὄντας, καὶ ξυνοίκους μιᾶς χώρας, καὶ ὄνομα ἓν κεκλημένους Σικελιώτας, *uno verbo*, *quod vicini simus*, & *incolæ ejusdem regionis maritimæ*, & *eodem nomine Siculi vocemur:* vides igitur ἓν, & μία valere *idem*, *eadem*, &c. verum id vulgare, & cuivis notum: imo & Hebræi in eadem sententia sexcenties voce אחד *unus*, usi sunt, confulas Concordant. P. Marii de Calasio edit. Londini p. 115. ubi illitum est אחד, *unus*, *idem*, & אחרים, *uni*, *iidem*, inde, ut moris est, perpetua sanctorum libb. testimonia assumuntur. Ratum igitur est, quid sit Justino ἐξεσμένος λίθος.

XII. Præterea adeo verum dicas ea, quæ protuli, Justinum sensisse, ut vocem λίθος nunquam reperire sit in notione *rupis*, vel *montis*, sed solummodo tum sacri Scriptores, tum οἱ ἔξω pro lapidibus non magnæ molis adhibuerint; in eoque adeo conjuratos nactus sum, ut nihil supra; contra vero pro *rupe*, sive *monte* vocem πέτρα eodem constanti animo illeverint; quod & Latiares etiam Scriptores cujusvis ætatis in bino vocabulo *lapis*, & *petra* imitatos gratulor, quorum loca si aggererem, fierem importunus, cum ubique tum Græce, tum Latine prostent; satis erit eorum indices invisere. In manifesto tamen peccatu versarer, si ab Scriptorum principe Homero locum ἀντάξιον ἄλλων, & veluti a me confictum haud apponerem, ubi Niobæ filiorum duodenorum, quos Apollo interfecerat, fabellam narrat, atque homines, & Nioben in *lapides* conversos vocat λίθους· e contrario *montes*, in quibus dolores concoquebat Niobe, appellat πέτρας, & ὄρεα, in Il. ω. v. 610. Οἱ μὲν ἄρ' ἐννῆμαρ κέατ' ἐν φόνῳ, ἀνδὲ τις ἦεν -- Καταθάψαι· λαοὶ δὲ λίθους ποίησε Χρονίων. . . . Νῦν δέ πω ἐν πέτρῃσιν, ἐν ὄρεσιν οἰοπόλοισιν.... Ἔνθα λίθος περ ἔστα, θεῶν ἐκ κήδεα πέσσει.

Digitized by Google

πέσσει. Imo miratus sum tum Mosem ipsum, tum ceteros Hebræos in sanctis membranis æterna ὁμοφρονήσει clare distinxisse, & ne simplici quidem vice unquam confudisse vocabula אבן, *lapis*, & צור *rupes*, quam alteram vocem & LXX. πέτρα jure reddidere, & Latiaris interpres invertit *petra*; primam vero λίθος, & *lapis*: vide eundem P. Marium de Calasio in his ῥήσεσι, quo rem citius noscites. Hac sane distinctione invecta, (quam haud scio, an tot præclarissimi, & πολύγλωττοι interpretes adverterint,) mira lux erit tum profanis, tum præsertim sanctis veteris, & novi fœderis voluminibus. Quare ut ad Sibyllæ βατιλικὴν redeam, si ἐξ ἑνὸς λίθου ἐξεσμένῳ cum Justino fateamur, non *excisam in rupe* dicas, alias ipse Martyr ἐκ πέτρας alleviisset, cum λίθος sit exiguæ molis *lapis*, nobisque suggerit eam βασιλικὴν fuisse saxis fabri malleo politis compactam, & maximorum, atque elegantium ædificiorum instar erectam.

His animadversis, nullusdum mecum non ægre feret Mazochium isthæc Justini verba longiori commentario docte, ut moris est, illustrantem hanc βατιλικὴν Sibyllæ appellasse *specum* in Neap. Calend. to. 2. pag. 449. *Vult igitur Noster* (Justinus) *Sibyllæ specum, sive* χρηστήριον *in Romanarum basilicarum formam fuisse constructam*, &c. quis enim vero vocet *specum*, prægrande ad miraculum ædificium, & affabre aptatis λίθοις compactum erectumque? Et me piget maximum virum oblitum esse hæc Justini verba attentius pensitasse, Latinamque interpretationem tanquam non malam Calendario adnexuisse. Verum de hac Sibyllæ βατιλικῇ, & Justini verbis plurima commentabimur σὺν Θεῷ in regionis Puteolanæ descriptione; & splendidissima Agathiæ mendacia Sibyllæ *antrum* comminiscentis ἐν ᾧ βαραθρώδες pag. 20. edit. Paris. 1660. exsibilabimus: quis enim præstet potiorem fidem scriptori absenti, & ævi nequioris, quam Justino cultissimo viro, atque αὐτόπτῃ;

XIII. Hæc autem me de falso Sibyllæ antro commentantem opportune arcessiit Antistita Sacrarum Virginum (quæ primorum patriciorum filiæ sub Divæ Claræ nomine, ac tutela συμβιῶσι, virtutum exemplo, quod grande claritudinis adjumentum est, & regia munificentia spectatissimæ præ ceteris;) ac benignissime inscriptionem expostulavit in aditu Cryptæ, quæ ab Averno ad Cumas perfossa erat, adponendam, utpote quæ inter ingentia harum Virginum prædia interjacet, atque ab inscitissimis Scriptoribus, ejusque oræ importunis περιηγηταῖς, uti appellat Justinus, *Grotta della Sibilla*, salutatur, quos non male *Cicerones* vocitamus, nam id genus homunciones alibi multis ostendam audivisse olim etiam *Homeros*, pacemque petam ab summo viro Mazochio, qui in longiori adnot. in Calendarium pag. 449. to. 2. acute arguteque evincere adnititur eam nomenclaturam abortionem esse vocis *circitores*, vel *circerrones* contractæ ab *circumerrones*; interea de id genus hominibus vide, quæ adnotavit Sphanhem. init. de P. N. quem laudare oblitus est Mazochius. Qua cura potis fui inter hanc longam, & fortasse tædii plenam atramentariam ope-

operam, edere epigraphen, adſcribam, quo mandatis tantæ Antiſtitæ obtemperem, quæ immortale nomen ſibi ob templi ſui omnium in hac urbe magnificentiſſimi inſtaurationem, ac picturas comparavit.

CRYPTAE AB AVERNO HOC LACV AD CVMAS
AVSPICIIS AGRIPPAE
ET COCCEI ARCHITECTI INGENIO ET OPERE
POSTERIS ADMIRANDO EFFOSSAE
SIBYLLAE NOMINE ATQVE ORACVLIS
PERDIV AVGVSTAE
OLIM VIRORVM CONSVLARIVM ET IMPERATORVM CVRRIBVS
CONVENARVMQVE ITINERIBVS
CELEBRATISSIMAE
INTROITVM PAENE CLVSVM
DELIA BONITA ANTISTITA
ET CATHARINA ANGVILLARIA ADMINISTRA
INTER CETERAS SVB DIVAE CLARAE TVTELA
PATRICIAS NEAPOLITANAS VIRGINES
PROVIDENTISSIMAE
QVEIS IN MAIOREM PVTEOLANI AGRI PARTEM
IVS EST
CAEMENTIS AC RVDERIBVS REIECTIS
LONGA AETATE AGGESTIS
APERIVNDVM ORNANDVMQVE
CVRAVERE CIↃIↃCCLIII

Scio me ob voces λᾶας, & πέτρα, quæ hoc epigr. exornant, longius aberraſſe, quare ad medelam reliquorum verſuum aggrediar; poſtquam te admoneam, ne credas Jo. Georg. Grævio in laborioſis in Heſiodum lection. in ἔργ. v. 589. ajenti: Πέτρα *Homero*, *aliisque Græcis poetis ſæpe eſt antrum in rupe excavatum*; affertque duo Homeri loca, quæ quidem vel tiro de *rupe*, ſive *monte*, non de *ſpecu* interpretaretur; primum eſt Il. β. v. 88. ubi ſi divinus vates πέτρῳ dicat γλαφυρόν, ipſa πέτρη *rupes* quidem eſt, & eo quod addat γλαφυρή, evadit mons *effoſſus*; & quis unquam negaturus eſt ἐπιθετά rem varie afficere atque diſcriminare, non vero ipſam prorſus immutare? hinc in ipſo Hom. πέτρη eſt πεμμήκης, Il. v. 63. ὁλοοίτροχος, v. 137. κοίλη, φ. v. 494. & Od. μ. 233. ἠεροειδής, atque id genus ſexcenta. Alterum eſt Il. δ. 107. ubi Homerus canit de cervo, πέτρης ἐκβαίνοντα, quæ verba vertunt omnes, *ex rupe exeuntem*, & Grævius de ſuo addit, *ex rupis antro exeuntem*; cum ſi ea carmina ſummi vatis adeas, diceres cervum *e rupe deſcendentem*. Verum hæc ſatis aperta.

In ver. 4. θῆκε abunde profert amanuenſium torporem, corrige lubenter θῆγε, *acuit*, quod vidit etiam interpres, licet in ceteris dormitans, non vero Manutius. Ut ſententia hujus 4. verſus ſtet, ſcias ex membranis Vaticanis me habere monſtroſam vocem συσήεμα, quam Aldus repoſuit notiorem, licet nihil hic opportunam, μυσήεμα· ipſe enim cum ignariſſimis ignoro, cur calami, & atramentum ſint *humanæ vocis myſteria*: aliud prorſus cogitaſſe Julianum credendum eſt: minima admodum mutatione συστήεμα verte in συπτήεμα, mentemque Juliani tandem aperies: σύφω etenim eſt *adſtringo*; igitur συπτήεμον, *adſtrictio*; & revera, ut vox humana caracteri-

Digitized by Google

ribus firmetur & adſtringatur, calamis, & atramento utamur oportet, alias vox avolaret; quare merito Homerus πεμθρύλλητον illud adjunctum πτερόεντα *verbis* ſemper aſſuit, quando loquuntur; in ipſa autem ſcriptura, vocem veluti figimus, & σύφομεν, *adſtringimus*: habes igitur Juliani mentem, qui bene noverat verba eſſe πτερόεντα, dum loquimur, contra vero συφθέντα, dum ſcribimus; hinc belle verba chartis depicta appellantur φωνῆς συπτήματα. Ut autem nihil prorſus dubites, quin recte hanc vocem ſanaverim, fundum do eundem Julianum in epigrammate ſequenti v. 5. & 6. dum ait calamos, & atramentum *adſervare vocem mortuorum*; φιλάττειν autem γῆρω, & σύφειν φωνήν, eadem ſiquidem valere nemo neget. Quid ſi eundem prorſus loquendi modum repererim? Iſidorus præſto mihi eſt Orig. l. 6. c. 14. cujus verba ſi egomet confinxiſſem, aptiora cudere haud quiviſſem: *Inſtrumenta*, inquit, *ſcribæ calamus, & penna; ex his enim verba paginis infiguntur*, &c. Sane videtur Iſidorus hanc ſententiam ex Juliani epigrammate mutuatus; quare illius ævo certe συπτήμα legebatur; ſane iterato recinendæ ſunt diræ in librarios, qui elegantem illam carminum ἀνθολογίαν tam miſere deflorarunt. Valde gratulor mihi etiam Lucanum id muneris characteribus tribuiſſe, ſcilicet vocem firmandi, ne avolet, ſed æternum duret; quis enim ignorat bina ejus carmina πεμβόητα lib. 3. v. 221. *Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi Manſuram rudibus vocem ſignare figuris?* Porro irridendi, qui elegantem vocem *manſuram* inſcitiſſime immutarunt in nullius pretii ῥῆτιν *menſuram*, vide hujus poetæ editionem Oudendorpii nuperrimam, & apparatiſſimam; & miror doctiſs. virum in voce *manſuram* nihil adnotaſſe. Pro re nata de Sannazario συμπολίτῃ aliquantulum conquerendum mihi eſt, dum atramenti laudes merito perſequitur epigr. 32. lib. 1. & illud commendat, quod geſta regum æternum duratura chartis illinat, *Mandet ut æternis ſcripta voluminibus;* verum ſi ſummus hic poeta Grajas delicias, & hæc epigrammata ſcrutatus eſſet, potius appoſuiſſet, *Figat, ut æternis*, &c. quas delicias Lucanum, atque Iſidorum inviſiſſe minime pœnituit. Faceſſat igitur inter barbaros vox marcida συσήμα, ſive, ut in Vaticanis membranis συσήμα, aut μυσήρια, & in præclarum epigram. συπτήμα reſtituatur. Accipe carmen non amplius maculis turpe, & μετρικῶς converſum.

Α'κλινέας γραφίδεσσιν (1) ἐπιθύνοντα πορείας,
Τόντε μόλιβδον, (2) ὁμῶ κ' μολίβω κανόνα,
(3) Συνδρόμω (4) ἴθω ὀχῆα· πολυτρήτω τ' ἀπὸ πέτρης
Λᾶαν, ὃς ἀμβλείαν (5) θῆγε γένυω καλάμω,
Σὺν δ' αὐτοῖς καλάμοισι μέλαν, (6) συπτήμα φωνῆς
Α'νδρομέης, σμύλης τ' ὀξυτόμων κοπίδα
Ε'ρμείῃ Φιλόδημος· ἐπεὶ χρόνος ὄμματος αὐγὴν
Α'μβλύνας παλάμῃ δῶκεν ἑλιξιτείλω.

(1) vulgo ἀπιθύνοντα. (2) commun. ἄγαν.
(3) vulgo σύνδρομον. (4) commun. ἠνιοχῆα.
(5) vulgo θῆκε. (6) membr. Vat. μυσήρια, ex Fulv. Urſin. συσήρια.

Quod

Quod calamis dat iter, recto ne a tramite oberrent,
Hoc plumbum, & plumbi, qui regit hos, canonem,
Currens hoc qui inhibet; pertusæ atque undique petræ
Particulam, obtuso dat quæ aciem calamo,
Cum calamo atramentum, vocem quæ organa figunt
Humanam, & cultrum, qui secat, atque acuit,
Mercurio Philodemus; vim cui luminis ætas
Obtudit, officio hinc dextera se exsoluit.

EPIGRAMMA VII.

Τῦ αὐτῦ.

XIV. Αὔλακας ἰθυπόρων γραφίδων κύκλοισι χαράσσων,
Ἄνθεμά σοι τρωχθεὶς ὅτ' ἐμὸς μόλιβ',
Καὶ μολίβῳ χρωσθεὶς καινὸν τύπον ὀρθὸν ὀπάζων,
Καὶ λίθ' ἁλιχιδέων θηγαλέ' καλάμων,
Σὺν καλάμοις ἄγγ' τε μελανδόκον, οἷσι φυλάσσει
Αἰὼν ἑσσομένοις γῆρυ ἀποιχομένων,
Δέχνυσο κ' γλυπτῆρα σιδήρεον, ᾧ θρασὺς Ἄρης
Σὺν Μούσαις ἰδίῳ δῶκε διακτορίῳ,
Ἑρμείη, σὰ γὰρ ὅπλα· σὺ δ' ἀδρανέ' Φιλοδήμε
Ἴθυνε ζωήν, λειπομένοιο βίε.

Lineas recte directorum stilorum circulis arans
Donarium tibi erasum hoc meum plumbum,
Et plumbo coloratori canon imaginem rectam præbens,
Et lapis bene scissos acuens calamos,
Cum calamis vasque atramentum capiens, quibus custodit
Tempus sequentibus vocem mortuorum,
Accipe & sculptorem ferreum, cui confidens Mars (mandata;
Cum Musis propriam dedit legationem: functionem perferendi
Mercuri, tua enim arma: tu infirmi Philodemi
Dirige vitam, relinquente vita.

In Epigrammate VII. amanuenses fortuito magis, quam ex industria autographi fidem servarunt, quare admodum pauca animadvertenda mihi reliquerunt. In versu 1. obscuriorem se præbet Julianus in voce κύκλοισι, quam accipere jubeo pro plumbi figura, quæ rotunda erat, ut passim legere est in his epigrammatis: verum prorsus me latet, quid sibi velint verba, αὔλακας ἰθυπόρων γραφίδων, *sulcos*, seu *lineas calamorum recta incedentium*, seu *scribentium*; nisi dicas Julianum accepisse *sulcos calamorum* pro ipsis *calamis*, quod ab Græcæ linguæ, & Latialis genio longe alienum. Arridet autem magis, si dicamus in mendo cubare vocem ipsam κύκλοισι, quam paullulo fidentius restitue in ἄκροισι, & meis epigrammatographi foret, *plumbum signans surculos pro extremitatibus calamorum, ut recte procedant*; ita ut accipiatur σωεκδοχικῶς

pars

Digitized by Google

pars illa calamorum, quæ ſola ſcribit, pro *ipſis calamis*: hanc conjecturam ſatis firmat verſus 6. epigr. 3. ubi eadem fere verba legis, καλάμων ἄκρα μελανομένων. Quam medelam ſi acceptes, omnis caligo detergitur. Ne interpreti credas γραφίδων vertenti hic *ſcalporum*, cum ſatis oſtenſum ſit ſuperne Græcos ſtilos ignoraſſe.

Laudes, quibus cultrum honeſtat Julianus in 6. & 7. verſu, olent ſui ſæculi mores, & audaciſſimæ ſunt. Demum coronidem impoſuit interpres oſcitantiæ ſuæ, cum extremi verſus extimam vocem verterit *vitam* pro *victu*, quam vel puer divinaſſet. Haud pretium operæ eſt iterum allinere epigramma, cum unam videas in eo διόρθωσιν in voce κύκλοισι· quare meos ſolummodo verſus non bene tornatos adſcribam.

Hos rectos ſulcos calami pro cuſpide ſignans
Hocce meum plumbum jam tibi devoveo,
Præbet iter rectum nigro quæ & regula plumbo,
Ac lapidem, ſciſſos qui calamos acuit,
Cum calamis ciſtam atramenti, quorum ope ſervat
Ætas majorum dogmata, ne intereant,
Excipe tu findens ferrum, quo terribilis Mars
Cum Muſis proprio fungitur officio;
Mercuri, & hæc tua ſunt arma, imbellis Philodemi
Tu vitam foveas, ſi inſita vis abiit.

Hæc habui, quibus curſim ſeptena hæc epigrammata ob librariorum injuriam ubique affecta in munditiem ſuam reſtituerem: & miror Salmaſium in Solin. & in hiſt. Aug. pleraque horum vocabula explanaſſe, & ſui veluti oblitum medicinam tot affectis locis nullam feciſſe; præſertim in Solin. p. 644. ubi meminit hæc dedicatoria epigramm. adnotatque quædam de *plumbo*, de *regula*, &c. ſed perquam obſcure, in eiſque nihil errorum deprehendit. Mirorque magis Gotl. Schwartium, qui poſtremus in exercit. de varia ſupelect. librar. veter. ſeptenos hos epigrammatum floſculos adnotatiunculis honeſtare aggreſſus eſt, nihil omnino eorum, quæ a me vel ſanata, vel reſtituta ſunt, advertiſſe; præſtitit etenim fidem interpreti potius, quam αὐτογράφῳ. Porro, ſiquis me audacem traducat, adſtruatque tot loca emendaſſe, ut potius ipſe viſus ſim veteribus ſcribere, quam veteres nobis, ei reponam illius ætatis Scriptores exemplaria poſteris commendaſſe, quæ fœdis vitiis carerent, & quæ bonam præ ſe ſententiam ferrent; quare mactandi laudibus ſunt, qui exſcribentium ſtupori conſulunt, vel plurimas antiquiores membranas inviſentes, vel bonis conjecturis innixi ſcripta veterum erroribus marcida ad primævam γνησιότητα confingere adlaborant. Ceterum, ſi id ſtudii ego in hiſce ſeptenis carminibus præſtiterim, & quid laudis meritus ſim, legentium indulgentiam, & Græca callentium vota præſtolor.

Digitized by Google

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

DE VETERUM LIBRORUM FIGURA APUD HEBRÆOS, GRÆCOS, ET ROMANOS, QUOS OMNES QUADRANGULOS FUISSE DEMONSTRATUR; DEQUE EORUNDEM ORNAMENTIS: IMPRIMIS DE VERA ΔΙΑΓΝΩΣΕΙ VOCUM *VOLUMINIS*, ATQUE *CODICIS:* ET DE VERBIS ΠΤΥΣΣΩ, ET *PLICO*.

CAPUT I.

Hebræi, & Græci unos libros bipatentes agnoverunt; & objectationibus respondetur.

I. *URgendum mihi est adversus decantatissimam tot doctiss. virorum sententiam. Vera notio verbi* volvere. II. *Hebræos teretes libros minime adhibuisse ostenditur: quid* ספר, *& potissimum* מגלה *contra cl. Mazochium: ea vox Hebræis peregrina: Zachariæ, Jerem. Machab. & psalmo lux, in quo verba,* ἐν κεφαλίδι βιβλίου, *& Latine,* in capite libri, *male versa.* III. *Apud gentem sanctam libros quadrangulos fabrefactos constat ex Luca: quid* ἀνοίγω, *& πεφάννυμι adversum eundem cl. virum. In Ezech. male appositum,* involutus liber: *quid* פרש, *&* פתח: *vera notio verborum,* liber scriptus intus, & foris. *Schoettgenius, & Calmetus notantur.* IV. *Græci cylindrica volumina prorsus ignorasse multis patefit: fides Plinio desideratur, quocum conjurare videtur Mazochius.* V. *Vox* ἕλιγμα, volumen, *inficeti Græcorum sæculi; sicuti* κεφαλὶς *in hac notione, quam male a* כפל *trahit Fullerus. Æschinis epistolæ multa lux, ubi perperam est* βιβλίον ἀνειλιγμένον, convolutum, *pro* ἀνεῳγμένον, apertum. *Locus etiam Laertii expenditur vocantis libros* κυλίνδρους *de hujus biographi ratione scribendi querelæ; atque ætas expenditur.* VI. *Verba Pausaniæ contra quadratos libros affecta sanantur; & male versa restituuntur, ubi* βιβλία *pro* βυβλία *hinc præclare illustrantur loca Jo. Apocal.* cælum . . . sicut liber involutus; *& psalm.* extendens cælum, sicut pellem. VII. *Græcorum volumina non solum* τετράγωνα, *verum & elegantissima ex Luciano. Quid apud eundem* βιβλίον ἐς δύο συνειλημμένον, *marcide conversum.*

I. SCIO mihi non parum invidiæ in hac brevi de librorum veterum forma lucubratione creatum iri, cum ipse ex trium linguarum Scriptorum lectione collegerim, unum semper fuisse librorum compingendi modum, quadratorum scilicet, convolutorum e contrario in cylindri figuram inter fabulas amandandum. Ad arduam rem aggredi fateor, cum adversus tot maximi nominis ἀρχαιολόγους contendendum mihi sit, & neminem unum reperies, qui hanc alteram librorum formam æternis commentariis, nescio quo turbatæ mentis impetu, propugnare adnisus non sit; atque adeo simul ea in re conjurarunt omnes, & eo usque sancta rataque ea sententia jam evasit, ut tacita assensione comprobandam, &

quasi

Digitized by Google

quasi indicto juramento statutam exputarint.

Porro me piget tot excellentium virorum agmen producere, quorum bonam partem præter Funccium Trotzius de pr. scrib. orig. cap. 35. quibuscum & ipse conspirat, enumerat, ac passim laudat. His addendus ὁ πάνυ Mazochius, qui in epist. de Dipt. Quirin. idipsum tutatur, communique opinioni grande ob doctissimi viri auctoritatem momentum apposuit, & more suo Hebræis, Græcisque luminibus rem offundere sategit. Demum anno superiori Sebast. Donatus librum edidit de veteribus Diptychis minime pœnitendum, atque hunc binum compingendi libros modum firmare aggreditur; quanquam ea in re ab aliis perdiu occupata recinat.

Ceterum sic statuo, Hebræos, Græcos, ac Romanos una librorum forma, quadrata scilicet, usos esse; quamvis vox τὸ *volumen* etiam ipsis sollemne semper fuerit, cui profecto alia notio subest, quam quæ vulgo exputatur; eam cum ignorarent universi, transversum acti sunt; omnemque ornatum ad convolutos libros ipsi præcipites transtulere, qui quadratorum erat ἰδιώτατον. Neque traducas hanc διατρίβων nihil cum *re atramentaria* commune habere; hinc adventitiam, atque veluti adsutam damnes; etenim, si certo præstem veteres unicam librorum formam fabricatos esse, cylindricos vero prorsus ignorasse; cum præjudicatam hanc exuant opinionem, facile traham refractarios, ut in iis, quæ multa de scriptis tabulis superne dicta sunt, majorem mihi fidem præstent; cum ea sit humanæ mentis indoles, ut si semel iterumque decipi passa sit ab Scriptoribus ἀρχαιολόγοις, lubenter in contraria invertitur & desciscit. Ceterum non tantum abs re fore reor negotio atramentario librorum figuram adnectere, cum utraque mutuam sibi impertiant lucem. Demum spondeo me hic specimen dumtaxat commentarii daturum, alias sane ea res prolixitate laboraret sua; omnia meliore ordine opportuniori loco servanda reor: quare nunc pensi mei operam cursim obeuntem, & veluti quædam semina jactantem me intueberis.

Et quidem doctissimos quosque voces *volvere*, & *volumen* in fraudem traxere, in animum inducentes eadem vi pollere, ac *circumvolvere*; quare finxere quædam librorum corpora cylindrica; cum facile in eorum mentem cadere potuisset id vocabuli belle aptari quadratis voluminibus; cum enim lectitando ab eorum una ad alteram pagellam transeundum sit, appositè dicimus *volvere*, *revolvere*, & *volutare* libros; qui dicendi modus sollemnis est Tullio, exemplaque ex ipsius lexicis abunde habes, ut sileam Scriptores cæteros, quorum indices, si lubeat, consulas; cum etenim chartæ ex una dumtaxat parte, tanquam cardini, simul adglutinarentur, haud sane perlegi potuissent, nisi versarentur & evolverentur; quare tritum est illud Hor. *Vos exemplaria Græca nocturna versate manu, versate diurna*. Et Ovid. Trist. lib. 2. el. 3. v. 307. *Nec tamen est facinus molles evolvere versus*; & Seneca in fin. suasor. 6. *Ego ut librum velitis usque ad umbilicum revolvere, adjiciam suasoriam proximæ similem*. Sed & Mazochii auctoritatem addere possem in

Digitized by Google

Dipt. Quirin. p. 35. *Volvendi actus non tantum* εἰλήμασιν, *i. e. libris convolutis, sed & bipatentibus convenit;* & vel tironibus translatitium est *volvere*, & *volumen*, non semper quid in gyrum & in rotundum actum menti ingerere; nam sæpe aliquid leviter curvum notat, hinc legimus ubique poetarum undarum, vinculorum, & serpentum, dum repunt, *volumina;* atque hominum supplicantium habitum *volvendi* voce expressere poetæ, Propert. lib. 3. el. 7. vers. 10. *Et Veneris magnæ volvitur ante pedes.* Quam notionem τῷ *volvere* cum deterioris ævi Scriptores minime advertissent, & libros sæpe *voluminum* nomine appellatos legerent, *cylindricos* fuisse perperam rati sunt; imo ornamenta omnia quadratorum propria ad conficta a se teretia *volumina* detorsere, ut mox patebit.

II. Ut autem ab Hebræis incipiam, ne vestigium quidem reperire est in Mosis voluminibus, eos compegisse libros in scapum convolutos; cum etenim ipse unica voce ספר utatur, nihil inde pro rotunda eorum forma erui potest; imo ad quadratos τὸ ספר spectare fundum do Mazochium ipsum in laudata sæpe diatriba p. 35. ajentem: τὸ ספר, *quod erat antiquius, de in semet convolutis voluminibus usurpari nequivisse;* cujus viri auctoritas omnium instar est, utpote Hebræi sermonis callentissimi. Porro ex hisce Mazochii verbis cito quis deducat, si ספר ætate Mosis de quadrangulis voluminibus dictum sit, non vero de convolutis, inventa eleganti arte compingendi polyptychos libros, teretes usui satis adversos fabricare infrunitæ mentis fuisset; quare, licet invitus, mecum consspirat Mazochius. Verum haud scio, cur tantus vir recentiorem vocem מגלה adstruat, licet dubii plenus, trahi posse ad rotundum librorum genus, quanquam, ubicumque sacri codicis est vox מגלה, fateatur accipiendam esse pro libris polyptychis; mox iterum veluti sui oblitus librum, quem portentosæ molis viderat Zacharias cap. 5. v. 1. 2. adstruit fuisse in semet convolutum, non alio nixus rationis momento, quam quod esset inusitatæ formæ, & mysteriis scatens. Verum etiam hic מגלה quadrata est, cum longitudo viginti cubitorum, & decem latitudo, aptissimam menti ingerat ἀναλογίαν pro quadratis; nam in cylindricis voluminibus, longe minor, atque arctior fuisset diameter; imo satis dubito, quin teretibus corporibus probe quadret vox *latitudo;* atque hinc etiam noscres Zachariam vidisse librum polyptychum, cum meminerit *latitudinis*. Demum cl. Mazochius pro Hebræorum convolutis libris affert locum 1. Machab. 3. 48. aitque: *Celebris est istiusmodi voluminum mentio, ubi dicitur, & expanderunt* (ἐξεπέτασαν) *libros legis, quæ locutio est* τῶν εἱλημάτων *peculiaris:* verum ajo πετάζειν dici etiam de quavis re bipatenti, uti de januis, Hom. Il. φ. v. 531. Πεπταμένας ἐν χερσὶ πύλας ἔχετ', εἰσόκε λαοὶ Ἔλθωσι προτὶ ἄστυ. Et ibid. v. 537. Οἱ δ' ἄνεσάν τε πύλας, καὶ ἀπῶσαν ὀχῆας, Αἱ δὲ πετασθεῖσαι πύξαν φάος. Imo & in compositis Il. μ. v. 121. Εὗρ' ἐπικεκλιμένας σανίδας, καὶ μακρὸν ὀχῆα, Ἀλλ' ἀναπεπταμένας ἔχον ἀνέρες.

ρες. Cum vir eruditiſſimus fateatur σανίδας accipi etiam pro librorum quadratorum paginis, ἐξεπέτασαν in Machab. facile detorqueri poteſt ad libros πολυπτύχους, nihilque prorſus hinc evincit, ut Hebræos cylindrica volumina habuiſſe quis credat.

Verum redeundum mihi eſt ad ῥῆσιν מגלה, quam omnes interpretes, quotquot legi doctiſſimos, accipiunt pro in ſemet convoluto volumine, compulſi ſane ab Maſorethārum etymo, qui ab גלל, *volvit*, extorquent, cum, licet ab hoc verbo pullulet, quadrangulum procul dubio eſſe potuerit; etenim etiam libri noſtrates τετράγωνοι volvuntur, dum legimus, uti paullo ante oſtenſum eſt. Verum probe conjici poteſt vocem מגלה eſſe Hebræis peregrinam, quam in longa Babylonici ſervitii intercapedine didicere; cujus rei argumento eſt, illam inſcriptam perlegi in unis ſanctis libris, qui poſt eam captivitatem exarati ſunt; nam antehac vox dumtaxat ספר pro *libris* ſollemnis habebatur, ſicuti Græcis externa eſt & ἀλλόφυλος vox βίβλος & βιβλίον, imo neque antiquiſſima, ut fatetur Mazochius, *Haud diu ante Alexandri M. tempora* (βίβλος) *uſurpari cœpta*. Perſicis vocabulis ſanctos libros inibi gentium ſcriptos ſcatere attentius legenti patet: &, ut brevis ſim, ῥῆσιν פורא, *ſors* Eſter 3. v. 7. Perſicam eſſe vel ex Buxtorfio noſcitas. Neque apponas pſalmum 39. 11. nam & ejus auctor, & ætas a bonis interpretibus ignoratur; imo ex ῥήσει מגלה, quæ in eo legitur, certo edico pſalmum tempeſtate ejus captivitatis prophetam ἐν δεῖνα concinuiſſe. Fuiſſe eam vocem alienigenam probat præterea vox ספר adjecta ſtatim τῷ מגלה, & quidem vel ab ipſo pſalmographo, quicumque fuerit, ut vocabulum peregrinum intelligeretur, vel potius cum quis interpres in mundo illeviſſet τὸ ספר pro notione τῷ מגלה, inde conſueto librariorum ſtupore in contextu appoſitum, atque ה in ת converſo pro ratione ſyntaxeως, vel immutato ob parem formam. Firmat hanc bonam conjecturam Jerem. c. 36. ubi pluries legere eſt vocem ſolitariam מגלה, neque additum eſt τὸ ספר, ſi verſ. 2. excipias, ubi utramque vocem vides, ſuffecerat enim ei, qui ῥῆσιν hanc adjecit, ſemel ab initio illinere, quo peregrina intelligeretur. Confugiunt quidam docti interpretes, vid. Synopſ. Crit. ut eam verborum geminationem tueantur, ad Hebrææ linguæ leporem & elegantiam, exemploque utuntur, *petra ſilicis*; ſed contra eſt, cum ejus linguæ deliciæ in Babylonica tyrannide peſſum ivere, atque allatum exemplum nihili eſt, cum reponendum ſit, *ſpecus ſilicis*. Quare ſi abradas adventitium τὸ ספר, ſimplicior ac γνησιωτέρα erit pſalmographi ſententia: neque Latialis interpres vertens, *in capite libri*, & LXX. ἐν κεφαλίδι βιβλίου doctiſſimos quoſque adeo torſiſſent: neque Aquila, & Symmachus εἴλημα, *librum in ſemet convolutum*, reddidiſſent; verum de voce εἴλημα plurima inſerne. Calmeti adnotationem in hunc verſ. ejus pſ. piget me apponere, licet plurimum ipſe eam commendet; fruſtra enim quæritur, quidnam ſit *caput libri*, namque male verſa ſunt, ἐν κεφαλίδι βιβλίου, Hebræa verba,

מגלה

Digitized by Google

מגלת ספר, cum κατὰ λέξιν dicendum fuiſſet βιβλίον βιβλίᾳ, quæ ridicula eſt τωτολογία· expungenda igitur ſecunda vox ספר, quæ ab altera manu eſt, atque ad incitas cogit interpretes, vel ad quid μυσηρωδες.

III. Ut autem ne dubites, quin apud Hebræos volumina quadrangula fabrefierent, habes ex Luc. in Evang. ajente cap. 4. v. 17. porrectum fuiſſe Chriſto ſervatori librum (βιβλίον,) quem cum evolviſſet (ἀναπτύσσας,) ideſt cum multas pagellas verſaſſet, *invenit locum* (Iſaiæ,) *in quo ſcriptum erat: ſpiritus Domini ſuper me, &c.* εὗρε τόπον (Ησαΐᾳ,) ὃ ἦν γεγραμμένον, πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμέ, κ.τ.λ. Neque opponas fieri potuiſſe, ut illud βιβλίον teres fuerit; contra enim eſt ῥῆμα ipſum ἀναπτύσσω, quod ad libros bipatentes ſpectare norunt omnes, atque inde habemus voces ipſas πολύπτυχα, δίπτυχα, κ.τ.λ. Idipſum firmat Evangeliſta v. 20. ibid. idem verbum illinens: καὶ πτύσσας τὸ βιβλίον ἀποδὺς τῷ ὑπηρέτῃ ἐκάθισε, *claudenſque librum tradidit miniſtro, & ſedit.* Quanquam autem apertiſſime teneas ex hoc Lucæ κειμένῳ Hebræorum volumina fuiſſe polyptycha; tamen, quotquot legi viros doctiſſimos, illud, veluti ſi una conjuraſſent, pro tereti, ſive cylindrico interpretati ſunt; porro non eo quod verba penſitarunt, ſed quia ita pater, avunculus, & maternus avus dixerat. Adde Evangeliſtas adeo κυρίως locutos, ut, quando libri evolvendi eſſent, ut legerentur, uſi ſint verbo ἀναπτύσσειν, e contrario, ſi ſolummodo, atque ἁπλῶς aperiendi, nulla eos legendi ratione habita, τὸ ἀνοίγειν adhibuerint; quod adeo verum dicas, ut omni cap. 8. & 9. Apocal. ἀνοίγειν ſexcenties reperire ſit, ubi dumtaxat de libri apertione ſeptenis ſignis concluſi, non autem de eo lectitando ſermo eſt. Et ſane nulluſdum de teretibus libris dixerit ἀνοίγειν, teſte ipſo Mazochio in Dipt. Quir. p. 37. quorum proprium eſſe ait ἐκπετάννυμι, *Ac celebris eſt* 1. *Mach.* 3. 48. *iſtiuſmodi voluminum mentio, ubi dicitur, Et expanderunt* (ἐξεπέτασαν) *libros legis, quæ locutio eſt* τῶν εἰλημάτων *peculiaris*. Demum rem omnino firmare gratulor locum ejuſdem Apoc. cap. 10. v. 8. ubi Angelus Joanni librum ἠνεῳγμένον, *apertum*, tradit, ut illum devoret; ſane ſi de tereti volumine hic ageretur, neque hoc ῥήματι uſus eſſet Evangeliſta, neque concipi poſſet, quo pacto id genus librorum circumvolutorum in ſemet, (qui aperti, ſive evoluti longiſſimum ſpatium implerent,) unius hominis manibus ἠνεῳγμένοι prehendi poſſent: & gaudeo perſpicaciores eſſe pictores; etenim quotquot id myſterium Apocalypſeos coloribus finxerunt, quadrangulum volumen in Joannis manibus appoſuerunt, quam doctiſſimos quoſque interpretes, qui etiam hic pro cylindrico libello dejerant.

Hinc autem lux eſt Ezechieli eadem prorſus vaticinanti c. 2. v. 9. ac Joannes: *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit coram me, qui erat ſcriptus intus, & foris, & ſcripta erant in eo lamentationes, carmen, & væ;* etenim ſi liber apertus Prophetæ oſtenditur, haud aliter fingi poteſt, quam bipatens, & qua-

Digitized by Google

quadrangulus, uti dictum est de illo Apocalypseos. Neque te turbet Latiaris interpres in voce *involutus*, namque ea in Hebræo κειμένῳ est מגלה, quæ ῥῆσις cum ei tenebricosa esset, apposuit, *involutus*; at contra in psalmo, ut paullo superne legere est, vertit *in capite*, adeo eum torsit ea vox, ut diversissime redderet; ῥῆμα *expandit*, vertisset melius *aperuit*, nam Hebr. est פרש, vox multiplicis sane notionis, nec non etiam *aperire; expandere* autem dicas de verbo פתח toties in sanctis libris repetitum, & unde ἀμέτρως Græci traxere πετάω. Si vero hic liber audiat, *scriptus intus, & foris*, uti etiam in Apocal. c. 5. v. 1. ne cogites de teretibus voluminibus, verum de Hebræo ἰδιωτισμῷ, sive potius ἐμφάσει, nim. ut scias illum longissima scriptura, atque ab initio ad finem usque exaratum; vox enim פנים vel tiro ἑβραΐζων novit valere etiam *a principio*, & אחור *ad finem*, & miror non advertisse interpretes, quod pronum erat; quem dicendi modum Latinos imitatos nunc primum nosco, qui, ut carperent malos Scriptores, eo usi sunt, ita Juven. sat. 1. v. 5. ....*Summi pleni jam margine libri Scriptus, & in tergo, nec dum finitus Orestes*; vides igitur derideri hanc tragœdiam ineptissimi poetæ, utpote & malam, & æternam, scriptamque scil. a *summo libro, & in tergo*, nim. ad postremas pagellas, nec adhuc ad finem vergentem: ea sane est satyrici mens Hebræo more loquentis; atque ipsa vox *postremus* educitur ab *post*, quod peræque est, ac *a tergo*. Quidquid adnotatum est ab interpretibus, vel alienum omnino est, vel e medio arcessitum. Vides igitur, ut omnia bene collineent, nisi libri, quos & Prophetæ, & Evangelistæ meminere, bipatentes fuerint, eorum verba tenebricosa esse, & multiplici difficultate implexa.

Operæ nunc pretium esset lucem afferre verbis Apocalyps. c. *6.* v. 14. *Et cælum recessit sicut liber involutus, &c.* atque Isaiæ 34. 4. quæ eodem vergunt: *Et complicabuntur, sicut liber cæli*, quæ mihi contra teretes libros disputanti potenter adversa objicere quis posset: verum mox pag. 236. cum de Græcorum voluminibus sermo sit, eorum verborum sententiam antehac ignotam aperiam, ostendamque de libris inibi ne cogitasse quidem Joannem, & Isaiam, & interpretes eorum mentem non adsecutos.

His διὰ βραχέων animadversis, ne cures quæcumque tot viri doctissimi illevere, Hebræos scil. in involutis membranis ad longissimum spatium simul assutis, vel adglutinatis scriptitasse; quadrangulos vero libros prorsus ignorasse; ἀνταξίως ἄλλων sit Christianus Schoettgenius in histor. librarior. & bibliopolar. cap. 1. §. 10. qui paucis ante annis scripserat, vid. Thes. Polen. to. 3. p. 838. & nihil dubius isthæc apposuit: *De conditione librorum pauciſſima adhuc supersunt dicenda: Hebræorum veteres plerumque inscripserunt membranis pergamenis, quas deinde convolvebant; quam consuetudinem & alii habebant populi . . . Hujus rei luculentum invenies testimonium apud Vallichium, qui de codice olim G. D. Mayeri, nunc vero in bibliotheca Paullina Lipsiensi, &c.*

Ad-

Digitized by Google

Advertas rogo, quam ἄλογος sit Schoettgenius, qui, ut probet veterrimos Hebræos abusos esse voluminibus teretibus, provocat ad ea, quæ nequissimi sæculi sunt, atque ab quingentis abhinc annis ab Rabbinis compacta, edicitque *luculentum testimonium*; & parum abfuit, quin nos ad Hebræorum nostri ævi βιβλία cylindrica ablegasset. Id unum scio in magni nominis bibliothecis antiquiores libros Hebræos polyptychos servari, & si qui sunt teretes, nuperrime confictos pronunties. Hæc de Hebræorum libris, quos constat cylindricos non fuisse, uti contra omnium mentem interpretum stabilisse reor. P. Calmeti diatribam ante Exodum appositam de Hebræorum libris, doctam licet, parum curamus, cum & vulgari opinioni adstipuletur, & quæ ab aliis recocta toties, colligat; quin pro voluminum Hebræorum forma, ornatuque, Græcorum, ac Latinorum exempla corroget, misceatque susque deque omnia.

IV. Age Græcorum voluminum figuram invisamus, qui, utpote præ Hebræis in scribendo luculentiores sunt, non tantum negotii facessunt; cumque in rebus suis elegantissimi, quadratos solummodo libros scriptioni, & lectioni opportunissimos usurparunt, de barbara cylindricorum forma minime cogitarunt; in iisque ego lectitandis ne privam quidem vocem certam, vel saltem dubiam vestigare potis fui, quæ ad convolutos libros detorqueri posset. Et sane sic statuo ab universis Græcanicis Scriptoribus librorum vocabula pro quadratis cusa nos legere, quæ curate servavit Pollux lib. 10. cap. 14. segm. 57. βιβλία, γραμματεῖα, γραμματίδια, δέλτοι, δελτία, γραμματίδιον δίπυρον, τρίπτυχον, ἢ πλειόνων πτυχῶν· & quædam alia ὑποκοριστικά addit lib. 7. cap. 33. segm. 210. βίβλοι, βιβλάριον, βιβλιδάριον, neque ullam ῥῆτιν apponit, quæ parum suspicionis inducat de circumvolutis membranis; id quod unumquemque virum, licet non egregie cordatum, ab illa vulgari & plebeja sententia dimoveret, fuisse olim id genus κυλινδροειδῶν voluminum; porro si exstassent, Grammaticus iste nihil sane oblivioſus unam saltem Onomastico suo illevisset; præsertim cum in ambobus laudatis locis supellectilem omnem librariam distincte, atque attente connumeret; illum neque latuit πύξιον, & πυξίδιον, *codicilli*, vid. lib. 4. cap. 2. fragm. 18. Haud dubites de Scriptoribus, qui Pollucem præcessere, etenim quotquot attente consului, consului autem non paucos, ne una quidem vocula mihi oblata est, quæ cylindricis libris responderet; ita ut, si nomen Græci non habuere, rem ipsam minime exstitisse necesse sit.

Et sane omnium veterrimum librum, cujus meminere veteres, minime teretem fuisse, sed τετράγωνον, aperte docet Anonymus περὶ ἀπίστων, vid. opusc. mythol. pag. 86. dum adstruit vellus apud Colchos asservatum revera non fuisse vellus aureum, quod est poetarum ludicrum, sed librum in pellibus scriptum complectentem, qua ratione διὰ χυμείας aurum conficiendum esset; quare merito apud illos *aureus* audiebat, ἀλλὰ βιβλίον ἐν δέρμασι γεγραμμένον· neque dubites, quin fuerit multiplex, non vero cylindri-

Digitized by Google

lindricus, cum & βιβλίον vocet, & multis pellibus conſtitiſſe dicat. Vides igitur vel hominum antiquiſſimos & caſcos ab rotundo, & illiberali voluminum χήμαπ abhorruiſſe. Optarem autem, ut Grajorum Scriptorum princeps Homerus de libris quid ceciniſſet, quo eorum formam veterrimam noſcitaremus; verum licet verſus illi, de quibus ſat multa pag. 50. & fortaſſe non pœnitenda commentati ſumus, Πόρεν δ' ὄγε σήματα λυγρὰ Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά, Il. ζ. v. 168. vel ψαδομενικοί ſint, vel longe ſecus, ac librum præſeferant, tamen doctos interpretes in iis verbis quadrangulum & πολύπτυχον vidiſſe miratus ſum; πασῶν ἀντάξιον ἄλλων ſufficiat Mazochius in dipt. Quir. p. 32. *Mira prorſus pugillarium antiquitas ex Homero oſtenditur, eaque longe major, quam convolutorum librorum;* quanquam vir doctiſs. pag. ſequenti edicat *circa Homeri ævum illos ex tabellis compactos, quod charta defuerit, nondum exſiſtente Ægypto, ſive Delta, vel ſi ſemper fuerit ea regio, chartarum convolutarum uſum ante Alexandrum cetero orbi ignotum fuiſſe;* ejus opinionis paullo fidentius illitæ vadem laudat Plinium. Ceterum ab utriſque expoſtularem, qui fieri potuit, ſi Homero papyrus defuiſſet, ut æternæ Ilias, & Odyſſea in tabellis inciſæ per Græciam omnem volitarent, ac facile univerſi ſecum comportarent? certe quidem bina divini vatis volumina in enormem molem increviſſent, ſi ceratas fuiſſe eas tabellas etiam dicas.

Verum non tam præceps clariſſimus Mazochius fidem Plinio præſtare debuiſſet, quam in multis ſubleſtam traducunt univerſi; nam quis unquam dubitavit, quin Ægyptus, ſive Delta remotiſſima temporum vetuſtate exſtiterit, & papyrus ipſa, cum in Exod. 2. 5. legas, *Deſcendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine* (Nilo ſcil.) . . . *quæ cum vidiſſet fiſcellam in papyrione?* Laudandus quidem Hieronymus, qui vocem בסוף vertit *in papyrione*, non autem *in junceto;* noverat enim Nilum eo frutice abundaſſe. Præterea falſum dicas ante Alexandrum chartas cetero orbi præter Ægyptum ignotas fuiſſe, cum Hebræos, Græcoſque longiſſima ante hunc regem tempeſtate atramento, calamis, chartiſque uſos, teſtimoniis vehementibus prolatis, ſuperioribus capp. oſtenderim. Quare, iſthæc ſi poſthabeam, temporis, & chartæ uſuram lucrifaciam: & ut verum fatear, ſatis incocta atque ἀσύστατα ſunt, quæ Plinius hic narrat. Ut ſermo redeat ad Homerum, affatim mihi eſt, teſte divite Mazochio, ejus poetæ, imo Trojanæ calamitatis ævo in more fuiſſe libros quadratos, dum vir ὁ πάνυ ibid. clare pronuntiat: *Non eſt ergo dubitandum, quin libri cylindrici immenſo temporum intervallo recentiores libris bipatentibus fuerint;* atque ea in re me tanto viro contrarium habes, qui pernego, Græcos id genus libros convolutos, ſive teretes unquam habuiſſe, ſed dumtaxat τετραγώνους · idque ex ipſis Mazochii ſententia eruo; nam ſi Græci antiquiſſimi quadrangula volumina initio compegerint, quæ & lectioni, & ſcriptioni longe aptiora ſunt,

Digitized by Google

quam teretia, ſtultos dicas homines inferioris ætatis, qui cylindrica fabricari occœperint uſui infeſtiſſima, ac barbariei plena. Præterea advertat vir ſummus, ſi Græci teretem voluminum formam habuiſſent, fore ut bacilla, ceteraſque partes ſingulas meminiſſent, de quibus omnino ſilent. Doctiſs. Mazochius ibidem, ἀσ-ραλίσκ& vocem librariam inficeti ſæculi, & tenebricoſæ διαγνώσεως convolutorum librorum nomen eſſe edicit; verum an hujus viri quæſitiſſimæ de ἀσ-ραλίσκῳ animadverſiones ſibi conſtent, ignoro.

v. Scio quotquot de veterum ſcribendi ratione commentarios edidere, ut probent Græcos teretes libros in quotidiano uſu poſuiſſe, opponere vocem εἴλημα, *volumen*: quæ utpote deteriore ævo conficta, nihiſi habenda eſt, quando ſermo mihi eſt de bonis Græcis, bonaque tempeſtate florentibus: neque credas velim, eo quod inducta ſit ῥῆσις hæc εἴλημα, præpoſteros Græcos cylindrica volumina in ſcribendo adhibuiſſe, verum ſolummodo hoc vocabulum cuderunt, ut ad Latiale τὸ *volumen* Græcanicum quid æquipararent; ſcimus enim ſequiores Græcos ῥωμαΐζειν vel quoad ipſa verba, vel quoad verborum ſententiam. Sane ſi cultæ ætatis Scriptores volumina teretia habuiſſent, ſat multa eorundem vocabula, uti eſt fœcunda ejus linguæ indoles, poſteris commendaſſent; qua de re ſi nihil hujus nomenclaturæ in tot eorum voluminibus invenire ſit, rem ipſam exſtitiſſe jure neges. Neque curandam reor vocem κεφαλὶς ſeptuaginta interpretum, quam eruditiſſimi quique librum in ſemet convolutum adnotare edicunt, quibuſcum cl. Mazochius dejerat ibid. pag. 35. ait enim: κεφαλὶς, & κεφάλαιον *nomina ſunt librorum in ſemet convolutorum*: cum enim ſit vocabulum obſcuriſſimæ notionis, cur libros Seniores illi κεφαλίδας appellarint, præſtat potius ignorantiam fateri, quam leves hariolationes aggerere, vel ſibi contraria proferre, uti Fullerus in Miſcellan. lib. 2. cap. 10. qui non a κεφαλὴ deducit, ſed ab Hebr. כפל *duplicavit*, ita ut κεφαλὶς juxta ſit, ac διπλώμενον, *duplicatum, complicatum*, quod vides fuiſſe proprium librorum quadratorum; inde Fullerus ſui oblitus τὸ כפל ait ſpectare ad in ſe convolutos. Verum paullo ante pag. 229. pauca adnotavi de voce κεφαλὶς, fortaſſe non contemnenda.

Scio etiam me urgeri odii plena difficultate, ac moleſtia, cum in Æſchinis ep. 4. deſcribatur Athenienſes ſtatuam erexiſſe Pindaro de ſe ipſis optime merito volumen teres in genibus habenti: Καθέμεν& ἐνδύματι, ἡ λύρᾳ ὁ Πίνδαρ&, διάδημα ἔχων, ἡ ἐπὶ τῶν γονάτων ἀνειλιγμένον βιβλίον, *ſedens cum veſte, & lyra Pindarus, diadema gerens, & in genibus convolutum* (non vero *complicatum*, ut vertit Wolfius, & Junius de pict. vet. pag. 74.) *libellum habens*. Verum quovis pignore decernam locum affectum eſſe, cum jam oſtenſum ſit florentiſſimi ævi Scriptores Græcos id genus libros ἀνειλιγμένους penitus ignoraſſe; quare veram putamque vocem in hanc epiſtolam reſtitue ἀνεῳγμένον, ſeu, ut veteres ſcribebant, ἀνεωιγμένον adſcripto jota, non ſubſcripto, ideſt *apertum*, quam ſtupor librarii inſipien-

ſipientis ſæculi, utpote paullo obſcuriorem, in magis tritam, & Latinorum *volumini* reſpondentem ἀνειλιγμένον detorſit. Neque credas me hariolationes venditare, licet enim Græcam vocem confingere oblitus ſit Ingewaldus Elingius in Hiſt. ling. Gr. pag. 107. epiſtolam Æſchinis laudans, vertit tamen, *in genibus habens librum apertum*. Præterea eadem bina verba reperies in Apocal. c. 10. v. 8. Λάβε βιβλαρίδιον τὸ ἠνεῳγμένον, facile reperies exempla, cum, quod verum eſt, detectum ſit. Ceterum ſi quis animi mente admodum pertinax pro τῷ ἀνειλιγμένον jurare velit, reponam continuo tum Demoſthenis, tum Æſchinis epiſtolas plenam dubii rem eſſe γνησίας audire, atque potius dicendum eſſe ſatis inferioris ævi rhetoris fœtum; idque vel ex eo conjicies, quod vocabulo abuſus ſit, quod ἴδιον Latinorum eſſe ſcimus, qui libros ſuos ab *volvendo* vocitabant: imo epiſtolas illas curate quis perpendens, facile noverit elumbes eſſe, & Demoſthenea, atque Æſchinea vi, & lucerna deſtitutas; ſicuti reliquas veterum Scriptorum epiſtolas νοθείας damnandas ratum habemus.

Neque me frangit auctoritas Laertii de libris Epicuri diſputantis, quos aperte κυλίνδρους appellat: Γέγονε δὲ πολυγραφώτατος Ἐπίκουρος, πάντας ἐπιβαλλόμενος πλήθει βιβλίων. Κύλινδροι μὲν γὰρ πρὸς τοὺς τριακοσίους εἰσί· cum ſtatim ex ſententiæ contextu dignoſces verba, Κύλινδροι μὲν γὰρ πρὸς τοὺς τριακοσίους εἰσί, ab Scholiaſte ῥωμαΐζοντι adjecta, quem etiam fefellit vox Romana *volumen*, quæ *liber* notat; præſertim cum nuſquam Græcorum Scriptorum κύλινδρος in ea notione reperies, neque iterum in Laertio ſe offert; & ipſe enormis librorum numerus Græculorum medii ævi jactantiam olet, & mecum conjurat Menagius in adnotation. pag. 255. & ſeq. adſerens *plenum eſſe Laertium additamentorum*; & pag. 253. queritur *plenum etiam eſſe idiotiſmis, ſive plebejo dicendi genere, tam in phraſi, quam in verbis*. Quod jam ante obſervatum eſt ab Salmaſio de ling. Helleniſt. pag. 107. Verum etiamſi dem libros κυλίνδρους dixiſſe Laertium, neque a posteriori manu verba illa adpoſita, non hinc colliges Græcorum chartas in voluminum ſcapum feliciori ævo conglutinatas, cum lis ſit de Laertii ætate, ita ut ſub Conſtantino imp. victitaſſe credat H. Dodwellus diſſ. de ætate Pythag. §. 22. pag. 186. teſtemque vocat Eunapium; attamen animi mens mihi verba, de quibus contendo, ſuppoſititia eſſe uſque ſuggerit.

VI. Reliquum eſt, ut Pauſaniæ loco lib. 4. c. 26. p. 343. qui mihi hunc ſcriptorem ſæpe ad delicias lectitanti ſe obtulit, quique ſpecie tenus pro teretibus libris apprime facere videtur, lucem afferam: Ὁ δὲ (Ἐπαμινώνδας) θύσας, καὶ ἐξάμενος τῷ πεφηνότι ὀνείρατι ἤνοιγε τὴν ὑδρίαν, ἀνοίξας δὲ εὗρε κασσίτερον ἐλαλασμένον ἐς τὸ λεπτότατον· ἐπείλυκτο δὲ ὥσπερ τὰ βιβλία· ἐνταῦθα τῶν μεγάλων Θεῶν πλετή, quæ verba contra fidem verſa lego: *Ille* (Epaminondas) *ſacris operatus, votiſque Deo nuncupatis, a quo ſomnium exſtitiſſet, vaſculum aperuit: in eo volumen repertum ex albo plumbo in tenuiſſimas laminas ſparſo, libri forma, in quo ſcripta erant magna-*

Digitized by Google

rum Dearum initia. Et quidem falsum est repertum fuisse *volumen in tenuissimas laminas ex plumbo sparso* (τὸ *sparso* rus, & stivam olet,) cum Pausanias luculenter adstruat fuisse *stannum tenuissime extensum*, κατατέτρον ἐληλασμένον ἐς τὸ λεπτότατον, quod *in semet convolutum erat*, ἐπείλυκτο· interpres de suo iratis Musis addidit, *volumen stanneum in tenues laminas sparsum*. Missa tamen hac nullius frugi interpretatione, scio me potie verbis Pausaniæ urgeri Græcos bonæ ætatis adhibuisse libros cylindricos, cum luce clarius eorundem forma describatur, ἐλείλυκτο δὲ ὥσπερ βιβλία, quæ stannea lamella *convoluta erat*, *tanquam libelli*. Fateor initio me parumper commotum ab hoc Pausaniæ κειμένῳ, inde quia, quod verum est, obtendi potest, non autem extingui, ope ejus Scriptoris adverti firmari potius sententiam contra teretes libros, quam everti. Sane vocem βιβλία refice βυβλία, unius litterulæ ejusdem soni mutatione, res mihi erit integra: notum enim est βύβλος & βυβλίον esse *chartam*, *papyrum*; βίβλος contra & βιβλίον, *liber*, *libellus*; oscitantes librarii more suo facile ea inverterunt, hinc sæpe legimus in veterum scriptis, quæ ipsi minime cogitarunt. Quod autem βύβλος sit *membrana*, & *papyrus*, consule Stephanum; mihi satis sit Pollux, qui ambas eas voces apprime distinguit: vid. lib. 7. frag. 109. ubi librorum vocabula enumerat, & alibi passim: contra vero cum ea vox ad libros non pertineat, βύβλος scribit, lib. 6. frag. 82. lib. 9. 193. lib. 10. 173. Quis hic mecum non mirabitur Xylandrum, Sylburgium, Kuhnium verba Pausaniæ tam inconcinne transfudisse, neque librariorum σφάλμα puerile advertisse; & Godoynum to. 1. p. 383. qui nuper hunc Gallice vertit, contra fidem ex una plures lamellas fecisse? Et merito conquerar de Alberto Græce scientissimo, qui easdem voces in locupletissimis suis adnotationibus, sive potius dicas commentarios in Hesychium inter voces βίβλος, & βύβλος nihil distinxisse. Hinc bene concludam Pausaniam enarrasse lamellam stanneam, ut in arctam hydriam immitti posset, convolvi oportuisse instar membranæ, seu chartæ: nemo autem unus negaturus est veteres in formam teretem in more habuisse chartulam & papyrum involvendi; pernego autem ipse dumtaxat, quæ communis sententia est, volumina illa adhibuisse sexcentis membranis adglutinatis simul, aut assutis, & circa asserem advolutis constantia, in quibus vel Homeri Ilias, vel Maronis Æneis inscripta legeretur; uti hodiedum cylindrice quamlibet plagulam & membranam invertimus, grandibus plurium chartarum scriptarum involucris caremus.

Locus hic Pausaniæ, quem sanavimus, & in suum nitorem restituimus, lucem mutuatur verbis Jo. Evangelistæ Apoc. c. 6. v. 14. Καὶ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη, ὡς βιβλίον εἰλισσόμενον· καὶ πᾶν ὄρος, καὶ νῆσος ἐκ τῶν τόπων αὐτῶν ἐκινήθησαν, quod ita transfusum legimus: *Et cælum recessit*, *sicut liber involutus*; & *omnis mons*, & *insulæ de locis suis motæ sunt*. Jubeo te hic etiam illud ὡς βιβλίον confingere ὡς βυβλίον, *tanquam membrana*, *tanquam pellis*, iisdem rationibus motum, quæ nuper in Pausaniæ

κειμέ-

κειμένῳ allatæ ſunt; & ne dubites, quin importuna ſit in hoc Apocalypſeos vox *liber*, in mentem tibi veniant verba pſ. 103. v. 2. *Extendens cælum ſicut pellem*, & licet ῥῆσις Hebræa יריעה valeat *aulæum* ſecundum quoſdam, attamen Septuaginta viri verterunt appoſitius δέῤῥιν, *pellem*: idem autem apud Hebræos eſſe *pellis*, ac *papyrus*, ſive βύβλος didici ex Judæorum doctiſſimis, qui edicunt ערות eſſe *papyros*, quæ vox fruticat quidem ab עור *cutis*, *pellis*. Non igitur Evangeliſta teretes libros meminit, ſed membranam, papyrum, aut pellem, quæ in ſemet convolvitur, quam cælo recedenti, ac ſe commoventi comparat, atque ſecundum Hebræum ἰδιωτισμὸν loquitur. Cur autem Hebræi cælum, tanquam pellem, telluri imminere oſcitanter crediderint, penſi mei non eſt inquirere, adeantur interpretes de eorumdem mundi *ſyſtemate*. Demum, ut rem melius firmem, & hunc cæli ambitum *pellem*, & *membranam* Hebræos vocitaſſe ratum habeas, fundum etiam do Iſaiam cap. 34. 4. *Et tabeſcet omnis malitia cælorum*, & *complicabuntur*, *ſicut* ספר *cæli*: ספר hic non juxta eſt, ac *liber*, *volumen*, ſed *membrana*, *pellis*, *papyrus*, ut Θεοπνευστοὶ Scriptores ſibi conſtent, qui ubique cælum *pelli*, non *volumini* æquiparant; & vel tirones norunt, non ſemel in ſanctis libris ספר pro ſimplici *membrana*, ſeu *epiſtola* accipi, vid. lib. 3. Reg. c. 21. v. 8. 9. 10. Hæc ſatis pro illuſtranda Evangeliſtæ ſententia, quæ nihil ſane evincit pro teretium voluminum defenſoribus, quin citius adverſatur; & miror doctiſſimos quoſque interpretes hæc ſacrorum librorum loca ad cylindrica volumina enixe detorſiſſe.

VII. Paucos quoſdam Græcorum locos ſpecie tenus mihi obſtantes excuſere poſſem, verum ex ſtatutis a me principiis cito quis, & planiſſime ex ſe ipſe eos expediet. Interea mea intereſt præſtare, cujuſnam fuerint formæ Græcorum libri, ſi cylindricis eoſdem omnino caruiſſe oſtendere adniſus ſim; amamus enim, inficetis rejectis opinionibus, addiſcere, quæ veræ ſint, ac teſtatiſſimæ; porro edico ejuſdem exſtitiſſe quadratæ ſpeciei, ac noſtrates, eodemque ornatu, imo etiam elegantiori floruiſſe; inſtar omnium mihi ſit Luciani locus ditiſſimus, qui adverſus indoct. p. 113. to. 3. edit. Reitzii eos graphice deſcribit: Τίνα γὰρ ἐλπίδα ἢ αὐτὸς ἔχων εἰς τὰ βιβλία, ἢ ἀνελίττεις (al. ἀνατυλίττεις) ἀεὶ, ἢ διακολλᾷς, ἢ περικόπτεις, ἢ ἀλείφεις τῷ κρόκῳ, ἢ τῇ κέδρῳ, ἢ διφθέρας περιβάλλεις, ἢ ὀμφαλὰς ἐντίθης, ὡς δή τι ἀπολαύσων αὐτῶν, quæ ita verto, Reitzii interpretatione poſthabita: *Quamnam enim ſpem ponens ipſe in libris, quos verſas ſemper, & conglutinas, & circumcirca reſecas, coloraſque croco, & cedro illinis, pelle circumtegis, atque umbilicos imponis æque, ac ab illis fructum aliquem percepturus ſis*. Vides igitur Græcos veteres eadem in aptandis libris feciſſe, quæ nos, atque ea omnia ſolis quadratis voluminibus, non cylindricis convenire, præſertim illud περικόπτειν, *circumcidere*, & διφθέρας περιβάλλειν, *pellibus cooperire*, &c. quod convolutis aptari poſſe nullus dixerit. Verum hæc omnia per partes

infer-

Digitized by Google

inferne, cum de Latinorum libris, ſive voluminibus dicendum ſit, multis exponam, ubi etiam Ariſtotelis verba illinam pag. 247. queis quadranguli libri γραφικῶς deſcribuntur. Animadvertendum hic dumtaxat volo, ſi poſthac in Græcis Scriptoribus aliquoties offendas τὸ ἀνειλεῖν βιβλία, γραμματίδια, κ. τ. λ. ne cogites de voluminibus in gyrum actis, ſed de quadratis, quæ quidem ἀνειλοῦνται, *verſantur*, ideſt eorum membranas cardini adglutinatas volvimus. Demum ſciendum eſt me in tot Græcanicorum Scriptorum numero ſcrutari non ſatis fuiſſe, qui partes, ac ornamenta librorum in ſemet convolutorum deſcripſerit; quo enim pacto eas meminerint, quando id genus corporis cylindrici a malis interpretibus confictum eſt? Et Lucianus ipſe laudato loco adv. indoct. ſexcenties meminit libros, quos ſemper βιβλία vocat, & ne verbum quidem ei eſt de teretibus voluminibus; ſi tibi otii eſt conſulas Galen. edit. Chart. to. 1. qui a p. 35. ad 52. ſatis diſtincte libros univerſos a ſe confectos deſcribit, (ſunt autem eo numero, ut vix fidem præſtes,) uno autem nomine omnes compellat, βιβλία nimirum; neque unquam reperies vel εἴλημα, vel vocem, quæ ad teretia volumina detorqueri poſſit; ut antiquiores taceam Platonem, Ariſtotelem, &c. qui univerſi eadem ῥήσει libros honeſtarunt.

Pro re nata, antequam a Græcorum librorum forma diſcedam, locum Luciani obſcurum ad illuſtrandum σωτόμως aggredior, vide ejus Εἰκόνας circa med. Βιβλίον ἐν τοῖν χαιροῖν εἶχεν ἐς δύο σωειλημμένον, ᾗ ἐώκει τὸ μέν τοι ἀναγινώσκεσθαι, τόδε ἤδη ἀνεγνωκέναι, quæ ita verſa ſunt: *Librum habebat præ manibus in duas partes complicatum, quarum alteram legere, alteram legiſſe videbatur;* cito ſuccenſendum mihi eſt tot doctis interpretibus, quod tam improvide, & puerili more Latialia verba Græco κειμένῳ adjecta minime refecerint: etenim, quænam ſententia ineſt in hiſce, *Librum in duas partes complicatum?* ſiquidem *liber complicatus* non binas, ſed unam partem præſefert; contra vero *explicatus* duas conſtituit. Præterea quis ferat hos viros Græcanice doctos confudiſſe σωειλημμένον, quod a συλλαβάνειν eſt, *prehendere*, cum σωειλημένον, aut σωειλυμένον, *convolutum, complicatum?* Ne cogites igitur Lucianum hic de tereti libro locutum; verum ſophiſtæ mens eſt librum illum fuiſſe bipatentem, cujus una pars ab ſiniſtra manu prehenſa lecta jam videbatur, pars altera, quam dextera regebat, adhuc erat evolvenda; ita ut Lucianus modum ſollemnem, quo grandiora quadrangula volumina aperta tenemus, deſcribit. Si cupias intueri ejus rei imaginem ſimillimam, adeas ſcenicas perſonas Ficoronii pag. 192. ubi legere eſt: *La prima figura è d'un vecchio ſeminudo all' uſo filoſofico di volto naturale, che ſedendo in profilo tiene colle due mani un libro aperto, &c.* Sane hujus ſenis σχῆμα 75. Luciani verbis multam lucem affert, inibique cernis librum τετράγωνον noſtratibus conſimillimum, ut ovum ovo. Demum pro me omnium quot ſunt, quotque fuere Græce ſcientiſſimus D'Orvillius in Charitone pag. 664. 665. collegit librariorum errata, & interpretum malignitates confundentium voces

ces εἰλημμένῳ, εἰλημένῳ, εἰλυμένος: verum ſummus vir hunc Luciani locum aſſuere oblitum doleo, fortaſſe eruditiſſime, ut ejus erat mos, decoraſſet.

CAPUT II.

Scitu difficillima Latinorum librorum forma; τετράγωνον fuiſſe etiam ex eorumdem ornamentis evincitur.

I. *Latinorum librorum figuram magnis tenebris interpretes circumfudere, & teretem fuiſſe omnes dejeravunt; etiam jureconſultiſſimi; quod falſum oſtenditur, conquiſitis undique argumentis ex veterum ſcalpturis, picturiſque, ex monumentis etiam Herculanenſis cimeliarchii, &c.* II. *Vides præterea Muſæ icunculam cum eleganti quadrato volumine, & calamo. Dica adverſus Trotzium fingentem icunculam cylindricam libri epigrammatum Martialis, quando poeta ipſe τετράγωνον fuiſſe canat. Sponii auctoritas elevatur.* III. *Omnia librorum ornamenta ad quadrangulos ſpectare demonſtratur, ne unum quidem ad in ſemet convolutos. Quid* umbilicus, cornua, *&* frontes. IV. *Reliqua ornamenta mixtim enumerantur;* operimenta *ſcil.* toga, *ſive* ſindon; index, *aut* titulus; lora; unci; color croceus. *Nomina artificum etiam ad quadrangulos libros ſpectant, nim.* malleatores, glutinatores; *hinc Ulpiano lux; & Mazochio reſiſtitur.* V. *Bipatentium voluminum erant auctoris* icunculæ; *veterem* deſecare *pagellam, novamque* adglutinare; *librum ad* angulos rectos circumcidere; *&* dividere per capita. *Quid* macer *&* brevis liber; *Horatius illuſtratur: quid* ſpiſſum *&* denſum *volumen contra Mazochium, alioſque.* VI. Doctores librarii, *qui libros compingere docebant, appellati, contra ac ſentit Reineſius, inſigne ejuſdem σφάλμα de voce* ſtructor. *Litteratum marmor, ubi legitur,* doctor librarius, *enodatius exponitur. Reineſius iterum de Tudertino titulo reprehenditur.* VII. *Cur artifices mechanici nobiliores, quibus* librarios doctores *accenſeas, degerent in* ſacra via. *Quid* tibiarius de ſacra via *contra Ficoronium. Hinc ſcitu pronum, quodnam fuerit opificium* Phrixi librarii de ſacra via. *Trotzius redarguitur legem recitans importunam.* VIII. *Reineſius, & Vandalius, cur in ſaxis ſcalptum ſit* de ſacra via, *præpoſtere intellexere: quare eam Horatius celebrandi in more habuerit.*

I. AGGREDIOR tandem ad Latinorum librorum formam, & quæ revera fuerit, adeo latet, tantiſque intercipitur tenebris, ut unde inceptandum ſit, & quem ordinem ſequi oporteat, aqua mihi hæreat; præterquam quod Scriptorum, atque interpretum inſani copia opprimor, qui vel res ſacras, vel τὰς ἔξω commentariis honeſtarunt; neque prætereundi ſunt juris interpretes ὅτα κόνις, ut lucem Ulpiano l. 52. D. de leg. 3. & Paullo recept. ſent. lib. 3. tit. 6. §. 87. De legat. afferrent; ita ut haud ſcio, an ab majori doctiſſimorum virorum numero res alia excuſſa ſit, imo etiam craſſioribus voluminibus concluſa; quorum ſi vel nomina recenſere in animo ſit, utramque ceram implerem. Itaque omnes veluti agmine facto, pro in ſemet convolutis libris tanquam pro patriis fanis, ac delubris:

pro-

Digitized by Google

propugnarunt, quadrangulos vix, aut ne vix quidem ab eiſdem curatos perlego: & quod mirum mihi ſemper futurum eſt, exempla veterum, quæ clare aperteque ad quadrata volumina ſpectant, ad cylindrica, quæ fictitia ſunt, detorquere adniſos eſſe; itaque cum contra veritatem ab ipſis urgendum perpetuo fuiſſet, in eorum doctis lucubrationibus parum ſane ordinis ac perſpicuitatis inviſes. Quare vereor, ut a me ipſe, quo diſtincte, & cum breviloquentia de re eloquar, impetrare poſſim.

Porro conſilium mihi eſt, quæ dicam, bifariam diſpenſandi, primum, minime Latinarum gentium exſtitiſſe volumina teretia: deinceps exempla, quæ tot decora ingenia pro iis tuendis ageſſere, ad quadratos libros referenda. Sane ſi Græci iiſdem libris cylindricis, ut ſuperne a me præſtitum eſt, caruerint, neque Latinos habuiſſe fateri oportet, cum hi ad Græcorum imitationem proni ad comminiſcendas novas artes tardos & vecordes ſe probarint. Neque id genus librorum priſci, & integri moris, ac ætatis fuiſſe unquam credas, utpote qui ſcribendo, legendoque ſatis moleſtiæ atque negotii faceſſunt, uti rem penſitanti facile patet. Præterea, ſi feliciori ævo aptandi in ea forma volumina patrius mos valuiſſet, uni eorum ſaltem injuria temporis peperciſſet; præſertim cum ἀρχαιόλογοι in cylindricis veteres oratores, philoſophos, &c. ſuas licet prægrandes lucubrationes ſcriptitaſſe conſpirent; contra vero tot bibliothecæ principes quadratæ ſpeciei libros non unos vetuſtiſſimos religioſe ſervant. Adde, vocabula, quæ partibus teres volumen componentibus tribuuntur, dubii plena ſunt; quædam vero carent nomine, uti duo bacilla binis extremitatibus longiſſimæ membranæ convolvendæ appoſita: ficio a quibuſdam appellari *contos*, eo quod *contacia* inſipienti ævo ſunt quædam librorum ſpecies, verum has barbaras voces procul habeo.

Quæ autem te arctius urgeant ad inficetam hanc opinionem exuendam, ſunt ſculpta marmora, & pictæ tabulæ, in iis bene multis videre eſt volumina ad inſtar noſtratium quadrangula vel aperta, vel clauſa, ne unum quidem cylindricæ formæ nobis offerunt, in quo appareant bacillæ, frontes, umbilici, cornua, & id genus nomina: niſi velis cum indoctis *volumina* appellare breves membranas, vel paucis ſpiris involutas, quas in ſaxis ſcalptas, aut in nummis cernimus, aut depictas in parietibus, quæ quidem omnibus carent ornamentis. Ut autem, quæ loquor, certa rataque faciam, teſtes do Regis noſtri ſeptenas circiter Herculanenſes picturas ex millenis, quæ erutæ ſunt, in quibus volupe eſt cernere libros quadratæ formæ, cylindricæ ne unum quidem: exſtare autem fateor membranas duas, treſve in binis tabellis in medio quidem apertas, ubi inſunt ſcripturæ nigricantis quædam ſigna, earum vero extremitates parum in ſe ipſas converſas: unam aut alteram omnino convolutam; neque bacilla, neque umbilicos, neque cornua inſpicies; quem convolvendi membranas morem nos ſiquidem adhuc ſervamus: ſane ſi illa voluminum, ut ita dicam, monſtroſa forma uſi eſſent veteres, ſaltem unum

in

Digitized by Google

in Herculanei, Pompeiorum, & Stabiarum picturis inſpiceremus: quod grande momentum addit, ut ab interpretibus eadem conficta credas. Quoniam autem regiarum picturarum exempla accipere fas non eſt, ſatis ſit marmor ludimagiſtri ſuperne appoſitum pag. 87. ubi ad illius pedes quadrangulum librum, contra vero parvas membranas nullis ornamentis inſignes, & parum in ſemet convolutas vides, unamque adoleſcentior ille manibus evolvit. Exſtant ſexcentæ id genus vetuſtatis reliquiæ ab harum rerum cultoribus collectæ, præſertim ab Montfauconio in Antiq. explan. ubi non unas ſtatuas, vel ſepulchrorum ornamenta cum libris quadrangulis affert, ne unum quidem monumentum cum teretibus; ſi quaſdam membranas breves excipias convolutas, de quibus non pauca paullo inferius cap. ſeq.

II. Præterea ut præclariſſimo anaglypto τετραγώνων librorum formam ſtabiliam, inſpicias hanc Muſæ, ſive cujuſvis mulierculæ imaginem, quam




Romæ repertam ex argilla ann. 1732. refert Ficoronius in lib. de perſon. ſcen. pag. 143. quæ cum ſit artis eximiæ, ſub primis Cæſaribus ſcalptam eſſe oportuit. In ea volumen cernis noſtratibus in unaquaque re ſimillimum, imo & clariſſimam calami figuram, ejuſque aciem. Porro Romanos jam has librorum formas compingendi adſecutos ſtultiſſimos ſalutarem, ſi κυλινδροειδεῖς etiam apparaſſent, ſcriptioni lectionique adverſantiſſimos; quod æque eſſet, ac ſi quis frumento redundans glande veſcatur. Quæ omnia ſi attentius inſpexiſſent eruditiſſimi quique, nequaquam cæco ſtudio commentitiam teretum librorum formam convectaſſent; quos ſane tranſverſos egit & vox

Digitized by Google

ipſa *volumen*, & Hebræorum poſterioris ævi exemplar Moſaicæ legis libros κυλινδρικῶς fabricantium, & Rabbinico, ac ſervili more verborum potius, quam rerum interpretum.

Demum doctiſſimo Chriſtiano Henrico Trotzio iraſcor, qui ſæpe laudato opere pag. 589. in ære incidendum curavit typum in ſe convolutæ longiſſimæ membranæ a ſe confictum, ſingulis ornamentis elegantem, adſcriptis omnium partium nominibus, quo melius inficetam ſententiam ſuſtentaret, atque oculis omnium imponeret; & vir ceteroqui eruditiſſimus, & non unis editis libris clarus dorſo hujus æternæ membranæ, quæ ſpeciem præſtat ligni illius, ubi licia textores involvunt, appoſuit titulum grandioribus elementis, M. V. MARTIAL. EPIG. tanquam ſi poeta in ea monſtroſa figura carmina ſua illeviſſet; eamque fidem legentibus venditavit; verum facile eſt mendacia detegere, atque exſibilare, ipſo Martiale ajente, ut rem conteſtato dicamus, ſe libellos quatuordecim ſcripſiſſe in quadrangulo volumine, non vero in cylindrico, dum canit unam manum illos capere quiviſſe, & coarctari membraneis pagellis, quas πτρακγώνας fuiſſe nihil dubii eſt: *Qui tecum cupis eſſe meos ubicumque libellos, Et comites longæ quæris habere viæ; Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis: Scrinia da magnis, me manus una capit.* idque fatetur initio lib. 1. ep. 3. Si igitur decipere potius voluiſſet legentes Trotzius, molem illam cylindricam librariam indice vel Lucretii, vel Virgilii, &c. ornaſſet, qui de ſuorum librorum forma nil cecinere; advertas rogo, qua vertigine mentis abacti ſint viri clariſſimi, teretium voluminum figmento inducto, ut teſtimonia ipſorum auctorum vehementiſſima non viderint; & veterrimum peccatum patrarint miſcendi quadrata rotundis!



Neque te fallat Sponii auctoritas adſtruentis Itinerar. tom. 2. pag. 230. ſe Jo. Chryſoſtomi Liturgiam in cylindrico membraneo volumine ſcriptam Corinthi vidiſſe, cum ſcias, quanti pretii ſit, & quam dubiæ ætatis, vide Goarium pag. 95. Venetæ edit. & Fabric. Biblioth. Gr. to. 7. pag. 651. non enim negamus ſequioris ævi librarios monſtroſa hæc volumina præſertim Hebræos compegiſſe, & nunc pro antiquiſſimis venditari: uti illud eſt in corio volumen duorum librorum Eſdr. in ædib. Dominicanorum Bononienſium, quod ejus prophetæ manibus exaratum dejerant: de quo etiam duoviri Benedictini in nuperrimo rei diplomaticæ opere pag. 477. to. 1. ſatis dubitant; ecquis tantæ vetuſtatis librum convolutum minime derideat?

III. Ad jucundiorem hujus lucubrationis partem verba convertam, atque oſtendendum mihi eſt, quotquot partes, & ornamenta librorum meminere

nere veteres, non fuisse cylindricorum, verum quadratorum propria; quod quamvis novitate sua animos omnium percellat; non ideo minus veritati consonum reor; quod si præstem, fere ἀποδεικτικῶς, nisi egregie errem; figmentum infelicioris ævi fuisse convolutos in semet libros evincam. Ut autem ab umbilicis exordiar; erant hi rotundæ quædam prominentiæ, seu parvi umbones, qui ligneis eorundem operimentis apponebantur in medio, & variis coloribus, vel auro honestabantur; facile ex te ipse auctorum loca invisas, quæ præsertim Funccius, & Trotzius ex Græcis, & Latinis collegerunt. Et bene memini inter tot Herculanenses picturas quadrangulum libellum exstare, in cujus medio umbilici signum apparet. Porro umbones in clypeorum medio affigebantur, & quid sit umbilicus exercitus, urbis, &c. tironibus notum est. Has aureas, vel argenteas bullas in nostratibus libris, præsertim grandioribus etiam affixas vides. Hinc lubentius introspicies, quid valeat *ad umbilicum deducere librum*, etenim hic omnibus partibus absolutus parvis illis umbonibus decorabatur. Contra vero si in teretibus voluminibus umbilici exerti exstarent, in eorum extremitate, non semper in medio prominerent, membrana enim explicata, eo loco motos cerneres; quod in quadratis aliter evenit, quos libros sive complices, sive explices, in medio semper impactos vides, ut revera umbilici audiant. Verum, quo rem, ut ajunt, acu tangam, Græcis Scriptoribus utar, e quorum penu ditissima, & præ Latinis luculentiora expromam: Lucianus laudato loc. contra indoctos refert quendam, postquam libros operimento contexisset, umbilicos imposuisse: ἢ (βιβλία) διφθέρας περιβάλλεις, ἢ ὀμφαλὸς ἐνπέπηγε· sane membranæ in spiras convolutæ operimentis minime vestiebantur, sed solum chartæ plurimæ ex una parte liberæ, & ex opposita simul adsutæ, atque adglutinatæ. Cum igitur indoctus ille post operimenta umbones, ὀμφαλούς, figeret libris, nemo unus posthac inficiabitur umbilicos appositos fuisse non cylindricis, sed quadrangulis voluminibus. Hoc autem planum, & nonnisi ab vecordi, vel pertinaci convellendum.

Hinc etiam facile noscis, quæ nam fuerint *cornua librorum*, scilicet quatuor ipsorum anguli: cui enim latet Græcos, Latinosque in quavis re quadrata angulos, *cornua* vocitasse? translatitiæ enim sunt voces, *exercitus cornua*, & *velorum*, vel *antennarum cornua*, & vela olim formam solummodo quadrangulam præsetulisse scimus: atque omnium ore celebrantur *mensæ*, & *altaris cornua*; hæc autem in teretibus libris esse capitula, sive globulos illos extremitati bacillorum affixos credat quivis, non ego; nihil enim habet ἀναλογικὸν globulus cum figura cornu, præsertim si non globulus sit, sed taxillus, ἀστραγαλιστικῷ, ut credidit cl. Mazochius in laud. Diatr. p. 35. *Crediderim bacillum, cui charta convolvebatur, exertum habuisse capitatum quiddam simile* ἀστραγάλῳ, *seu taxillo*. Præterea non sibi constant Scriptores, quænam bacilli partes appellabantur *cornua*; etenim Herm. Hugo vult esse *bacillos ipsos*, quod *e polito cornu*

Digitized by Google

fieri cœpti, vide Trotzium p. 594. (haud scio, cur Hugo dixerit *bacilli*, non vero *bacilla*.) Pitiscus voce *cornua* ait illa γενικῶς esse librorum ornamenta: mox appellat *lunulam*, seu *menida* in eorum fronte positam: turbata leges omnia, si semel a vero oberratum sit. Hinc aperte intelligere est posthac facile fuisse veteribus ea cornua librorum quadrangulorum candido argento decorare, & coloribus pingere, Ovid. Trist. lib. 1. eleg. 1. quod & in nostris factitari cernimus. Atque inde etiam nihil obscuri inesse vides in verbis Martialis lib. XI. ep. 107. *Explicitum nobis usque ad sua cornua librum, Et quasi perlectum, Septiciane, refers. Omnia legisti, credo, scio, gaudeo, verum est; Perlegi libros sic ego quinque tuos;* scilicet, retulit Septicianus se omnem librum Martialis perlegisse, & percurrisse usque ad extremum.

Præterea piget me legere in tot eruditissimis viris cylindrica volumina defensitantibus, *frontes* in his esse *extremitates membranæ in spiram complicatæ*, Trotzius pag. 796. cum, evoluta membrana, nullæ inde exstarent frontes: contra in quadratis libris sive clausis, sive explicatis chartæ, ubi adglutinatæ sunt, alteram constituunt frontem, alteram vero, ubi liberæ; quæ frontes geminæ & pingi poterant, & pumice expoliri, ut ad tædium usque canunt poetæ. Sane spiræ convolutorum in se libellorum non adeo sibi arcte cohærent, ut morsibus asperi pumicis resistant, & fortasse neque apte pingi possent: contra vero hæ ambæ etiam nostræ ætatis librorum frontes plerumque multo auro squalent; inde aperte nosco, cur Lucianus adv. indoct. pag. 387. edit. Græv. ait: Καὶ διὰ τοῦτο χουσῶσαι αὐτῇ ἔδει ἐκεῖνο τὸ πυξίον· ita ut ab ornatu librorum nihil ab veteribus nunc desitum sit: Neque te turbet, si legas geminas, non quaternas frontes; poetæ enim patentiores, & principes, anticam scilicet, & posticam commemorant, quin Martiali aliquando de una sat est loqui lib. 1. ep. 67.

Mutare dominum non potest liber notus,
Sed pumicata fronte si quis est nondum.

Poetarum etenim licentiam quis incuset? Et ne ambigas, quas adnotavimus, esse frontes, dum Ovidius aperte canit lib. 4. ep. ex Ponto 13. v. 7. *Ipse quoque ut chartæ titulum de fronte revellas; Quod sit opus, videor dicere posse, tuum.* Sane in postica librorum affigebatur titulus, uti etiam nunc moris est, quo stabilis & firmus hæresceret. Id etiam nunc intelligere dat Suetonius in Calig. c. 49. *In secretis ejus reperti sunt duo libelli diverso titulo, alteri* GLADIVS, *alteri* PVGIO *index erat: ambo notas, & nomina continebant morti destinatorum.*

IV. Longus essem, si omnia ornamenta persequerer librorum quadratorum propria, non vero teretium, qui nunquam fuere; quare mixtim percensenda reor. Passim apud veteres legere est elegantissima, & purpurea illa operimenta, quæ poetæ aliquando *togam* appellant, Mart. lib. X. ep. 93. vel *sindonem*, lib. XI. ep. 1. Indicem etiam, seu titulum auctoris,

Digitized by Google

ris, ut paucis ante versibus commemini, qui in postici libri fastigio apponebatur, Tibul. lib. 3. el. 1. v. 9. quæ non advertens Trotzius pag. 589. fig. 4. delineandum curavit volumen teres cum titulo *Martial. Epig.* qui titulus inscriptus est pro altitudine cylindri, ut dictum est. Nec obliviscenda sunt lora, quæ rite rubra apponebantur, vid. Catull. ep. 22. v. 7. Uncos etiam libris affixos credit Barthius lib. 22. Animad. cap. 18. Adde demum colorem plerumque croceum, quo extrorsum chartæ tingebantur; quin & cedrino liquore, seu oleo potius inunctas vel ad odorem, vel contra blattas legimus ubique poetarum. Quæ cuncta ornamentorum genera quadratis libris apprime conveniunt.

Legimus præterea nomina artificum librorum quadrangulorum, nunquam vero teretium. Erant profecto *malleatores*, quos ex Ulpiano discimus l. 52. §. 5. D. de legat. 3. dicente, *perscriptos libros non dum malleatos, vel ornatos;* teretes autem malleari minime possunt. Opportune mihi suffecit marmor, quod nondum exscriptum reor, amicissimus Nicolaus Sorrichius, quod ædibus prædii Dominici Binni in urbe Adria Piceni affixum est, in eo saxo vides *malleatores scribas:* illud apponam, ne tanti pretii gazæ vel depereant, vel lateant:

SEXTVS
P·VBLICI
VS
SEX·F·MAL
SCRIBA
PVBLICIA
SEX·L·CALLIPO
LIS

Et ne dubites, quin vox manca MAL dicat MALLEATOR, sequitur enim SCRIBA. Inter librorum artifices erant *glutinatores*, quorum & Cic. meminit lib. 4. ad Att. ep. 4. & Neapoli legebatur, teste Pignorio, MANNIO. STICHO. TIBERII. CAESARIS. GLVTINATORI. Reperi in Polluce lib. 7. fragm. 211. βιβλία κόλλημα· & in Lucian. loc. contra indoct. superne laudato, ξυγκόλλησας, καὶ περιβαλλόμενος βιβλία, *conglutinans, & cooperiens libros*. Impetrare a me minime satis sum, ut silentio premam Athenienses statuam erexisse Philtatio, quod modum glutinis librorum ostenderit, vide Photii excerpta ex Olympiodori lib. Histor. Artem glutinandi libros novimus etiam ex Ulpiano ibid. quem locum illustrem vocat doctiss. Mazochius laud. diatr. p. 33. & prolixiorem illinit commentarium, qui utpote partem ejus legis pro teretibus voluminibus interpretatur, pensi mei reor præstare, an re vera ea mens sit jureconsulti ajentis: *Unde*

non

Digitized by Google

non male quæritur, ſi libri legati ſint, an contineantur nondum præſcripti? Et non puto contineri ... ſed perſcripti libri nondum malleati, vel ornati continebuntur, proinde & nondum conglutinati, vel emendati continebuntur, ſed & membranæ nondum conſutæ continebuntur: omnis cl. Mazochii interpretatio eo recidit, *intelligi nimirum ex Ulpiano, a librariis chartas quidem adglutinatas, ut libri in ſcapum digererentur; membranas vero conſutas pro bipatentibus libris;* ipſe vero in jureconſulto hoc diſcrimen minime videre videor, clariſſimum virum ad id diſtinctionis impulit vulgaris ac trita opinio, habuiſſe veteres duplicis generis volumina teretia, & bipatentia. Verum cuivis perfunctorie legenti Ulpiani verba occurrit loqui juriſconſultum de unis libris quadratis, quorum membranæ malleabantur, deinde conſutæ glutine firmabantur, emendabantur etiam, (etenim olim amanuenſes perpetuis erratis fœdabant libros, de quibus paſſim queritur Martialis, & vide Scævolam l. 92. D. de div. reg. jur. & interpretes:) demum ornabantur, quæ ornamenta paullo ſuperne deſcripta ſunt. Hinc recte concludendum reor, niſi libros hoſce in ſe redeuntes inficetiori ævo fictos obliviſcamur, pleroſque omnes Scriptores veteres, & leges ipſas, quæ luce clariores ſunt, tenebricoſas traduci vel a doctiſſimis viris fore ut indoleſcamus.

v. Peccarem ſi pauca, quæ ad rem internam librorum bipatentium pertinent, præterirem, & quæ ad in ſe convolutos minime referre quis poſſet. Apponebant ante primas pagellas auctoris libri icunculam, uti nunc moris eſt ad libidinem uſque: Martialem fundum trado lib. XIV. ep. 186.

Quam brevis immenſum cepit membrana Maronem;
Ipſius vultus prima tabella gerit.

Adde paginas in more etiam fuiſſe numeris diſtingui, quod de convolutis, quorum una exſtitiſſet longiſſima plagula, dici non poſſet, Juvenalis ſat. 8. v. 100.

Namque oblita modi milleſima pagina ſurgit,
Omnibus & creſcit multa damnoſa papyro.

Si plura optes de librorum pagellis, adeas Pignorium ſymbol. ep. pag. 63. qui in epiſt. 18. id argumentum verſat; & miror hos Juvenalis verſus præ ceteris luculentiores non vidiſſe. Præterea ſiqua membrana immutanda eſſet, quod libri auctor meliora cogitaſſet, munus erat glutinatorum veterem deſecandi pagellam, novamque adglutinandi, Cic. ad Att. lib. 16. ep. 6. *Novum proœmium exaravi, tibi miſi, tu illud deſecabis, hoc adglutinabis:* quod in ſe redeuntibus voluminibus haud ſcio, an factitari poſſit: hoc autem nunc ſollemne eſt in libris noſtris typographicis, quos omnes quadrangulos vides. Ignoro, cur Mazochius ibid. pag. XI. quod Cicero dixit *deſecare*, & *adglutinare*, commutet in *revellere*, & *inſuere*, fortaſſe hic Tullii locus eum latuerat. Hæc Ciceronis verba in mentem revocant nimium ſtuduiſſe veteres, ut externe libros ad angulos rectiſſimos artifices circumciderent, id quod a Græcis habeo vetuſtiſſi-

Digitized by Google

ſtiſſimum, Ariſtot. in Problem. ſect. 16. prob. 6. modum clare more ſuo docet: Διὰ τί τῶν βιβλίων ἡ τομὴ ὅτα ἐπίπεδος, καὶ ἀθεῖα; ἐὰν μέν τις, τέμνῃ παρὰ τὴν βάσιν, γίνεται ἀθεῖα, ἀνελιττομένη· ἐὰν δὲ ἐγκλίνας, σκολιά· quæ, poſthabita communi interpretatione, ita refundo: *Quomodo librorum ſectio ſit plana, & recta? ſane ſi quis ſecuerit ſecundum baſim, oportet ſit recta, & non curva: ſi vero quis declinans ſecuerit, curva erit & detorta:* fateor me communis interpretamenti ſententiam non adſequi, quanquam Græca mihi ſint apertiſſima: *Cur ſectio chartarum, ſive papyri, ſi quis æque a baſi plana rectaque dimetiendo abſciderit, recta evolvetur, ſin autem inclinarit, contorta exſiſtet?* Etiam atque etiam miror vel ſummorum interpretum ſubleſtam fidem! Neque dubites, quin Ariſtoteles de librorum quadratorum circumciſione loquatur; namque cum eo conjurat Lucianus in loco ſæpe laudato, ubi certus ſermo eſt de bipatentibus, qui ſoli poterant circumcidi: καὶ (βιβλία) ἀνατυλίττεις ἀεὶ, καὶ διακολλᾷς, καὶ περικόπτεις· aptiſſime reſpondet Ciceronianum *to diſſecare* τῷ περικόπτειν. Præterea, poſtquam paginæ ſimul erant adſutæ, atque adglutinatæ, vetabatur, ne ſtatim explicarentur, exſpectandumque, donec gluten areſceret, ſiccumque fieret, quod hodiedum in noſtris libris etiam interdicimus: docet me id clare Martialis lib. 4. ep. 10.

Dum novus eſt, neque adhuc raſa mihi fronte libellus,
Pagina dum tangi non bene ſicca timet,
I puer, & caro perfer leve munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.

Neque cogites epigrammatographum loquí de voluminibus cylindricis, cum paginarum meminerit, quæ quadratorum certe ſunt. Hinc lætor me advertiſſe quamcumque curam, ac religioſam ſollicitudinem in librorum paginis adglutinandis, cooperiendiſque peræque & hac tempeſtate adhibemus, & fortaſſe ἀκλεβεστέραν veteres optaſſe. Ceterum ne te decipiat bonus Iſidorus, qui cum Ariſtotelem minime legeret, edicit apud Siculos cœptum circumcidi libros, idque eiſdem ſollemne fuiſſe: *Circumcidi libros Siciliæ primum increbuit*, Orig. lib. VI. c. XI. Pariſ. 1601.

Demum ſi interroges, quo pacto ſcripta ſua diviſiſſent veteres, reponam ea diſpenſaſſe in *capita*; afferrem a Grutero inſcriptionem pag. 214. quæ, utpote longiſſimam, prætereunda mihi eſt; quoniam autem ſatis elegantem reperio, ut conſulas rogo. Heetwood pag. 75. & ſeqq. hanc reggeſſit, TVLI. L. CAPVT. QVOD. AD. VESTRVM. HONOREM. PERTINET, vides in hoc lapide *quinquageſimum caput*: verum hoc non tantum faciundum reor. Libros vero jam compactos ornatoſque, quoad eorum molem *craſſos*, vel *macros* & *breves* appellabant: Martialis lib. 2. ep. 6. v. 10.

Quid prodeſt mihi tam macer libellus,
Nullo craſſior ut ſit umbilico,
Si totus triduo tibi legatur?

& lib. 5. ep. 79. v. 24.

Et

Digitized by Google

Et vultu placidus tuo recumbes,
Nec craſſum dominus leget volumen.

Quos *macros* appellat Mart. *breves* vocat Horat. in verbis cultiſſimus lib. 1. epiſt. 20. v. 8. quem locum lyrici neminem interpretum adſecutum video: quidam uti Hugo de pr. ſcrib. orig. apud Trotz. pag. 593. exponunt de in ſemet convolutis libris: verum relictis horum nugis, mens Horatii eſt libellum ſuum commonefacere, ne publicam lucem quærat: etenim etiam amatores tædio & languore affecti, lectis paucis pagellis, illum projicient, & qui craſſioris molis erat, brevis evadet:

. . . . *Quo diſcedere geſtis:*
Non erit emiſſo reditus tibi. Quid miſer egi?
Quid volui? dices, ubi quis te læſerit: & ſcis
In breve te cogi, cum plenus languet amator.

Neque dicerem *ſpiſſum*, vel *denſum* volumen; etenim ſi Cic. ad Q. Fr. opus ſuum de Republica *ſpiſſum* & *operoſum* nuncupet; ea vox *ſpiſſum* apud Tullium audit ſemper *tardum* & *difficile*: & adverbium *ſpiſſe* olet *difficulter* & *ægre*; neque te protrahat cl. Mazochii fama & auctoritas in laudata ſæpe diatr. pag. 2. qui de voluminis *craſſitudine* interpretatur. Neque etiam *denſum* dicere te ſinerem; quanquam locum Juvenalis mihi objicias, *Et blandæ, aſſiduæ denſæque tabellæ*, ſat. IX. verſ. 36. cum eodem Mazochio: reponam etenim ſatyricum veroſimilius τὸ *denſæ* eodem pacto accepiſſe, ac Virgilium in v. 347. Georg. I v. omnibus noto, *denſos Divum numerabat amores*, ſcil. *frequentes*, præſertim cum Juvenalis non de libris, ſed de epiſtolis loquatur. Denique ex laudato Martialis verſu, *Nullo craſſior, ut ſit umbilico* noſco veteres etiam in compingendis libris amaſſe aliquando ruſticitatem, cum in eis omnem elegantiam, & umbilicos poſthaberent.

VI. Non iratis muſis natum me reputes, ſi, ut hoc librarium negotium omnibus numeris abſolvam, exponam primum, quo nomine appellabatur is, qui reliquos docebat artem compingendi libros: deinde quinam erant in ea arte elegantiores, Græci ſcil. demum ubi viarum Romæ habitabant. Sane is, qui alios docebat, dicebatur *doctor librarius:*

GN·POMPEIVS
PHRIXVS
DOCTOR
LIBRARIVS DE
SACRA VIA
FECIT SIBI ET
LIB·LIBERTABVSQVE
POSTERISQ·EORVM

Hanc inſcript. 123. claſſ. XI. habeo ex Reineſ. quavis gaza cariorem:

Reine-

Digitized by Google

Reineſio litteratorum marmorum reparatori, cujus ſæpe felicitatem invideo, aliquando ab ejus licentia cavendum, vocem *doctor* nil hæſitans *ſtructor* confingit, aitque, *Cum doctor librarius videatur eſſe inepta locutio, & non ex uſu priſci ſæculi, quo doctores dicendi, doctores diſciplinæ, artis, ſapientiæ dicebantur, pro magiſtris, & ea in re præceptoribus:* inde vult *ſtructores librarios eſſe, quos hodie compactores librorum, & bibliopegos appellamus:* mox conjectionem ſuam tuetur, licet dubii plenus Tudertinæ inſcriptionis teſtimonio, de qua paullo inferius, ubi enorme tanti viri σφάλμα patefaciam.

Verum teretibus auribus mirifice diſplicet *ſtruere libros*, quando ipſemet fingit non Latiarem vocem *compactores*. Præterea miror virum doctiſſimum non advertiſſe vocabula *ſtruere*, *ſtructura*, *ſtructor*, *ſtructilis*, cum ſine adjunctis jaceant apud Tullium, Vitruvium, etiam apud Ulpianum, ceteroſque jureconſultos, ut poetas taceam, Lucretium, Virgilium, ceteroſque, pertinere ſolummodo ad rem cæmentariam, atque ad ædificandi opus; verum ſi cum Reineſio ope inſcriptionum agenda res ſit, ipſemet cl. VII. ſextam decimam affert, quam digniſſimam memoratu dicit, in eaque mentio eſt *ſtructionis ſcalaris;* & cl. XI. 112. necnon apud Fabrettum pag. 157. legere eſt, *ſtructor parietarius;* & in Grut. 89. 7. *ſtructura cum munitura ſarcophagi*. Hinc factum eſt, ut magnus Reineſius, non percepta τῦ *ſtruere* nativa veritate, quoties in marmoribus legitur *Aug. ſtructor*, ut claſſ. I. 259. &c. interpretetur, *ſcindendi obſonii magiſter*, τραπεζοκόμος, τραπεζοποιός, cum hujus artis vox ſit in ſaxis *opſonator;* hinc *opſonator Liviæ*, *Poppææ*, *&c.* conſule ipſius Reineſ. opus. Contra vero tum inter officia domus Auguſtæ, tum inter Artes, & Profeſſiones pro artifice cæmentario nullum reperies vocabulum præter τὸ *ſtructor*. Ceterum omnem dubitandi anſam aufert Tuſculana inſcriptio, quam protulit Muratorius p. 978. 3. poſita *Soſimo ſtructori*, nam in imo lapide inſculpta vides duo inſtrumenta fabri cæmentarii, quibuſcum tectorium inducitur diluta calce, vel gypſo. Quod vero reponit Reineſius, ut e marmore eradat τὸ *doctor*, eſſe ſcilicet ineptam locutionem, *doctor librarius*, appoſitiſſimam vero, *doctor diſciplinæ*, *dicendi*, *&c.* a vero longe abludit: etenim ab Valer. & Quintil. habeo *doctores laniſtas*, qui gladiatores inſtituebant ad ludos, uti obſervat Lipſ. Saturn. lib. I. c. 15. & Juvenalis ſat. IX. verſ. 137. meminit cujuſdam Tripheri in arte diſſecandi obſonia famoſi, appellatque *Tripherum doctorem*, qui & in Suburra ejus artis publicam ſcholam aperuit. Si vero quis ejus rei teſtes a ſaxis etiam quærat, adeat Fabrett. pag. 108. & Sponium in Miſcell. erudit. antiqu. ſect. 7. p. 256. ubi etiam habes, *ſagittarium doctorem*. Demum nihil Reineſio ſuffragatur inſcriptio Tudertina, quam Gruter. pag. 1002. I. ubi SATVRNINI LIB. STRVCTOR interpretatur, *librarius ſtructor*, quo ſuam emendationem vocis DOCTOR tueatur, cum in Gruteriana vel tiro legeret, *Saturnini libertus ſtructor*.

Digitized by Google

VII. Scio posse mihi objici, postquam non paucis tutari marmoris veram scalpturam, scilicet *doctor librarius*, non vero *structor* adnisus sum, minime me eviciſſe, quin *doctor librarius* hic non denotet, qui artem scribendi docet, non vero compingendi atque adglutinandi librorum membranas. Verum contra est; nam tum Græcum cognomen PHRIXVS cogit, ut de βιβλιοπηγοῖς intelligatur loqui marmor; tum quia a Cicerone habeo ad Att. lib. 4. ep. 4. vocem *librarius*, ὑποχορισ-τικῶς *librariolus* pro id genus mechanico artifice: *Et jam velim de tuis librariolis duos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus;* quos Græculos fuisse libertos universi interpretantur: imo quis ignorat, cum sermo est de iis, qui volumina exscribebant, appellari vel ἁπλῶς *librarios*, vel *scribas librarios*, vide indices thesaurorum inscript. Præterea meam hanc sententiam firmat in marmore additum esse τὸ DE SACRA VIA, novi ex bene multis inscriptionibus in ea habitasse unos opifices, sive magistros mechanicos, nimirum earum rerum, quæ ingenio simul, & manibus fabricantur: hinc habes ex Reines. cl. XI. 110. *C. Fufio Zmaragdo margaritario de sacra via*. Ex Grut. pag. 1033. 1. *C. Attii Stephani pigmentarii de sacra via*. & pag. 639. 11. *T. Furius L. F. cælator de sacra via*. pag. 638. 5. *C. Sellius Onesimus flaturar. de via sacra*. Ex Muratorio pag. 983. 5. *L. Tyrius flaturarius de via sacra:* quem non intelligas *auri argentique monetarium*, vel contra quos Gothofredus ait legem latam 9. D. de leg. Corn. de falſ. neque de quibus exstat Romæ in vinea Card. Carpensis *D. M. M. Ulpius. Aug. lib. Symphorus. auri. et. argenti monetar.* sed accipias pro *flaturario sigilliario*, vide Grut. p. 638. n. 6. vide etiam Kirchm. de annul. cap. 11. quæ est ars elegantior. Neque credas Reinesio clas. XI. 89. qui *flaturarium* interpretatur χαλκέα ἀνδριαντοποιόν nullo nixus testimonio. Præterea eadem pag. 638. Grut. n. 7. *C. Cædicius Jucundus aurifex de sacra via*. pag. 339. 11. *L. Furius L. F. Diomedes cælator de sacra via:* pag. 622. 1. *Cabatores de via sacra*, ideſt *cavatores*, seu *gemmarum scalptores*. Ex Muratorio p. 971. 7. *M. Poblicius Nicanor ung. de sacra via*, ideſt *unguentarius*. Ne autem credas solummodo me indicibus Gruterianis, & Reinesianis usum, ex Ficoronio p. 31. de person. scænicis ecce tibi saxum erutum ann. 1733. *M. Curius Eupor tibiarius de sacra via;* verum vir doctus interpretatur, *tibia canens*, melius *tibiarum faber;* ex tot enim litteratis lapidibus, quibus ineſt DE VIA SACRA, de opificibus mechanicis aperte eruitur intelligendum esse; cum præsertim translatitium sit dici *tibicinem*, qui canit tibia, & mulierem, *tibicinam*. Cumque nova sit vox *tibiarius*, nunc primum scimus, quo nomine donandus sit *tibiarum opifex*.

His enumeratis, ad Phrixi doctoris librarii redeo, atque edico hunc etiam mechanicum artificem librorum fuisse, cum etiam *de via sacra* exstiterit, non autem Latine, vel Græce scribendi modum docuisse, cum in ea nullas artes ingenuas exercitas legimus. Haud multa ratio habenda

Digitized by Google

da est Trotzii de prima scrib. origine p. 495. edicentis etiam hunc Phrixum fuisse scribendi magistrum, munusque hujus disciplinæ, non vero mechanicum artificium exercuisse; & piget virum jureconsultissimum recitare, quo suam sententiam firmet, verba leg. ult. D. de jure immunit. ubi Tarrutenus Paternus enumerans munera militaria apponit *librarios*, *qui docere possunt:* quæ verba obscuritatis plena, & fortasse, *qui docere possunt* vel manca, vel a posteriori manu adjecta, importuna & nihili sunt; & sane, cui usui esse potuissent in castris magistri scribendi, vel compingendi libros, optarem, ut quis doctior jureconsultus me doceat. Verum seriis quid ludicri misceamus; scias adeo aniliter Christianum Schoettgenium interpretatum esse has voces *Phrixus doctor librarius*, ut neque ipse, neque amici risum tenere queamus, nimirum in ea sententia, quam vernacule nos voci *doctor* appingimus, qui præ ceteris plura scire jactitat, quo interpretamento nihil suavius ac puerilius; apponam ejus verba, quo fidem mihi non deneges: *Quia vero nonnulli horum scribarum satis emendate, ut supra vidimus, scripserunt, tantum de se quidam concipiebant opinionem, ut titulum doctoris librarii affectare non dubitarent*; inde quo hoc scelus firmet, recitat Phrixi epigraphen, vide ejus historiam librarior. & bibliopolar. cap. 3. §. 3. in to. 3. Poleni pag. 838. verba quidem certe posteris commendanda!

VIII. Reliquum est, ut ne credas supervacaneum frequens scalptum in marmoribus illud DE SACRA VIA; hinc etenim discimus artifices, qui in ea habitabant, fuisse elegantiores, &, præ ceteris in aliis urbis vicis degentibus, majoris famæ; in maximis sane urbibus ubique locorum exstent oportet cujusvis generis fabri; ditiores vero ac celebriores una alicubi sese colligant ad æmulationem, atque ad pinguius peculium comparandum. Sicuti ex omnibus librariis suburbanis elegantiores etiam audiebant uni, qui extra portam Trigeminam degebant; hinc habes ex Muratorio pag. 948. 3. *P. Cornelius Celadus librarius ab extra porta Trigemina vixit ann. XXVI.* Neque dubites, quin nomina locorum honoris ergo scalperentur, cum de *Valeria Berecunda jatromæa*, idest obstetrice dicatur *regionis suæ prima*, Gruter. 1110. Non vero, ut vult Reinesius pag. 637. appositum nomen locorum decreto magistratuum; tum quia plerumque in iis tacetur locus, si *viam sacram* excipias, quæ frequentissima legitur, tum quia Reinesius verba ejus decreti, & tempus non adjicit. Si vero nosse cupias, ubi regionum, ac viarum ceteri opifices degerent, facile reperies in Gruter. in Murator. &c. & vide Reinesium præsertim pag. 637. Cum igitur memoria apponenda esset defuncto artifici ad honorem, addebatur *de sacra via*, ut posteritas nosceret, non fuisse de ceterorum alibi commorantium grege: nec dubites, quin exemplis caream, & ne a librario negotio divertar, Romæ siquidem bibliopolæ in Argileto, qui tractus, aut vicus hujus urbis erat in regione secunda, tabernas suas habebant; hinc *Argiletanæ tabernæ* sunt βιβλιοπολεῖα; ita ut artes Romæ, uti

Digitized by Google

ſollemne eſt in magnis urbibus, ab ſimul collectis opificibus exercerentur, compitis viiſque ſibi diſtributis; jure igitur Martialis lib. 1. ep. 4. de libro ſuo canit:

Argiletanas mavis habitare tabernas,
Cum tibi, parve liber, ſcrinia noſtra vacent.

Sane cum τὸ *Argiletanas* poeta dicat, fuere inferioris famæ tabernæ bibliopolarum, a quibus *Argiletanas* nobiliores diſtingui oportuit; alias quidem adjunctum illud foret ἀπροσδιόνυσον ac otioſum; uti ævo noſtro artificum tabernas elegantiores, ſi non in unis viarum tractibus exſtructas cernamus, vel a templis, vel a viis appellamus. Hinc non injuria concludo artifices *de ſacra via* præ ceteris excelluiſſe, atque ad famam conciliandam ejus loci nomen ſaxis inſculpi propterea accuraſſe; quos inter adnumerandi βιβλιοπηγοί, & librarii doctores, quorum unus egregiæ famæ *Gn. Pompeius Phrixus*. Et *Viam hanc ſacram* ob tot politiſſimorum mechanicorum opificum varietatem reor fuiſſe multo elegantiſſimam; neque poſthac mirer Horatium virum urbaniſſimi ingenii illam in more habuiſſe celebrandi; cum homines minutæ indolis, ac teterrimæ, hoſtes humanæ ſocietatis ſaltus, ac ſuburbia ament. Mens enim mihi non eſt aſſentiendi Vandalio Diſſert. VII. pag. 580. qui videtur in animum induxiſſe, cum adjunctum artifici viderit *de ſacra via: de campo Cælimontano, &c.* interpretari de *collegio ejus artis* in ea urbis regione erecto; verum hujus interpretationis nullum fundum affert; contrario novimus in Latinis ſaxis apponi vocem *collegium*, cum de his ſocietatibus ſunt verba: in Græcis lapidibus additur τάξις, veluti τάξις παιανιστῶν, & in Neapolitanis ſilicibus τάγμα παιδῶν, κ. τ. λ.

CAPUT III.

Contra quadrangulum Latinorum librorum σχῆμα objecta diluuntur. Nova prorſus διάγνωσις vocis *codex*.

I. *Contra meam ſententiam, Romanos nim. ſolos quadratos libros fabreſeciſſe, objecta elevantur; ac omnium primum* πολυθρύλητος *lex Ulpiani, in qua cylindrica volumina eruditiſſimos quoſque interpretes, & Mazochium ipſum fruſtra & perperam reperiſſe clare oſtenditur. Lex iſthæc tenebricoſa lucem omnem adipiſcitur, ſi* volumina *ſint libri* τετράγωνοι. II. *Plurimorum Scriptorum loca tum profana, tum ſacra aggeruntur, quibus* ῥῶσις volumen *peræque eſt, ac* liber, *quod antehac ab omnibus pernegatum eſt. Grandia Ciceronis, vel Livii, &c. opera in teretibus chartarum corporibus minime* ὀπισθογράφοις *ſcribere arduum ſane negotium, imo &* ἀδύνατον. III. *Ejuſdem legis pars altera* de codicibus *male interpuncta, & corrupta ab librariis facile ſanatur, in lucemque reſtituitur.* IV. *Divinatio de notione vocis* codicis, *quæ arctiſſimæ ſignificationis eſt; quæ quidem non unis auctorum*

rum locis firmatur, etiam ex Pandecte. v. Codicum, *ſive horum brevium librorum figuram cylindricam fuiſſe ex ſtatuis, & ex picturis Herculanei, imo ex archetypis ipſis ex eodem oppido effoſſis comprobatur: eorum formæ teretis teſtes etiam habes plurima numiſmata.* vi. *Has convolutas in nummis membranas* codices *vocitandas multis Scriptorum documentis evincitur: qui* codices *ab doctiſſimis numiſmatum interpretibus, tanquam quid ignotum, poſthabiti ſunt.* vii. *Ex hac* codicum *notione, & figura Juvenali, & ſuperne laudatæ Ulpiani legi plurima lux; quam etiam mutuantur verba Paulli juriſconſulti.* viii. *Error veterum artificum in poetarum, vel philoſophorum ſtatuis* codices *ſculpentium. Elegantiſſimi vaſculi ex Herculaneo extracti, ubi Homeri ἀποθέωσις viſitur codicem ſiniſtra ſtringentis, longiuſcula deſcriptio.* ix. *Rationum momenta, cur hallucinati ſint quidam ſculptores. In Herculanenſis Cimeliarchii picturis non unos quadrangulos libros videre eſt: quæ curſim deſcribuntur. Etiam noſtri ævi celebratiſſimi pictores in re libraria erraſſe conquerimur. Picturæ Chriſtianorum utpote mediæ ætatis, ubi* codices *viſuntur, non curandæ; Aringi interpretationes ψευδεῖς.* x. *Barbare dici ab univerſis,* codex Vaticanus, Mediceus, Homeri codices, &c. *clare evincitur; de Hieronymo querelæ. Juris interpretes vel cultiores in notione* codicis *poſthabendi.* xi. *Origo & etymon vocis* codex *ignota; Mazochio reſiſtititur educenti ab Chaldæa* גורא. *Libri teretes Herculanei reperti non* volumina *cum vulgo vocitanda, ſed* codices; *eorum longior deſcriptio.* xii. *Duo famoſi* Anticatones *non cylindrici fuere libri contra interpretes: neque pugnant adverſus quadrangulos libros, quæ ex Martiale opponunt Calmetus, & Mazochius.* xiii. *Quid in hoc poeta,* charta, quæ duro inhorruit mento; *in quæ verba doctiſſimi quique impegerunt, eaque ad in ſemet convolutos libros ſpectare ajunt, quos inter magnus Salmaſius pro ea ſententia recitans Stratonis epigrammα, quod eſſe affectiſſimum minime advertit, in quo vides ſatis importunam vocem γένεα pro γελοῖα.*

I. TENES igitur nunc primum bene multa ad librorum tum exteriorem, tum interiorem ornatum, atque ad eorundem artifices, laborioſis operibus tot doctiſſimorum virorum addenda, ſi alicujus momenti reputes; & non pauca ad ſacram viam ſpectantia, quæ defugere, quotquot quæſitiſſima ad Urbis regiones viaſque illuſtrandas aggeſſerunt. Ut tandem ad umbilicum hoc παέργον accedat, ſcito nodos mihi non unos diſſolvendos, quibus fortaſſe aliquis exputet enixe evinci veteres abuſos eſſe teretibus libris; verum jactis firmiſſimis fundamentis, rectoque tramite detecto, quæcumque opponi poſſunt, neque ſalebroſa, neque ardua mihi reor; quanquam contra enormem eruditorum virorum vim contendendum ſit. Primum omnium, quod opponi poſſet, eſt longior lex Ulpiani πολυβόητος 52. D. de leg. 3. quam omnem hic adſcribendam exiſtimo, quo citius legas, quæ in eam commentamur: & quam longe tot doctiſſimi jureconſulti ab Ulpiani mente peregrinati ſint, facilius advertas, eo quod ab cylindricis volùminibus abripi paſſi ſunt, quorum ne volam quidem, neque veſtigium in ea lege videre eſt. *Librorum appellatione continentur omnia volumina, ſive in charta, ſive in membrana ſint, ſive in quavis alia materia: ſed ſi in philyra, aut tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio, idem erit dicendum. Quod ſi in codicibus ſint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in cera-*

Digitized by Google

ceratis codicillis; an debeantur, videamus. Et Gajus Cassius scribit, deberi & membranas; libris legatis: consequenter igitur cetera quoque debentur, si non adversatur voluntas testatoris. §. 1. *Si cui centum libri sint legati, centum volumina ei dabimus, non centum, quæ quis ingenio suo metitus est, cui ad libri scripturam sufficerent: ut puta, cum haberet Homerum totum in uno volumine, non quadraginta octo libros computamus, sed unum Homeri volumen pro libro accipiendum est.* §. 2. *Si Homeri corpus sit legatum, & non sit plenum, quantæcumque partes hodie inveniantur, debentur . . .* §. 4. *Quod tamen Cassius de membranis puris scripsit, verum est: nec chartæ puræ* (debentur) *libris legatis: nec chartis legatis, libri debentur: nisi forte, & hic nos urserit voluntas: ut puta, si quis forte chartas sic reliquerit: Chartas meas universas, qui nihil aliud, quam libros habebat studiosus studioso: nemo enim dubitabit libros deberi; nam & in usu plerique libros chartas appellant.* §. 5. *Quid ergo si quis legaverit puras? membranæ non continebuntur, neque ceteræ ad scribendum continebuntur materiæ, sed nec cæpti scribi libri*, &c. Ut autem ordinem artis plenum servem, paucis dabo, quæ in hanc leg. adnotarunt quidam jure prudentissimi; inde ipse singillatim eam legem in sententiam meam facile traham.

Porro Salmasius de mod. usur. in pag. 401. & seqq. more suo eruditissima quæque ῥητὰ, καὶ ἄῤῥητα convectat, ceterum doctissimi viri μακρολογία eo tendere videtur, ut in Ulpiano *volumina* sint *libri teretes*; e contrario *codices*, quorum paucis post verbis lex meminit, dicat fuisse *libros quadrangulos*, τετραγώνους. In Salmasii sententiam jurant Schultingius in Paul. pag. 377. Heineccius in Antiq. Rom. procem. n. 16. in adnot. & Trotzius in Hugon. pag. 604. laudantque Salmasium, ut ceteros taceam. Denique cl. Mazochius in longiori adnot. 2. in dipt. Quirin. pag. 5. eadem distinctione voluminis, & codicis in Paulli, & Ulpiani legibus explanandis abutitur, verum haud scio, cur vir summus horum jurisconsultorum neminem laudaverit, præsertim cum idipsum in commentariis in Pandectem alleverit Gothofredus.

Verum, tantorum virorum pace dictum sit in hac Ulpiani lege, nisi mirifice fallar, libros teretes me minime invisere, licet perdiu eos perquisissem; quanquam fateor ejus verba, uti nunc jacent, tenebris involutissima sint, & ad quemlibet oculatissimum fallendum parata; quare ut quid lucis iis importem, sic statuo, (ne mihi odium crees, si contra omnium interpretum mentem id sentiam:) *volumina* esse *libros* γενικῶς, quare potius accipias *quadrangulos*; nam hos veteribus fuisse sollemnes multis jam ostensum est; *codices* vero forsitan audivisse *libros teretes*; licet spissum & laboriosum sit id argumentum, haud tamen animum despondeam. Porro norunt universi Ulpiani verba in ipsa ὑποθέσει, sive propositione tenebricosa esse, nam ab §. 1. ad finem usque vel tiro lubens jureconsulti

men-

mentem percipit, cum quaſdam apertas ejus legati ſpecies apponat. Inquit igitur Ulpianus veluti gradatim, in legato librorum intelligi omne genus *volumina*: etiam, qui dicuntur *codices*: nec non *codicillos*, ejuſque triplicis generis librorum materiem etiam diſtinguit: demum & *chartas*, ſcriptas ſcilicet, ut deinde definit.

II. Volumina autem hic non eſſe libros in ſemet redeuntes conſtat ex ipſo Ulpiano, qui ea facit σωώνυμα *libris* ipſis, quando ait, *Librorum appellatione continentur omnia volumina*, & *volumen* nomen γενικόν eſſe, æque ac *liber*, vel puer decennis cerneret. Præterea in §. 1. hujus legis idipſum jureconſultus bis recinit: *Si cui centum libri ſint legati, centum volumina ei dabimus*; & paullo poſt: *Unum Homeri volumen, pro libro accipiendum eſt*, & ubique ejuſdem legis promiſcue utraque voce utitur: profecto ſi duodequinquaginta Homerici libri in membrana, vel papyro ſcripti unum teres volumen conflarent, quippe quod non ὀπισόγραφον, in maſſam enormem increviſſet; contra vero ſi quadrangulum ſit, ſcriptum & a tergo, juſtæ molis evaderet; deque ea figura loqui Ulpianum ratum habeas. Adde, ſi *volumina* hac in lege cylindrica accipias, fore ut τετραγώνων neutiquam meminiſſet Ulpianus; etenim, etiamſi dem *codices*, quod inferne pernego, fuiſſe quadrangulos, ita raro ea voce uſos boni ævi Latinos inveni, ut ne vice quidem ſimplici in Scriptoribus, qui ſatis multa illeverunt, reperire ſit, veluti in Livio, in duobus Pliniis, Gellio, Macrobio, imo & in Ovidio, &c. queis ſexcenties de libris ſermo eſt; locuples exemplum ſit ep. 5. lib. 3. Plinii ipſius ubi avunculi ingentem numerum commentariorum enumerat, quos mixtim vocat volumina & libros, vocem *codex*, veluti anguem devitat; quin in eiſdem Scriptoribus non ſemel *codicillos* invenire eſt, nunquam vero vocem *codex*, quam, ſi ad quadrata volumina ſpectaret, ad faſtidium iterarent, cum in τετραγώνῳ corpore chartæ aptarentur, uti ſuperius multis evicimus. Hinc unuſquiſque, cui cor ſapit, poſthac non mirabitur, ſi Ulpianus inter legatum librorum veluti dubitanter quærat, an *codices* comprehendantur, qui ſi quadranguli eſſent, illuderet profecto jureconſultus, nam æque dixiſſet, ac ſi *in legato librorum, libri intelligerentur legati*. Igitur in prima voce *volumina* communem ſuetamque τετράγωνον formam, in ῥήσει *codices*, raram inſuetamque expreſſit, uti paucis poſt verbis in eo legato includit omne genus *codicillos*, quæ rarior etiam erat, & haud certa librorum ſpecies, demum & *membranas ſcriptas*.

Hanc legis interpretationem licet cordatioribus ratam futuram reor, ad majus lumen ei conciliandum pauca mihi addenda ſunt de vocibus *volumina*, & *codices*; enormem præterea amanuenſium labem detergam. Quidquid obſcuri in ea vides, in cauſa eſt, quod vox *volumen* menti fere omnium ingerat quid teres & rotundum; cum contra ſit, nam etiam in corporibus hiſce quadrangulis chartæ, dum legimus, verſantur ac volvuntur, ut initio hujus παρέργου dictum eſt; verum ut

ex

Digitized by Google

ex animo id tandem avellatur, exemplis urgendum est. Constat sane ex multis, quæ protuli de ornatu librorum, eos fuisse χήματος quadrati etiam ex scalpturis vetustissimis hanc formam præseferentibus, vid. pagg. 87. & 241. eosque *librorum* nomine vocitatos nullusdum ivit inficias; atque si præstem Scriptores, quam chartarum congeriem τετράγωνον *libros* appellarunt, eandem *volumina* salutasse, ita ut σωώνυμα habuerint, profecto nisi qui sui juris, sententiæque tenaces sunt, atque obstinati, illa teretia fuisse posthac imperent, atque obganniant. Agmen ducat Cic. qui idem Chrysippi opus nunc *librum*, nunc *volumen* dicit, De divinat. lib. 2. cap. 56. *Chrysippus totum volumen implevit partim falsis oraculis, &c.* & ibid. cap. 70. *Atque omnium somniorum, & talium plenus est Chrysippi liber.* Idipsum legere est in eodem orationis membro ad Heren. circ. init. lib. 2. cap. 1. *Ea* (inventio) *quoque vobis erit hoc in LIBRO propemodum absoluta, & parvam partem in tertium VOLUMEN transferemus.* Et eadem repetit lib. 1. cap. 17. *Quoniam satis hujus VOLUMINIS magnitudo crevit, commodius in altero LIBRO ... exponere:* opus hoc cum non in unos libros dispescuisset, ne Cicero esset ταυτολόγος, alterum dixit *volumen*, alterum *librum*. Præterea Ovidius libros Tristes nunc libellos, mox volumina vocat lib. 1. ep. 6. v. 33.

Hos quoque sex versus in primi fronte libelli
Si præponendos esse putabis, habe;
Orba parente suo quicumque volumina tangis, &c.

Idem poeta easdem binas ῥήσεις confundit Trist. lib. 2. el. 1. v. 549.

Sex ego fastorum scripsi totidemque libellos,
Cumque suo finem mense volumen habet.

Atque ib. lib. 3. el. 14. v. 19. appellat opus Metamorphoseon *mutatæ ter quinque volumina formæ*, mox v. 25. libros Tristes dicit *libellos*, ita ut Ovidius nos doceat æque valere isthæc duo vocabula; plura id genus exempla ab hoc vate corrasi, qui, uti nosti, libros suos ubique meminit, servoque inter schedas, quæ ne te obtundam lubens prætereo; atque ad Plin. epistolas adeo, qui lib. 3. ep. 21. epigrammata Martialis & *volumen*, & *librum* compellat: *Remitterem ad te volumen* (Martialis,) *nisi quosdam* (versiculos) *tenerem: tu, si placuerint hi, ceteros in libros requires.* Et ib. ep. 5. idipsum factum invises: *Pergratum est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas;* paucis post versibus, *volumina* repetit: *Miraris, quod tot volumina, multaque in his tam scrupulosa homo occupatus absolverit, &c.* & ubique hujus prolixioris epistolæ ea commiscet, quam legas rogo: vide præterea epist. 18. lib. 3. necnon epist. 15. lib. 8. in quibus hæc duo vocabula sine discrimine, & de eodem chartarum corpore adhibet. Neque mihi obliviscendus Gellius, qui in bino cap. ea vocabula σωώνυμα facit lib. 6. cap. 17. *Ingens postea numerus librorum in Ægypto a Ptolemæis regibus vel conquisitus, vel confectus est: ad millia ferme voluminum septingenta.* Idipsum legas lib. 9. cap.

Digitized by Google

9. cap. 4. *Erant autem iſti omnes libri Græci* (loquitur de iis, quos Brunduſii venales reperit) *miraculorum fabularumque pleni . . . Scriptores veteres . . . Ipſa autem volumina ex diutino ſitu ſqualebant, & habitu aſpectuque tetro erant;* advertis jam *libros & volumina* peræque eſſe Gellio, dum promiſcue uſurpat. Eodem pacto has voces adhibuiſſe Scriptores ſacros teneo ex Hieron. ubique ſuorum operum, duo tamen mihi ſatis ſunt exempla tum de libris veteris, tum novi inſtrumenti; in præfat. prima in Jobum: *Cogor*, ait, *per ſingulos ſcripturæ divinæ libros adverſariorum reſpondere maledictis*, &c. paucis poſt verſibus eoſdem *volumina* dicit: *Omnia veteris inſtrumenti volumina Origenes obelis aſteriſciſque diſtinxerit*. Hæc eadem profert de Evangeliſtarum operibus in præfat. in Evangeliſt. circa fin. *Singulis vero Evangeliis ab uno incipiens uſque id finem librorum diſpar numerus accreſcit:* inde paullo poſt: *Recurres ad volumina ſingulorum* (Evangeliſtarum,) *& ſine mora repertis numeris*, &c.

Ne credas me iſthæc non pauca exempla convaſaſſe pro æqua poteſtate *librorum* & *voluminum*, ut multam lectionem jactem; verum vi auctoritatum indigebam, quo ab multorum animi mente ſententiam, quæ altiſſime inſederat, evellerem, nimirum *volumina* longe in χήμαπ differre a *libris*, illaque fuiſſe in cylindri ſpeciem, contra ac erant *libri*; quare poſthac ex tot exemplorum ſtrue, quibus & libri, & volumina idipſum valere oſtendi, haud ſcio, an quis hiſcere audeat Ulpianum init. hujus leg. eam vocem pro tereti forma accepiſſe, uti in commentar. jubet Gothofred. cum univerſa interpretum turba: *Volumina ideo dicta ſunt, quod veteres volumina in cylindri, ideſt volutarii modum complicare ſolebant;* ex qua ſententia inficetiſſime eruitur, cum apud Scriptores certum nunc ſit æque valuiſſe binas vocet, *libros* etiam fuiſſe *convolutos*, quod vel noſtræ ſententiæ hoſtes pernegarunt; etenim pro quadrangulis vocem deſideraremus, quos ſollemnes fuiſſe præſtiti, eorumque partes omnes ſuperne multis deſcripſi. Iterato igitur conquerendum mihi eſt tot doctiſſimos viros paſſos eſſe ſibi imponi ab verbo *volvere*, quod etiam perbene & κυλινδρικῶς quadratis libris aptatur, quorum pagellas, dum legimus, revera *volvimus*, imo & *pervolutamus*, ut ait Cic. & *verſamus*, inquit Horatius; de teretibus autem dicendum ſane fuiſſet ἰδιωτέρως, *circumvolvere*, & res ipſa, *circumvolumen*. Ceterum quis in animum inducat Ciceronis, Livii, Senecæ, Pliniorum, &c. ingentia exemplaria in teretibus chartis minime ὀπισθογράφοις illini, & legi potuiſſe, cum rotundum illud librorum χῆμα & corpus uſui eſſet infeſtiſſimum non ſine grandi chartarum jactura? Adde, ſi veteres ea tereti artificio compegiſſent, ſaltem privum, quæ id genus veteres gazas ſervant tot περιβόητοι bibliothecæ, fore ut adquiſiviſſent: e contrario antiquiſſimos, & per ſane multos quadrangulos cujuſvis ἰδιώματος collegiſſe juvit. Porro vecordes bardique traducerentur Latiares viri, ſi cum Græcis τετραγώνας fabricari libros viderent, eorumque exemplaria nocturna

Digitized by Google

verſarent manu diurnaque, (ſuperne jam præſtitum barbaricam eam voluminum formam Græcos ignoraſſe, neque nomen ipſum ab voce *volvere* ullam coagmentaſſe,) plena ruſticitatis chartarum longiſſimarum corpora teretia compingere adhuc adlaboraſſent; præſertim cum vulgo notum ſit ſervitiorum inſtar in unoquoque artificio diſciplinaque Græcis Romanos ſtuduiſſe, & hos legimus tunc maxime profeciſſe, quo propius ad illorum ſectanda veſtigia æmula virtus urgeret.

III. Reliquum mihi eſt, ut prima hujus legis parte explanata, ad alteram aggrediar, qua nihil reperi tenebricoſius, nihilque inconſtantius; quæque ſummorum interpretum ingenium magis exercuit: *Quod ſi* (libri, ſive volumina) *in codicibus ſint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis, an debeantur, videamus; & Gajus Caſſius ſcribit deberi etiam membranas, libris legatis*. Et quidem initio aqua mihi hæret, dum tueor *codices* hic vocari *eboreos*, quod nunquam alibi legere eſt, & id προσθετόν potius eſt *pugillarium*, & *codicillorum*, uti habemus ab Propertio, Plinio, atque Auſonio, &c. quare a vero non aberrem, ſi conquerar de librariorum translatitia ignoratione, qui & verba iſthæc male interpunxerunt, & voculam ſatis exiguam, τὴν *in* ſcil. prætereundam rati ſunt; quare τὸ *eboreis* non cum *codicibus* adnectendum, ſed cum ſequenti voce *codicillis* aptandum; & ante has ῥήσεις *vel etiam eboreis* majorem σιγμὴν, & ante *eboreis* τὸ *in* adjicias; eritque mens Ulpiani aperta ſatis: *Quod ſi in codicibus ſint membraneis, vel chartaceis:* (inde σιγμῆ duplici injecta, uti vides, tertiam librorum ſpeciem addit juriſconſultus:) *vel etiam IN eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis, &c.* Errorem amanuenſium facile deprehendes, ſi advertes in veteribus librorum membranis etiam minuſculo charactere ſcriptis litterulæ *i* apicem minime appingi, uti nunc in majuſculo, itaque cum iidem *etiam in* inſpexerint, τὸ *in* ſine apice pro elemento *m* vocis *etiam* repetito rati inſcitiſſime omiſerunt; tritum hoc dormitantium librariorum σφάλμα ubique adnotant rei diplomaticæ magiſtri, millenoſque Scriptorum locos eodem pacto affectos in integritatem reſtituunt; mirationemque multam mihi faciunt Salmaſius, & Mazochius (ut ceteros taceam,) qui cum veterum ſcriptis nedum ſyllabas, verum & voces ipſas figant ſæpe, atque refigant, in hac lege nihil adſuendum, vel expungendum cogitarint.

His animadverſis, nil luculentius ea lege eſt, quæ antehac tot præclara ingenia torſit; nimirum, ut ab initio dictum eſt, in legato *librorum* intelligi primo unumquodque corpus ex multiplici pagina compactum, & characteribus exaratum, quavis conſtet materia ad ſcribendum apta, ſive charta, ſive tilia, ſive corio, ideſt quavis re expanſa; includi præterea etiam *codices*, qui ex chartis, vel ex membranis confieri poterant, de quorum figura mox dicam; tertio comprehendi etiam *codicillos*, ſive *pugillares*, qui ex ebore, vel alia duriore materia,

Digitized by Google

teria, plumbo nim. vel buxo cera illito aptabantur; demum etiam *membranas*, dummodo non ſint puræ, ſed ſcriptæ.

IV. Nunc labor improbus me urget, ut fidem ſolvam, explicemque, quodnam librorum genus ſint *codices*, ut omnigenam lucem Ulpianeis verbis præſtem; ſpondeo autem me non pœnitendam *codicis* notionem, mox de ejus figura bonam divinationem prolaturum. Ajo igitur *codices* non audiviſſe apud beatioris ætatis Scriptores quaſvis librorum ſpecies, uti nunc univerſi rentur ab Latinæ linguæ optimis parentibus degeneres; verum fuiſſe voluminum genus longe reſtrictius accipiendum, quam eruditorum fert opinio; imprimiſque eos libros, qui publicæ auctoritatis eſſent, hinc jure definit, atque opportune ſatis Seneca de brevit. vit. cap. 13. pag. 509. ann. 1672. *publicæ tabulæ codices dicuntur*; cujus σωώνυμα dicas, ſyngraphas, inſtrumenta cauſarum & litium, ſtipulationum, aliorumque contractuum, tabulas teſtamentarias, nuptiales, edicta prætorum, atque interdicta; imo quæ barbare *publica documenta* cauſidici viri appellitant. Hujus vocis διαγνώσεως teſtem vehementem habeo Tullium, qui ea ῥήσει *codex* utitur in unis orationibus, præſertim in iis contra Verrem hominem codicum interlitorum noxa famoſum; atque in eiſdem eloquentiſſimi viri orationibus ſæpe legere eſt *codices accepti*, & *expenſi*, quos publicæ auctoritatis fuiſſe id genus libros nulluſdum inficiatus eſt: contra vero in reliquis tot ejus operibus, in queis nihil forenſium rerum ineſt, ne vice quidem ſimplici vocabulum *codex* quis vel diligentiſſimus veſtiget, niſi præ me ſit oculatior; *librorum* autem, & *voluminum* mentio locupletiſſima. Nequaquam autem a me impetrabis, ut ejus rei ab Cic. exempla hic aſſuam, fruſtra enim implerem utramque ceram; cum ab lexicis jam teneas, præſertim ab Rob. Stephano in Theſauro; qui ab uno hoc oratore loca corraſit; quæ autem ipſum a ceteris Scriptoribus recitare oblitum deprehendi, illa paullo inferne adſcribam; non enim mei moris eſt lexica compilare, alieniſque laboribus frui.

Hinc facile noſces, cur ceteri felicioris tempeſtatis Latini vocem *codex* raro admodum adhibuerint pro γενικῇ *librorum* notione, & uſque dixerint, *libri Sibyllini*, *lintei*, *elephantini*, *pontificum*, nunquam vero *codices Sibyllini*, &c. etenim *codex* genus peculiare librorum erat, (uti etiam ab eo ὑποκοριστικῶς nata vox *codicilli*,) atque inter arctiſſimos ſignificationis cancellos concludebatur. Cumque ipſe bene multos elegantis ævi Scriptores evolviſſem, vix ternos quaternoſve reperi, qui eam vocem adhibuere, atque in ea ipſa διαγνώσει, quam tuemur; uti ſunt Juvenalis in notiſſimo v. 263. ſat. 10. *Nam codice ſævo heredes vetat eſſe ſuos*; ac Suetonius in Aug. cap. 101. qui refert *teſtamentum* hujus principis *duobus codicibus ſcriptum*; vides jam ab utroque Scriptore ſupremas tabulas dici *codices*. Reperi præterea hoc vocabulum pro forenſibus actis, ut non male quidam loquuntur; quæ a cauſarum patronis compingebantur; vadem

Digitized by Google

do Senecam, qui de Porcio Latrone ad miraculum memoriæ vi valente hæc teſtatiſſima reliquit controverſ. pag. 72. *Omnes declamationes ſuas, quaſcumque dixerat, teneret; jam itaque ſupervacaneos ſibi fecerat codices; ajebat ſe ſcribere in animo; cogitata dicebat*, &c. Ne rearis *codices* hic accipi pro quovis librorum genere, philoſopho aperte loquente de ea ſcriptorum ſpecie, quæ ab patronis pro clientum fortunis negotiiſque parabantur; nam ait, Latronem *codicibus non indiguiſſe, cum ſcriberet in animo*. Et Juvenalis irridet quoſdam cauſidicos magna ſonantes, & *grandibus codicibus* negotia civilia præſtantes, ſat. 7. v. 106.

Dic igitur, quid cauſidici civilia præſtant
Officia, & magno comites in faſce libelli?
Ipſi magna ſonant, vel tunc cum creditor audit
Præcipue, vel ſi tetigerit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen, &c.

Demum præſto eſt Quintilianus Orat. lib. 10. cap. 3. circ. fin. qui *codices* dicit legalia ſtatuta, ſive *conſtitutiones*, ut Juſtiniani verbo utar: *Silentium, & receſſus, & undique liber animus, ut ſunt maxime optanda, ita non poſſunt ſemper contingere: ideoque non ſtatim, ſi quid obſtrepet, abjiciendi codices erunt . . . Quid alioquin fiet, cum in medio foro, tot circumſtantibus judiciis, fortuitis clamoribus*, &c. vides hic rhetorem hortari juvenem forenſium ſtudiorum amantem, ut *codices*, ideſt legum libros ne abjiciat delicatulus, ſi quid obſtrepet, ut ſe clamoribus, forique jurgiis obduret; ſane qui cauſas agere concupit, legum exemplaria verſet neceſſe eſt; cui adſentitur Seneca ſuperne laudatus, qui *publicas tabulas* appellavit *codices*. Hinc minime mirandum, ſi veteres legum ingentia corpora, & συλλογὰς vocitarint opportune *codices Hermogenianum*, *Theodoſianum*, *Juſtinianeum*, veluti nomen horum librorum ἰδιώτατον, neque cuivis alteri volumini unquam tributum advertes.

Verum ut meam hanc de *codicis* arcta ſatis notione ſententiam etiam atque etiam firmem, ex Pandectæ quot potis fui, teſtimonia collegi, ex quibus cultiores eos juriſconſultos pro ſyngraphis contrahentium ad pactorum quorumvis fidem, vel pro id genus publicis tabulis adhibuiſſe mihi gaudeo, l. 3. §. 1. D. de tab. exhib. *Si tabulæ in pluribus codicibus ſcriptæ ſint, omnes interdicto iſto continentur, quia unum teſtamentum eſt.* Idipſum legere eſt, l. 1. §. 6. D. de bon. poſſ. ſec. tab. *Sed ſi in duobus codicibus ſimul ſignatis alios, atque alios heredes ſcripſerit*, &c. Vides igitur teſtamenti tabulas nuncupari *codices*. Succinit Ulpiano Scævola l. 88. D. de ſolution. *Filiæ inteſtato patri heredis negotia mater geſſit, & res vendendas per argentarios dedit; idque ipſum codice conſcriptum eſt*, publica ſyngrapha ſcil. Præterea Paullus publicos argentariorum, & nummulariorum libros eadem ſollemni *codicum* voce dicit l. 9. §. 2. D. de edend. jubetque eos cogi edere rationes, *Quia & accipiunt pecuniam, & ero-*

Digitized by Google

& erogant per partes, quarum probatio ſcriptura codicibuſque eorum maxime continetur, & frequentiſſime ad fidem eorum recurritur. Et Cajus l. 10. §. 1. eod. tit. horum argentariorum publicas membranas vocat *codicem rationum*. Eodem pacto loquitur Papinianus l. 45. D. de judic. *Argentarium, ubi contractum eſt, conveniri oportet; nec in hoc dilationem, niſi ex juſta cauſa, dari, ut ex provincia codices adferantur.* Demum in l. 5. §. 8. D. commod. libellum cautionum Ulpianus *codicem* appellat, *Si tibi codicem commodavero, & in eo chirographarium debitorem tuum cavere feceris, &c.* Hæc e grandi Digeſt. corpore exempla de *codicis* διαγνώσει excerpere valui; an ſint præterea, me ſollertior veſtiget, in quibus ſi fortaſſe offendat, pro publicis tabulis valere deprehendet, cum in eo ratam eſſe ſibique conſtantem tot veterum Scriptorum, & jureprudentum fidem oſtenſum ſit.

v. Tenes jam non pœnitenda de genere librorum *codicum* nomine, quos in lege meminere juriſconſulti; reliquum mihi eſt, ut eorum figuram divinem, quam ſi *teretem*, & *cylindri* inſtar fuiſſe enunciem, vero proxima dicere exputo. Certum ſiquidem ratumque eſt Romanos membranas, ſive papyros in ſemet convolutas habuiſſe, nam ubique monumentorum e marmore eas cernimus, atque pleræque togatorum ſtatuæ vel privam id genus membranam convolutam manu ſtringunt, vel propter pedes ciſtulas iis membranis refertas, vel eos libellos teretes faſcia colligatos ſcalpſere artifices; adiſis Regis noſtri fortunatiſſimi Herculanenſe prætorium, ubi plurimæ ſtatuæ, quas vulgo, & ſine vade conſulares vocant, iis cylindricis parvis voluminibus ornatæ ab ejus oppidi ruinis extractæ ſunt, imo, & pictura tibi ſe offert cum duobus hiſce *codicibus*.

Etiam in multis Auguſtorum nummis præſertim Hadriani hunc imp. togatum vides dexteram ſupplicibus provinciis porrigentem, ſiniſtra *codicem*, ſive libellum teretem ſtringentem, qui inſcripti ſunt, *reſtitutori Achajæ: Bithyniæ: Galliæ: Africæ: Hiſpaniæ: Siciliæ: Orbis terrarum, &c.* In aliis numiſmatibus cuſæ ſunt provinciæ ſacrificantium ritu eidem Auguſto id genus ſyngrapham geſtanti cum epigraphe, *adventui Aug. Africæ: Galliæ: Bithyniæ: Hiſpaniæ: Italiæ: Judææ: Mauritaniæ.* Cernes etiam numiſma ejuſdem Cæſaris, in quo nil ſcriptum præter *Coſ. III.* & *S.C.* & ipſum Hadrianum ſtantem toga indutum cum *codice*, manum dantem militi, indeque virum etiam togatum; eandemque epigraphen in alio nummo cernere eſt, Hadrianumque in templo erectum viros tres alloquentem, tereſque in ejus ſiniſtra volumen. Similem libellum geſtat læva hic Auguſtus, dextramque offert *Felicitati* in quadam moneta; ſicuti in non unis, in quibus ejus congiarium vides, convoluta membrana eſt, inſcriptis *liberalitas Aug. libertas reſtituta: providentia deorum: adventus Aug.* Ne dubites, quin obliviſcar ſatis noti numiſmatis hujus principis, in quo legitur, *reliqua vetera HS novies mill. abolita S. C.* ipſeque accenſa face ſyngrapharum, ſive *codicum* ſtruem comburit; & miror Patinum

in

Digitized by Google

in thesaur. pag. 163. pro syngraphis, uti vocat Spartianus, sive libellis cylindricis depinxisse parva quadrangula volumina uncis ornata: quod & fecit Erizus. Advertas rogo in nummis non magni moduli, vel qui eos cuderunt culpa, vel qui exemplar ab iis efformarunt, sæpe hos codices vel obscure, vel subtesta fide oculis objecisse. Ceterum si tot Hadriani numismata inspicere concupias, adi Gesneri tabb. 87. 88. 89. 90. 91. Vide etiam in tab. 44. n. 15. 16. posticam partem numismatis Agrippinæ Neronis matris; & in tab. 29. n. 31. Caligulæ allocutionem, & id genus teretes libros etiam reperies. Si vero tibi otium suppetat, familiarum nummos invisas in Morellio: in duobus gentis Mariæ in semet redeuntes chartas viri togati manibus stringunt num. 4. & summus vir Avercampius quasdam conjectationes profert de his cylindricis membranis, sed omnes ἀπροσδιονύσους.

Verum si rei nummariæ interpretes advertissent hos κυλινδροειδεῖς libellos fuisse vel edicta, vel diplomata, vel interdicta, vel *codices*, publicas scil. membranas, facile divinassent cusos eos Hadriani nummos, quo ostenderetur hunc principem civibus, militibus, urbibus, & provinciis illis immunitatem quandam, aut id genus beneficiorum contulisse; cumque ea Augustorum munificentia scripto mandaretur in publicis scriniis servanda, nihilo melius in nummis eæ principum largitiones exprimi possent, quam si illas in eorundem manibus videas. Si igitur, his animadversis, Hadriani vitam posthac vel tiro in Spartiano lectitet, facile inveniet, quo pacto iis numismatibus omnigenam hujus principis munificentissimi liberalitatem aptet, cum nomina earum omnium provinciarum, urbium, &c. de quibus largissime benemeritus est Augustus hic, commeminerit Spartianus. Idipsum cogites de nummis Mariæ gentis, & ceterarum, quæ remp. ingentibus benefactis affecerant. Contra vero advertas, si principes quid abolere jusserint, in nummis cernis eos syngraphas, sive convolutas hasce membranas incendere, uti in numismate laudato inscriptoque, *reliqua vetera . . . abolita*. Gratulor sane hanc meam divinationem de *codice*, tum in statuis scalpto, tum in numismatis cuso, Dominicum Roncam concepto veluti vadimonio comprobasse, virum συμπολίτην, rei nummariæ, & Romanæ vetustatis præ omnibus callentissimum; quanquam ceteroqui non vice simplici expertus sim in aliorum nummorum judicio solida, suavique austeritate adversarium.

VI. Ne me moreris, ut præstem pro horum numismatum interpretationis veritate exempla, queis constet imperatores edicta libellis mandasse, cum milites, urbes, & provincias munificentia aliqua honestassent; plenæ enim sunt ejus rei veterum Scriptorum chartæ; quo brevis sim, privum apponam ex Capitolino in Gordian. p. 84. *Nam cum quadam die factum imperatorium* (Gordianus) *legeret . . . acclamatum est: Novo Scipioni, vero Scipioni, Gordiano proconsuli;* quæ verba ut percipias, adscribam, quæ magnus Salmasius adnotavit: *Quodnam istud factum imperatorium esse*

Digitized by Google

esse, aut quid eo nomine appellari dicemus? non dubito edictum, vel rescriptum imperatoris ita vocari, qualia ad proconsules, & reliquos provinciarum praesides mittebantur, ad provincialium, quibus praesidebant, aut etiam totius Reipublicae utilitatem spectantia. Sed quis rescriptum imperatorium, factum unquam appellari audivit? qui nusquam hoc audivit, heic audiat. Inde vir aeternae lectionis eruditissime more suo probat *factum* peraeque esse, ac edictum, & Graece πραγματικόν, vel πραγματικήν· & prave legi in Cod. *fata causarum* pro *facta causarum*, quam succi plenam adnotationem adeas rogatum te volo.

Vide etiam epistolas Plinii, ubi non una Trajani edicta in Asiam missa meminit: exemplo sit epist. 71. lib. 2. pro re nata κυριωτάτη, *Magna, domine, & ad totam provinciam pertinens quaestio est, de conditione, & alimentis eorum, quos vocant* θρεπτούς (nutritios, alii legunt ἐκθετούς, expositos.) *In qua ego auditis constitutionibus principum, quia nihil inveniebam aut proprium, aut universale, quod ad Bithynos referretur, consulendum te existimavi, quid observari velles. Neque enim putavi posse me in eo, quod auctoritatem tuam posceret, exemplis esse contentum. Recitabatur enim apud me edictum, quod dicebatur divi Augusti ad Annium pertinens; recitatae & epistolae divi Vespasiani, & Domitiani ad Avidium Nigrinum, & Armenium Brocchum proconsules; item ad Lacedaemonios, quae ideo tibi non misi, quia & parum emendata, & quaedam non certae fidei videbantur; & quia vera, & emendata in scriniis tuis esse credebam.* Hinc colligere palam est tot provincias *edictis*, ac *constitutionibus* ab his Augg. exhilaratas, quae pro αὐθεντικά in publicis actis, & scriniis servabantur: vid. Plin. lib. 5. ep. 14. *Petendum ab optimo principe, ut quia leges, & senatusconsulta contemnerentur, ipse tantis vitiis mederetur; pauci dies, & liber principis severus, & tamen moderatus, leges ipsum, est in publicis actis.* Addas l. 19. *omnium* Cod. de testament. quae proinde scrinia haec *sacra* audiebant, adi adnot. in Plin. ep. 6. lib. 6. & Ulpian. *archia*, & *grammatophilacia* etiam vocat l. 9. §. 6. D. de poen. Quae cum ita se habeant, factum bono jure dicas, ut hoc genus benefacta Principum in res publicas, ac provincias collata, & codicibus scripta in nummis cuderent; & ut imperatoribus fucum facerent, teretes hos libellos in eorum dextra apposuisse cernimus, & epigraphen *restitutori Achajae, Bithyniae, &c.*

Neque mihi molestissimus sis, atque obstrepes, si haec omnia principum scita *codices* vocitata sint, fore ut iterato in quavis plagula historicorum Scriptorum eam vocem legeremus, verum in illam adeo raro incidimus, ut nihil supra; repono autem opportune id genus libellos placuisse appellari non a γενικῷ nomine *codices*, sed potius ab ipsa scripturae ratione, atque a formulis, quibus concipiebantur; ideoque audiunt, *edicta, jussiones, interdicta, constitutiones, decreta, senatusconsulta, facta, leges, epistolae*, & sexcenta id genus nomina; & perquam raro

Scri-

Digitized by Google

Scriptores voce *codex* abusos legere est, quæ quippe eas omnes nomenclaturas concludit, quas in scribendo nisi singillatim distinxissent veteres, obscuritate laborassent. Et advertas rogo, eosdem Scriptores nullo alio nomine ea honestasse, nimirum neque *voluminum*, neque *libellorum*, neque *membranarum*, vel *pugillarium*, &c. cum non de figura, vel de materia eorum cogitarent, sed dumtaxat scripturæ modum, ac genus curarent, quo veritati ac claritati magis consulerent. Quanquam superius exempla protulerim, queis aliquando has syngraphas *codices* dictas ex Cic. Suet. Juven. & ex Pandecte abunde præstitum sit.

Præterea si numismata, & marmora non exstarent, quæ eorum χήματα ostendunt, atque exemplaria tantummodo præferunt, ea nos temporum beatitate fruimur ob Regis domini nostri munificentiam, ut ipsa archetypa eo numero, quem vix credas, convoluta nimir. volumina papyro compacta, atque ex eodem oppido effossa intueri, contrectari, & quodammodo etiam lectitare datum sit, quæ inferius, qua satis sum sollertia, describere in animo est. Hinc me nihil a vero aberrare dicas, si tot teretia volumina, quæ in Herculanei oppido reperta sunt, id genus libellos esse pronunciem, queis imperatores illud municipium benefactis plurimis collatis honestarunt: additis etiam publicis contractuum nuptiarum, emptionum, testamentorum, &c. syngraphis: etenim quæ pauca verba nobis legenda fors obtulit, eo referri visa sunt. Imo ingens eorum numerus, atque omnium teres figura cogit sane, ut locum, unde tumultuarie extracti sunt, publicum Herculanensium scrinium, sive archium facile augurari quisque possit.

VII. Si nihil igitur dubii est ex tot monumentis parva in se redeuntia volumina Romanos habuisse, peculiare nomen eis appositum oportuit, & neque *libros* dicas, utpote nimis γενικόν vocabulum, neque *volumina* vocites, eo quod quadratorum proprium, ut paullo ante multis demonstratum est; quare sine periculo *codices* audivisse mecum fatearis necesse est; etenim cum ea parva libraria corpora exstitissent, ἀνώνυμα esse haud quivere. Siquidem, quod grande mihi momentum est, cum bene multis evicerim. *codices* fuisse librorum genus ad contractus celebrandos, atque ad fori, & patronorum ministeria dumtaxat destinatum, imo & pro legibus ipsis accipi, eos dumtaxat appositos vides forensium virorum, consularium, prætorum, idque genus hominum statuis; quare contendendi cupidus eosdem *codices* dici inficiabitur. Adde, si bene multa illorum virorum signa convolutos libellos simulque colligatos referunt, nunc primum nosse, quid sibi velint Juven. v. 106. & seqq. sat. 7. quos iterato appono:

Dic igitur quid causidici civilia præstant
Officia, & magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant; sed tunc cum creditor audit
Præcipue, vel si tetigerit latus acrior, illo
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.

Nimi-

Digitized by Google

Nimirum canit cauſidicos ſolitos celebrare forum cum faſce codicum, qui quidem conſularium faſcium ſpeciem referebant; neque dubites, quin *libellus* ſit *codex*, nam mox eo nomine compellat. Præterea ſolummodo convolutos fuiſſe *codices* edicere videtur Ulpianus, qui definit conſtaſſe vel ex *membranis*, vel ex *chartis*, vide ſuperne pag. 253. quæ unæ in ſemet redire poſſunt, & teres quid effingere; contra vero *volumina*, inquit, compacta etiam ex *tilia*, & *quo alio corio*, i. e. quovis duro ſtrato, ut me docet Mazochius in Dipt. Quir. pag. 5. & *codicillos* ex *ebore*, utpote & volumina, & codicilli quadrangulæ formæ confiebant; hinc majorem lucem iſthæc Ulpiani verba adſequi vides, &, quæ antehac affecta, me jure ſanaſſe, ac mixta probe diſtinxiſſe pag. 158.

Quæ prolixiora de notione, & figura *codicis* a me excuſſa ſunt, dummodo te non pœniteat obliviſcenda & perdenda fateri, quæ a teneris contraria didiceras, ſi acceptes, verba Ulpiani ajentis *in legato librorum deberi etiam codices*, in ſuam lucem reſtituta deprehendes; nimirum, cum codices eſſent teretes libelli, & formæ ratio longe diverſa a communi, ac ἰδίῳ quadratorum librorum genere, facile quis dubitare quiverat, an in γενικῷ eo legato includerentur; quare merito jureconſultus edicit codices etiam contineri; non enim χῆμα teres prohibere debebat, quominus legatarius cum libris etiam codices adquireret, cum non quadrangula, vel rotunda voluminum forma, ſed ſola ratio ſcripturæ æſtimanda eſſet; quæ legati verba luculentius, licet brevius Ulpiano Paullus in 3. recept. ſent. tit. 6. §. 87. enuntiavit: *Libris legatis, chartæ volumina, membranæ, & philyræ continentur: codices quoque debentur; librorum enim appellatione non volumina chartarum, ſed ſcripturæ modus*, (i. e. ratio,) *qui certo fine concluditur, æſtimatur*: hinc uſque mihi mirandum eſt univerſos Ulpiani, & Paulli doctiſſimos interpretes, *codices*, qui an deberentur, dubitabatur, in eo legato accepiſſe pro libris τετραγώνοις, cum hujus quadratæ figuræ corpora certo continerentur; contra vero in prima, & γενικῷ hujus legati enuntiatione, *libros*, & σωληνωμῶς *volumina* accepiſſe pro teretibus, qui veluti alterius ſpeciei erant, & an in librorum cenſu æſtimarentur, ambigi poterat: atque eoſdem clariſſimos viros adeo animi mente turbatos indoleſcendum eſt, ut neque tot veteres *codicum* ſcalpturas in marmoreis monumentis, ſtatuis, ac numiſmatibus adverterint, & quam raro bonæ ætatis Scriptores *codicis* vocem meminerint; *libros* vero ac *volumina* ad ravim uſque recinant. Atque plura, quam paraveram pro luce, & medela legis 52. D. de leg. 3. an probe officio meo interpretis functus ſim, tutemet cogites.

VIII. Venia mihi ſit, ſi, tanquam σχόλιον, pauca quædam de famoſa jam ῥήτει *codex* hic addam, quæ fortaſſe lectu haud injucunda, & ut præteream, a me impetrare nequeo. Iraſcor ſane veteribus ſculptoribus, qui in veterum poetarum, & philoſophorum manibus teres volumen appo-

Digitized by Google

ſuere, ut eo ſymbolo & indicio illorum ſcripta opera, & vitæ genus oſtentent intuentibus; ne ſexcenta exempla horum artificum oſcitantiæ hic aggeram, ſatis ſit marmor Homeri ἀποθεώτεως, Romæ in ædibus Columnenſium ſervatum, quod Cuperum æterno doctiſſimoque commentario honeſtaſſe gaudeo, quodque vel Homericarum rerum tirones norunt; in eo ſaxo ſcalptum vides cæleſtem vatem librum κυλινδροειδῆ dextra ſtringentem; & piget me non inelegans ſcalpturæ opus eo errore notatiſſimum. Ut taceam aliud hujus ſummi vatis anaglyptum, cujus exemplar profert Laur. Begerus in Theſ. Brandeburg. to. 3. pag. 321. & Montfauconius bis incidi curavit in Antiq. explan. to. 4. par. 2. pag. 302. & in ſupplem. to. 4. pag. 82. ubi Homerus baſi icunculis ornata inſidet, tereſque volumen partim explicitum attente lectitat, quam ſcalpturam tum ob cylindricam membranam, tum ob inelegantiam ne antiquiſſimam dicas. Et ut nova prodamus, ad immortale Regis D. N. decus ex Herculanei ruinis extractum eſt longe carius, & elegantius monumentum præ eo, quod Columnenſes viri principes jactant, Homericamque etiam ἀποθέωσιν præſefert tanto melius excogitatam, quanto argentum marmore majoris valet; verum nunquam argentario quis parcet, qui etiam in divini vatis dextera teres volumen effinxit, cum apponendum fuiſſet quadrangulum.

Piaculi inſtar reor, ſi informem hujus regiæ gazæ præ omnibus eximiæ deſcriptionem exteris invideam; utinam ipſe hujus ἀποθεώτεως breve exemplar ab harum rerum cuſtode, quo hic apponerem, licet enixe rogato extundere potis fuiſſem, (nam ab ipſo ſero illud exſpectamus, qui res majoris momenti labore Herculeo, ac docte edenda cenſet.) Porro vas tibi ſe offert ex ſolido argento libræ fortaſſe unius pondo cum dimidio, cujus forma æquiſſima eſt mortariis noſtratibus ſine anſis ex ære conflatis: ejus altitudinem dicas unciarum circiter ſeptem: diameter ſuperior fere ſenarum, inferior arctior ἀναλογικῶς· vaſis totius craſſitudo tertiam pæne unciæ partem exæquat, quod interne quidem omnino læve eſt, & tactu nihil aſperum, externe opere anaglyptico apprime exornatum; etenim lamina etiam ex argento exteriorem omnem vaſculi ambitum veſtit; in cujus lamellæ poſtica facie artifex, antequam vaſi eam efferruminaret, malleolo, & cælo figuras tundendo impreſſit, ac formavit, quo in antica eminerent perpolitæ atque elegantes. Undique vaſis faciem ornant implexæ ſimul fictæ ad ingenium foliaturæ, niſi quod ab icunculis quibuſdam impediuntur atque occupantur. Siquidem prope ſuperiorem vaſculi gyrum vides ſenem ingenti aquilæ ſatis apte inſidentem, quæ grandibus expanſis alis, & unguibus longævi ſenis pedes molliter ſtringens, dorſoque regens per aera circumvectat; ille dextra promiſſiorem barbam ſuperne torquet, ac mulcet; læva vero fert teres volumen; quem ſenem nemo mihi eripiet, quin ſit magnus Homerus; etenim inferne ad ſiniſtram cernere eſt virum ſedentem, altera tibia ſupra genu dextrum innixa, quem

vides

Digitized by Google

vides toto pectore, ac oculis de itineribus cogitabundum, manu dextra frontem prementem, siniſtra erectum remum geſtantem, parazonio præcinctum, atque habitum, ac indumenta viatoris potius, quam ducis præferentem; hunc Ulyſſem eſſe quovis pignore dicas, i.e. Homeri Ὀδυσσείαν. E regione hujus Ithacenſis herois aſſidet etiam juvenis, (ita ut Homerus in aere medius ſit,) thorace indutus, galea criſtis horrida tectus, haſta, & rotundo clypeo armatus, hilari vultu, atque alti animi plenus; quis autem mihi reſtiterit, quin ſit Achilles, ſive Ἰλιάς; Supra Homeri caput bina probe compacta pomorum, ac foliorum ſerta ab labro vaſculi illigata pendent; binique cygni prope tantum vatem dextra ſiniſtraque circumvolitant, quos duplex ejus divinum poema συμβολικῶς exprimere nullus neget.

Hæc brevis, ac ſat rudis elegantiſſimi vaſculi ὑποτύπωσις, & longe præſtantius ac vivacius artificis ingenium elucet in hac Homeri apotheoſi, quam in illa, quæ in ædibus Columnenſium viſitur, utpote languoris plena eſt, nec multa arte floret, quas ſi ſimul compares, mecum dubio procul jurabis. Quantivis pretii id vaſculum faciendum reor, atque haud ſcio, an Rex fortunatiſſimus inter innumerabiles vetuſtatis gazas, quas reperit, quid auguſtius, aut elegantius excogitatum ſervet; ipſe autem quoties ad ditiſſimum hoc regium cimeliarchium viſendum accedo, accedo autem frequentiſſimus, vaſculum δαψιλῶς contemplor, atque utpote tanti vatis jucundiſſimis deliciis innutritus, incredibili ſuavitate perfuſus egregium hoc vetuſtatis λείψανον deoſculor. Mihique gratulentur συμπολῖται, quod poſthac non tam Romanis, quam Neapolitanis κυριωτέραν magni Homeri apotheoſin exteri invideant; atque utinam hujus vaſculi exemplar cito per urbes univerſas volitaret, quod ab providentiſſimi Regis imperio, ac munificentia ſperandum eſt. Ceterum ſi hanc meam certam ratamque divinationem quis vel neget, aut in dubium vocet, næ is infeſtos Homeri manes ac genium, quin & Muſas iratiſſimas patietur; quare furiis devovi virum illum, qui in Herculanenſi cimeliarchio ξεναγωγός eſt, atque mihi ceteriſque hoſpitibus vaſculum Homericum oſtentans, nihilque veritus docebat in eo ſcalptam Valerii Flacci poetæ ἀποθέωσιν, idque ajebat ſe ab tranſmarinis ἀρχαιολόγοις didiciſſe, quippe qui ex remo, quem intuebantur, Argonauticorum libros hariolabantur. In quantis hæc opinio peccet, vel tiro novit; nihil igitur mihi reliquum fuit, quam ut περιεργητὴν illum commonefacerem, quo in poſterum advenarum auribus non Flaccianam eſſe, ſed Homericam apotheoſin ingereret, quod jam ſubentiſſime præſtat; raptamque vatum principi θεότητα reſtituendam curavi. Si demum petas, ubi gentium conflatum ſit hoc inſigne monumentum, in ſequenti hujus operis libro Neapolitanum ejus artificem fuiſſe evincam, ſiquidem cives meos præ gentibus univerſis Ὀμηρικωτάτους audiviſſe conſtat.

IX. Verum perdiu cum Homero verſati ſumus; agedum, unde diverterat,

Digitized by Google

terat, ſermo redeat, ad pictorum ſcil. & ſculptorum *codices*, ſive libros teretes; neque dubitandum eſt, quin hi artifices, cum in imperatorum, conſularium virorum, & cauſidicorum imaginibus, ac ſtatuis pictos, & ſcalptos convolutos in ſemet libros cernerent ignari, cur id genus hominibus apponerentur, poetis etiam & philoſophis tribui poſſe rati ſunt; licet ſæpe etiam quadrangulos cælarent, vide ſuperne Muſæ pag. 241. & ludimagiſtri pag. 87. imaginem; & quis ignorat tot pictorum, & ſculptorum errores, eorumque quidlibet audendi ingenium? Verum (mihi fidem præſtes rogo,) in Herculanenſibus picturis, in queis libros vides, gratulor omnes eſſe quadrangulos, eos ſcilicet, qui virorum, vel mulierum manibus teruntur; inter ceteras parva pictura uno circiter pede alta, peræque & lata viſitur, in qua aſſidet ſenex rotunda barba honeſtus, ac regens baculum, qui puellam formæ elegantiſſimæ ſibi adſtantem, grandemque librum bipatentem attente lectitantem auſcultat; præterea eſt & alia duplo pæne major, in eaque cernere eſt puellulum alatum inter undas delphino equitantem, & Apollini, vel Arioni in littore cum lyra ſedenti parvum libellum τετράγωνον, ac recluſum porrigentem; tertia aliquanto etiam grandior nobis objicit virum ſedentem, & dextra quadratum librum clauſum tenentem, qui læva neſcio quas incomptas icunculas in ſcrinio vix aperto ſublatitantes oſtendit, quem virum hariolum interpretor; implerem omnem ceram, ſi reliquas picturas, ubi quadranguli libelli inſunt, perſequerer; quare manum de tabula; &, cum omnibus hoſpitibus proſtent, diris mactandus, qui has Regis noſtri ἀφθόνους gazas Crœſi divitiis longe majoris faciendas non inviſat.

Itaque, ſi pictores, & ſtatuarii pro quadrangulis voluminibus teretia in poetarum, & philoſophorum manibus appoſuerint, lubens eiſdem parcendum, quoniam mores hominum, rerumque veritatem poſthabentes, venuſtatem potius, atque elegantiam, quo oculis intuentium imponerent, curarunt. Hinc non in unas tabulas incidi, ubi puer Jeſus cum Hebræis diſceptans in templo depictus eſt, vidique mixtos τετραγώνους libros cum cylindricis, quin & longioribus bacillis ornatis, uti eſt illa latiſſima Lucæ Jordani συμπολίτου, quam elegantiſſimæ artis plenam vidi, & cui ineſt vivax gratia, eam Eminentiſs. Card. Spinellius adquiſivit, Romamque ſecum tranſtulit: cujus erectiſſimum ingenium tum ad quaslibet graviores ſcientiarum diſciplinas pronum, tum ad haſce delectationis plenas artes æſtimandas paratiſſimum mirati ſumus. Cernere etiam eſt in Sanctorum Apoſtolorum noſtræ urbis Jo. Evangeliſtam in volumine ſatis longo ſcribentem ab magno Lanfranco in uno ex tholi angulis ad miraculum depictum; licet in maximo Jeſuitarum templo librum quadrangulum expreſſerit; & nos evidenter præſtitimus pag. 226. Hebræos veteres privis bipatentibus libris uſos; verum hi maximi nominis pictores ab Rabbinicis noſtri ævi libris decipi paſſi ſunt. Et plenus irarum ſum adverſus hos elegantes artifices, dum tueor neminem eorum

vel

Digitized by Google

vel Prophetis, vel Evangeliſtis, vel Græcis, Latiniſque Eccleſiæ Patribus, quos ſcriptitantes coloribus fingunt, calamum Memphiticum, ſive Niloticum apponere, verum juratiſſimos omnes contra cunctorum Scriptorum fidem pennas anſeris appingere; vides igitur, quam caute mores hominum, & rerum hiſtoriæ ab eiſdem hauriendæ. Non igitur mirum, ſi Homericæ ἀποθεώσεως artifices maximo vati teretem librum pro bipatente tribuerint; unos vero dicas fidei plenos, qui nummos cudebant, eo quod in iis flandis feriundis publica auctoritate opus erat.

Picturas autem, & ſcalpturas Chriſtianorum non curamus, utpote barbaras, & inſipientis ſæculi fœtus: quorum auctores, prout eis libido erat, nunc codices, ſive convolutos libros, nunc quadratos in ſanctis imaginibus pingebant; eos etenim eſſe longe diverſos ignorabant. Hoc diſcrimen cum Aringhum lateret lib. 6. c. 16. Rom. ſubterran. ipſe ad quid μυστηχώδες confugit; & miror hanc Aringhi ſententiam multis arriſiſſe, quos inter Trotzio de pr. ſcr. orig. p. 590. Attamen detecta vera codicum, & voluminum differentia, pia hæc interpretamenta facile refelluntur ac elevantur.

x. His omnibus de voce *codicis* animadverſis, quod grandius operæ pretium eſt, & in re litteraria magni intereſt, jubeo omnes cavere, ne huic bono vocabulo injuriam poſthac creent, (quæ noſtrorum ſæculorum contumelia eſt,) & in γενικῇ ſignificatione quorumcumque librorum abutantur, ac detorqueant: quod peccatum veluti contagium omnium quanquam litteratiſſimorum hominum pectora afflavit, ne Mazochium quidem eximas, quem ipſe tanquam ſanctiſſimæ Latinitatis myſtam ſemper ſuſpexi: is ſane cum in Dipt. Quiriniano pag. 25. exemplar *textus Hexaplaris* mirifice interpretetur, qui in Chiſiana bibliotheca Romæ ſervatur, ad ſatietatem appellat *codicem Chiſianum*. Itaque doctos, ac laborioſos libros vix evolventi mihi ubique incurſandum eſt in iſthæc odii plena verba horum eruditorum hominum, qui, quantum potuerunt, dixere, *codex Vaticanus*, *codex Mediceus*, *Ciceronis codices*, & his ſimilia; quæ quidem ſacco ſeruntur, non manu in doctis variorum, ut ajunt, adnotationibus; & cane, Scyllaque pejus vocabula aufugerunt univerſi ſacramento indicto, *volumen Palatinum*, *membranæ Barbarinæ*, *Chiſianæ*, *libri m. ſc. &c.* exputantes tunc non mirifice loqui, & in ſermonis vitia urgere; verum in contraria currunt, & eadem chorda ſemper oberrantes vides. Etenim ab voce *codex* eo, quod in bonæ tempeſtatis Scriptoribus rariſſima ſit, quin, ut a me pag. 259. demonſtratum eſt, plerique omnes ne meminere quidem, licet grandia volumina illeverint, facile ſibi cavere poterant, ejuſque ῥήσεως inſitam notionem veſtigare, quam jam nos ſuperne multis verbis aperuimus, intraque arctiſſimos cancellos concluſimus eadem pag. E contrario in iiſdem, qui & reipub. & primorum Cæſarum ævo prorſa, vel verſa oratione ſcripſere, voces *libri*, & *volumina* in quavis plagula celebratiſſimas reperire eſt; & male mihi ſit, (ne id mihi invideas, conſului enim

Digitized by Google

enim omnes,) ſi uſquam Latinarum gentium ſcriptum invenias, *Homeri*, vel *Platonis codices*; contra vero ſexcentena vice, *volumina Homeri*, &c. lectitas; uti habes vel ab Ulpiano in longiori lege ſuperne laudata, licet is non ſit ex caſtiſſimæ linguæ Scriptoribus.

Hæc autem Latiaris ſermonis labes præpoſtera ætate invecta eſt; itaque Hieronymum inter primos adcenſeas, quem promiſcue uſum eſſe adverti vocibus *codices*, & *volumina*, ita ut doctos tanti viri commentarios ea macula turpes indoleſco: quanquam ceterum ei gratiam habeam, qui inter ſacra volumina, in quibus vel vertendis, vel antiquæ fidei reddendis ſatis diu adlaboravit, ſemel βῆσιν *codicem* pro γενικῇ ratione *libri* immiſit, nim. in Eccleſiaſtici cap. 50. v. 29. *Doctrina ſapientiæ, & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Jeſus filius Sirach Hieroſolymita*; neque credas in Græco κειμένῳ eſſe vocem, quæ peculiare libri genus adnotaret, ſed tritam illam βιβλίον. In reliquo & veteris, & recentis teſtamenti corpore ſibi cavit, & mixtim ſexcenties nunc *volumen* probe illevit, nunc *librum*; urgebat enim ipſum vis, atque veterum vehemens auctoritas.

Itaque poſthac voce *codex* nobis abuti interdictum eſt, neque de Latialium vocabulorum poteſtate, & norma loquendi ad poſteriorum temporum litteratiſſimos provoces, cum in ἰδιότητι, & δεινότητι linguarum mens veterum Scriptorum quærenda ſit, non recentium virorum doctiſſimorum patrocinia, vel vadimonia. Quare ne tibi imponant, aut turbent, quæ Cujacius initio Codicis Juſtin. nec quæ Briſſon. de verb. ſignif. nec quotquot ſatis prolixa Salmaſ. de mod. uſur. pag. 405. & in Vopiſc. p. 699. ut Schultingium, Heineccium, & Mazochium, præclara ſane nomina taceam, de hac voce adnotarunt; nam pro vulgata ſententia amice vides juratiſſimos, nec ab ea tot veterum teſtimoniis adeo locupletibus dimoveri paſſi ſunt. Itaque mucidam illam dicendi formulam *codices Vaticani*, *Homeri codices*, κ. τ. λ. ad barbaras, & tranſmontanas gentes ablegemus, atque Italiæ cultioris elocutionis magnæ parenti & altrici ſtet vetus honos & candor verbis, *volumen Heſiodi*, *liber membraneus*, &c. tandem poſtliminio revocentur in patriam. Et reor fortaſſe te jam advertiſſe me in hoc cujuſcumque pretii atramentario opere veterum Scriptorum veſtigia prementem attente vocem *codex* pro γενικῇ *libri* notione evitaſſe.

Interea ne mihi moleſtus ſis, quod perdiu inter codices te detinuerim, in cauſa fuit Ulpiani lex ab interpretibus obfuſcata, & librariorum peccato vexatiſſima, quam hos quidem corrumpere auſos eſſe advertimus, illos in ea teretes libros confinxiſſe; quare, cum ipſe id genus libraria cylindri inſtar corpora Romanis ignota enunciaverim, nec tempori, nec labori mihi parcendum fuit, quo Ulpiani mentem, collectis undique monumentis, aliam prorſus fuiſſe aperirem, ejuſque verba ſanarem; & τὸ *codex* non lata notione voluminum, ſed ſat arcta accipiendum evincerem.

XI. In extrema hac cera ſervavi quid de *codicis* etymo delibare; fateor me nihil ab orientis linguarum opulentiis, vel a perenni Græcorum

fonte

Digitized by Google

fonte trahere, vel ſaltem detorquere valuiſſe, ut vetuſtiorem vocem huic Latiali aptarem ac fingerem; quare dicendum τὸ *codex*, vel *caudex* eſſe ex primigeniis, quæ in Latio natæ ſunt, uti eſt etiam vox *liber*, cum valet βιβλίον, licet hæc aliquanto felicior ſit, quæ ortum ſuum acceptum referre poſſet voci plenæ vetuſtatis ספר, quæ tirones norunt *librum* eſſe, dummodo ſcribas לפר: neque dubites, quin ſibilus in ל facile mutetur, cum exempla proſtent non ex nuperis, ſed ex vetuſtis grammaticis ajentibus bina ea elementa facile permutari, uti in ῥῆσει *cælius*, & *cæſius*; quod tenes ex Gell. lib. 2. c. 26. circ. fin. *Noſtris autem Latinis veteribus cæſia dicta eſt, quæ a Græcis γλαυκῶπις, ut Nigidius ait de colore cæli, quaſi cælia*; neque urgeo, ut id etymon τῶ *liber* acceptes nunc a me cuſum, cum hac de re mentem meam pag. 81. propalam fecerim. Contra vero nil ſimile in voce *codex* mihi ſuccurrit, neque quid (ut utar augurali formula) *addixere aves*; & ſane τὸ *caudex* rugoſum quid præ ſe fert, ut ex ſimplici ſinceraque Hebræorum lingua extundam. Neque mihi crees negotium, atque objectes Mazochium, quem ſaluto præ me longe ἐβοῶσι doctiorem, vocem *codex* puram putamque reperiſſe immixtam Chaldæis, Syriſve, ſcilicet גורא, *aſſer*, *tabula* in Dipt. Quir. pag. 5. etenim reponam id vocabulum novum eſſe, neque inter orientis gentes natum, & ne, quod ſæpe a me atque ab aliis inculcatum eſt, recinam, & exempla proferam, ea videas pag. 82. ratum eſt enim Syros, ac Chaldæos ſequioris ævi ab Græcis, Latiniſque ingentem vocum numerum ſubfuratos eſſe, atque pro ſuæ linguæ ingenio emolliviſſe; quarum Latialium non ultimam dicas גורא: præſertim cum Buxtorfius laudet nullius notæ teſtes in lex. Talmud. Chald. a quo vocem גורא exſcripſit Mazochius, inquit enim Buxtorfius גורא, *aſſer*, *tabula*, *qua pons ſternitur*, laudatque *Chagiga*. Quare præſtat τῶ *codex* originis ignorationem fateri, quam adulterinas orientalis ἰδιώματω opes proferre ac venditare: quod fortaſſe advertens Voſſius hanc Syram vocem in ſuum etymologicum immittere longe abhorruit.

Reliquum eſt, ut a *codicibus* me tandem extricem, & deſponſam non fallam fidem, quos Rex fortunatiſſimus in Herculanei oppido reperit, διὰ βραχέων exteris gentibus communicem; nam ab eorundem cuſtode & deſcriptionem, & χῆμα ſero deperibunt, cum vir doctus ſit delicatiſſimi faſtidii, pigetque inter hanc ſanctæ antiquitatis plenam urbeculam verſari; quare volupe ei eſt potius inter grandia, & ſat nota Græcanica, vel Memphitica monumenta ſpatiari, chartiſque illinere. Itaque vix perfuncto mihi hac, quæ, ut vides, multam olet lucernam, de quadrangulis, falſiſque cylindricis veterum libris lucubratiuncula ſummæ alacritatis nuntius affertur ab Herculanenſis oppidi viſceribus plurima teretia volumina extracta; quare, ut meus eſt mos, illico, maximiſque itineribus illuc inter primos advolare curatum eſt, neque ſimplici vice: ut brevis ſim, atque exteris auguſtiſſimi Regis id genus gazas margaritis cariores

Digitized by Google

res communicem, vidi, tetigique pluries fere ſexagenos libellos in ſemet convolutos univerſos papyrinos, quorum bene paucos infractos, licet contuſos, reliquos in fruſta effodientium operarum malignitate & contumelia conſciſſos: horum ſane longitudinem palmarem, diametrum duorum fere digitorum reperi, quanquam fateor fruſta quædam his paullo grandiora oblata mihi fuiſſe: ceterum hos *codices* æquæ magnitudinis dicas iis, quos in ſtatuis conſularibus ſcalptos vides. Ab utraque extremitate quamplurimæ apertiſſime comparent in ſemet convolutiones, a centro quidem parvæ arctiſſimæque, quæ ἀναλογικῶς increſcunt ad ultimam περιφέρειαν· verum animus refugit dicere cum Phædro lib. 5. fab. 6.

. . . . *Sed fato invido*
Carbonem, ut ajunt, pro theſauro invenimus.

Et quidem nihil aliud, quam teres negotium vides, & nigerrimum, quod ſi evolvere tentes, in cinerem abit. Verum ne credas Regem providentiſſimum tanti pretii opes omni cura minime juſſiſſe aperiri, atque introſpici, viroſque mechanicos, ac laborioſiſſimos longe gentium acciviſſe, qui jam improba patientia eorum codicum ſpiras ſejungere, atque extendere ſatagunt; & ſane partes non magnæ longitudinis acri ingenio, inſtrumentis, ac quibuſdam variis tenacis glutinis auxiliis expanſæ ſunt, in quibus quædam verba, aliquando verſiculi lectu haud difficiles objiciuntur, ſed adeo fugientibus litteris, ut voces intueamur, ſententiam nullam colligere potis ſimus.

Ad hæc, ſcriptionis ratio non ita ſe habet, ut quanta eſt ea papyrus, longiſſima ſcilicet, ſi extendi poſſit, verſus per eandem longitudinem exarati ſint, ſed breviſſimos vides, & ad parvas columnas binos circiter digitos latas conformatos, quos ſuperne deorſum facile legas, exiguo admodum ſpatio inter eaſdem injecto: omnes fere hi codices Latiari lingua illiti ſunt: unum Græce ſcriptum, alterum ignotiſſimis prorſus characteribus tinctum inviſi, quos neque Etruſcos dicas, neque Punicos, quam longiſſime enim ab iis diſtant, ſed ſi hariolari licet, Sabinos ſalutarem, nam has oras eam gentem inſediſſe non multis ante excidionem Veſuvinam annis, quam Sullam tandem peſſumdediſſe conſtat. Elementa, ut moris erat, majuſcula ſextam plus minus unciæ partem exæquant; in quibuſdam libellis paullulo minora non ea elegantia, quæ ſub Trajano vigebat, ducta. Voces ſingulæ punctis diſtinctæ, & præ ipſa papyro exuſta nigriores, quæ tenuiſſima eſt, atque exilior, ut quævis ex noſtratibus membranis elimatiſſimis. Utinam explicandi artis plenum & laboris tentamentum ad Regis decus, & litteratorum hominum vota inane non ſit ac mendax; quis tantum principem non beatiſſimum prædicaret, qui Auguſteæ ætatis fere plena bibliotheca codicum ad omnium Regum invidiam unus diteſceret? Interea nos iram ſimul doloremque vix concoquimus, qui ejus ſæculi tot litterata monumenta, tanquam Tantalea noxa damnati ob oculos habemus, manibus terimus; legere autem atque

Digitized by Google

que evolvere fatorum iniquitate, ut de iis, quæ in eisdem exarata sunt, exteros certiores faciamus, prohibemur.

Vix isthæc e prælo typographorum exceperam, cum rumusculus ad aures pervenit ab Herculaneo iterato vim insanam aliorum teretium libellorum extractam; continuo illuc festino simillimus accurro, & revera Regem beatissimum eam ditissimam codicum gazam eodem loco, unde primos eductos novimus, reperisse gratulabundus suspexi, ita ut primi recentesque jam plus minus ducentorum numerum exæquent. Quod autem plurimum voluptatis attulit, fuit fere omnes me invisisse eadem magnitudine, qua priores descripsimus, nam pauciſſimos grandiores vides: verum nisi ipse, & custodes decipiamur, secundos hos codices minus adustos explicationi fore non tam improbe refractarios ac contumaces sperandum est. Interea dum per παράδοξον Regis nostri cimeliarchium versabar, adverti bina papyri fragmenta Græce illita, lectu facillima, elementis decimæ unciæ parti respondentibus, sed longe diversis ab iis, quæ in membranis quarti, vel quinti Christianorum sæculi oculis usurpamus, ita ut novam, & vetustiorem palæographiæ normam adepti simus; inque uno ex binis horum codicum fragmentis solidam columellam ingenti perfusus gaudio perlegi, licet voces indistincte exaratas cernerem, nulloque spatiolo distractas, quam sane exscripsissem, nisi custodes, quos melius litterariæ reipub. hostes dicas, me tanquam libellorum raptorem acerrime prohibuissent. Et quis mecum non succenseat viro cimeliarchii, harumque divitiarum præfecto, qui Herculem, atque Argonautas vellus aureum consecuturos, (quod librum fuisse constat, vid. p. 232.) scriptis jam multis voluminibus, sectatur, quando ipse ducentena id genus vellera domi habet? Et quem non pœniteat me regium Græcæ linguæ interpretem veluti profanum ab eo dumtaxat exscribendi munere longe repellendum? sane ad munificentissimi Regis decus exteris omnibus, licet per partes illico eas Græcanicas, ac Latiares opes communicarem, quas perdiu depereunt. Scias etiam me cum codicibus mixtas vidisse quinque, aut sex ceratas tabellas, quæ in carbonem desciverant, illas vidi pedem longas, latas pedis dimidium, undique ad planitiem excavatas, solummodo ab quaternis tabulæ partibus labellum sextam unciæ partem altum exstat, quo cera coerceretur; satisque parvum, ac rotundum manubriolum ex eadem tabella eductum ab una ex longioribus ejus extremitatibus exseritur. Quod adnotandum duxi, quanquam hic importunum, ut Regis felicitatem etiam atque etiam pro gaza tam insolenti admirentur exteri.

Ceterum, licet indolescamus fore, ut non omnino ii teretes libelli evolvantur ac pateant, non ideo plurima lux veteri scribendi rationi offusa non est, & bene multa, quæ ignorabamus, non edocti sumus; novimus enim veram eorundem figuram, ac molem; & quam longe extendi poterat, & adglutinari papyrus; etenim rationem si ineas, ad tricenos fere pedes longam invenies; imo & ejus fruticis miram exilitatem, &

Digitized by Google

λειότητα. Præterea novimus hos litteratos cylindros per columellas ſcriptos; imo ſupernam oram papyri, & infernam, initiumque, atque finem per ſpatii plurimum virginem eſſe, & carere characteribus. De hac ratione ſcribendi in id genus teretibus libris per columnas adhuc lis erat apud eruditiſſimos viros; præſto mihi eſt Laurent. Begerus in Theſ. Brandeb. to. 3. p. 321. ubi de Homeri volumen cylindricum legentis anaglypto hæc obſcuritatis plena verba illevit, quæ, ſi tibi quid otii eſt, legas: *Volumen tamen penitius videtur inſpiciendum, ut innoteſcat, quo linearum ductu antiquitus ſcripſerint; in propoſito reſpondit Dolodorus, lineis non tranſverſum ductis, ſed ſine linearum perpetuo verſus umbilicum directo ſcriptum; ita ut* στελὶς, *ſive ſpatium inter lineas intelligatur, liquido oſtendet Fabrettus, id peculiare arbitratus fuiſſe in libris poeticis magnæ præſertim molis, cujus placitum an non etiam ad alios libros pertineat? nunc accuratius examinare non vacat*. Docti ſumus veteres non ſolum in marmoribus litteratis σιγμὰς inter unumquodque vocabulum adjeciſſe, verum etiam in ſcribendo librarios aliquando puncta illa etiam omiſiſſe, uti in quibuſdam ex his Græcis codicibus vides; formam etiam characterum, qui etiamſi lectu facillimi, ſatis diſtant ab iis, quos ea ætate in numiſmatibus cernimus: utinam qui hos codices cuſtodit, plura ſaltem *alphabeta* ab iis exſcripta incidenda curaret, atque exteris palam faceret. Nanciſcimur & multarum vocum priſcam germanamque orthographiam, in eiſque ῥῆσιν vides, exempli ergo, *volgi* non vero ut poſteriori ævo, *vulgi*: ut de Græcis characteribus ſileam, qui formam referunt longe aliam ab ea, quam in ejus ætatis marmoribus, vel æneis tabulis ſcalptam intuemur, imo variam, prout indoles librariorum, & eorum ſcribendi peritia: & memini me neque errores, aut litterarum ejuſdem nobis ſoni permutationem ullam, neque aſpirationum ſigna, nexus nullos, & lectioni nihil arduum, & jota ubique adſcriptum animadvertiſſe, quanquam voces ſint plerumque unico ductu tinctæ. Ad hæc atramenti vim, ejuſque optimum, & tenax temperamentum miramur, namque licet papyrus ſit aduſta, & in nigrorem abierit, atrum illum liquorem neque tot ſæculorum vertigo decoxit, aut obliteravit; nec non Memphiticorum calamorum veterum talem ἐπιπλοειότητα, ut characterum lineolas ſatis exiles intuearis, & probe tornatas; quare conquerendum eorum uſum perdiu omnino peſſum iviſſe, cum elegantiſſime litteras pingerent.

Verum, quod mea magni refert, ea ſane docti ſumus, quæ ſententiam meam de quadrangulis Latinorum libris enixe firmant: ſuperne enim præſtitum eſt, quæ bipatentium erant voluminum ornamenta, ad teretia doctiſſimos quoſque ἀρχαιολόγους perperam accommodaſſe. Hinc in hiſce Herculanei papyrinis teretibus corpuſculis nulla bacilla vides, cum in centro convolutiones arctiſſimæ ſint, neque ſpatium cuivis parvo tigillo relinquant, quod certe ſi infixum fuiſſet, vel luſcinioſus cerneret: nulla inſunt cornua a binis extremitatibus exerta: umbilicorum ne ſignum

Digitized by Google

gnum quidem: frontes nemo diſcriminaret, quibus indices apponi poſſent: loris, operimento, ceteriſque ornamentis, quæ multa ſuperne enumeravimus, deſertiſſimos eos convolutos libellos intueri eſt; quare bono Eventui mihi litandum, qui numine ſuo ex oppidi ruderibus illos in lucem emiſit; gratulor interea tot litteratorum virorum labores pro una tereti re libraria exantlatos inter fabellas averruncandos eſſe, veluti digito intento, hunc deum tandem commonſtraſſe.

His animadverſis, quæ de id genus in ſcapum plicatis libellis ſentio, aperire mihi liceat; quoniam autem ſuperioribus pagellis multis evici id genus teretia, & ſcripta corpora in uſu fuiſſe dumtaxat vel apud cauſidicos, vel pro adnotandis principum edictis, atque publicis ſyngraphis condendis, quæ in ſcriniis reipublicæ ſervata etiam legimus, haud aberrem, ſi enunciem, cum Rex beatiſſimus ingentem eorum libellorum numerum eodem loco collectum repererit, e communi Herculanenſium tabulario, ſive γραμματοφυλακίῳ eoſdem extractos fuiſſe: & quidem longe plures in luminis auram rediiſſent, ſi aut operarum ſollers cura effodientium cum cæmentis bene multos non immiſcuiſſet, aut Veſuvina incendia omnino non abſorbuiſſent; qui enim fieri potuit, ut privatus quis publica ſcripta monumenta domi ſervaret, præſertim ſi enormem eorum numerum advertas, quæ pæne bibliothecam conſtituunt? Sane me in hac libellorum divinatione beatum prædices, ſi præterea cogites uno in loco plures, quam ducentos repertos, omneſque convolutos, ne unum quidem quadrangulum; cum contra ſuperne longa monumentorum, & rationum ſerie oſtenſum ſit veteres uſos in communi ſcribendi munere privis τετραγώνοις· quod quidem unumquemque urgeret, niſi ſit excors, vel ſtipes, ut credat, eum convolutorum librorum inſanum congeſtum fuiſſe peculiare genus voluminum ſimul collectum, addictumque publicis ædibus; præſertim, cum ſi privati civis bibliothecam dicas, non ejuſdem molis, & figuræ teretia ſolum corpora, ſed cum rotundis quadrata, & cum grandioribus parva commixta cerneres. Quin, ſi mihi fidem præſtes, pauca illa verba, quæ lectitanda oblata ſunt, ſtilum vel ſyngrapharum, vel edictorum principum præſeferunt, & haud ſpe inani animum tuum lacto ac produco; futurum enim eſt, ut ſors dederit aliquem ex iis libellis tandem evolvi, ac bonam characterum partem legi, me non irata Minerva natum, & certum vatem ſalutabis, qui præſertim ſuperne jam præſtiti, (prolatis vehementibus monumentis tum numiſmatum, tum conſularium ſtatuarum, quos ejuſdem prorſus molis vides, & horum teretium corpuſculorum figuram referre,) eos libellos civiles contractus, & principum largitiones in reſpublicas complecti, ideoque vocari ſollemni nomine *codices*. Et mihi ipſe iraſcor regii cimeliarchii cuſtodes, dum hoſpitibus eos libellos commonſtrant, avito errore *volumina* appellitare; imo & per litteras exteros eadem nomenclatura obtundere; & quanquam illos hortatus perdiu ſim, ut dicant *codices*, ad id vocis, tanquam ad

Digitized by Google

quid monſtri, aut ſpectri exhorruiſſe vidi, qui vecordi pertinacia, & quantum valent, inclamitant tum civibus, tum advenis Regem inveniſſe *volumina*: piget ſane, quæ a teneris docti ſunt, jam ſenes perdere.

Neque vellem exputes longiorem ſcripturam in his codicibus concluſam, ſed brevem, licet evoluti multum ſpatii occuparent; nam & grandiuſculis characteribus illiti ſunt, & voces plerumque, punctis injectis, ſejunctæ; addas eos ſcriptos columnarum ordine, quæ inter ſe etiam non exiguo intervallo diſtant; quin his papyris plurimum mundi ineſſe vidi; ita ut vix binas, vel ſaltem ternas Maronis eclogas eo ordine, ac ſpatiis exaratam exciperent: profecto libelli hoc more ac ritu conſcripti, neceſſe eſt, ut ſint ſyngraphæ, & principum largitionum, & edictorum exemplaria, alias litteræ omnem papyri aream implerent, ſi communi uſui, & lectioni eos libellos addictos dicas, & minutis characteribus tinctos; hujus rei teſtem do Plinium ajentem de avunculo lib. 3. ep. 5. *Commentarios reliquit opiſtographos, & minutiſſime ſcriptos:* & norunt omnes adhuc ævo noſtro, & longa ante ætate id genus ſyngraphas, & principum diplomata, quoad bonam partem ſcriptura carere. Neque dubites, quin has Herculanenſes papyros non multum ſcripturæ occupet; dum inita exacte ratione; (nam pæne cuncta hæc corpora duodecim fere uncias longa, eorumque diametrum unam unc. cum dimidio dicas,) earum aream invenimus plus minus pollic. 690. cujus areæ medium dumtaxat characteribus fere illitum eſt, pollic. ſcil. 345. ſi addas ſpatiola tum inter columellas, (quarum numerus ἀναλογικῶς erit 250.) tum inter verſus ipſos; nec non puncta inter unamquamque vocem elementis pæne quintam unciæ partem æquantibus pictam, porro invenies tantum ſcriptionis eiſdem ineſſe, quantum vel celebrando contractui, vel principum largitioni ſatis fuiſſet. Scias autem neminem exactius eum calculum iniiſſe, quam Proſperum Guevaram Suardum Ducem Caſtri Ayrolæ, adoleſcentem morum ſuavitate, & mathematicis diſciplinis præter ordinis patricii ſplendorem ſpectatiſſimum, cujus calculi rationes, & modum hic illinerem, niſi longior numerorum ſeries, & characterum tum temporis plurimum abſumeret, tum operas feſtinantes inhiberet. Si vero grandiores ſint quædam papyri, & elementa paullo minora ſine ullis σιγμαῖς, fieri poteſt, ut plurium ſyngrapharum, aut diplomatum exemplaria complectantur.

Si porro inſint quidam codices Græce, & Sabine ſcripti, quis prohibet, quominus dicamus Herculanenſes pacta conventa ſtabiliviſſe cum Neapolitanis tunc mere ἑλληνίζουσι· & cum Sabinis, quos non multis ante annis eo in oppido convixiſſe conſtat; quæ in publico ſcrinio ſervari curatum ſit? Atque ipſe in altero hujus operis libro bonis conjectationibus Græcam picturam ab his ruderibus effoſſam, Græciſque nominibus non unis honeſtiſſimam, (quam mihi in Polluce deſcriptam inveniſſe gratulor,) Neapolitanorum Græce viventium opus fuiſſe patefaciam; quibuſcum Herculanenſes tum ob loci vicinitatem, tum ob plenam deliciarum Hercula-

Digitized by Google

culaneam viam, ut ait Cic. 2. Agr. contractus, mercium commutationes, imo & nuptias celebrasse certe teneo. Adde haud a vero me aberrare, si jurem in ipsis etiam picturis quid Sabinicum inspexisse; plurimæ enim sunt ad architectonicem pertinentes, quæ tanta barbarie infuscantur quavis prorsus Græca, & Romana συμμετρία desertissimæ, ut, qui antiquitatis ἄμυστοι omnino sunt, *Sinenses* vocitent; & nisi a Sabinorum pictoribus factas dicas, qui diu Herculanei degerant, & neque cum Græcis, aut Romanis unquam versatos scimus, ejus inelegantiæ, qua scatent undique, causam nunquam vestiges; quod argumentum longius, atque exactius protraherem, si pensi mei esset; nam ornatissima hæc provincia, & hilaritatis plena ab Rege viro doctissimo data est, qui, veremur, dum contento studio grandia de rebus veterrimis volumina edit, ne in hac capessenda tandem fatiscat. Ceterum fieri haud poterit, quin mecum harum sanctarum antiquitatum mystæ ægerrime patiantur tantas codicum gazas Vesuvii contumelia ac malignitate adhuc evolvi non posse, quavis ope ab Rege munificentissimo præstita: ceterum, si aves id tandem addixerint, præter linguæ castimoniam, quam in iis admiraremur, utpote beato reipub. Rom. & priorum Cæsarum ævo scriptis, res Herculanenſium, & nostras Neapolitanorum non paucas addisceremus: locorum, familiarum, magistratuum nomina, nuptiarum, testamentorum, contractuum ritus, etiam quæ ad legum claritatem spectarent, doceremur, & sexcentena id genus. Concludendum igitur tantum abesse, ut hi teretes Herculanenses libelli sententiæ meæ ajentis veteres in quadratis voluminibus scriptitasse officiant, ut firment etiam atque etiam; etenim quæ excipienda atque eximenda probavimus, magis roborant ac tuentur ea, quæ stabilienda aggredimur, ac defensitamus.

XII. Vides lex Ulpiani de legato librorum affecta, & plena obscuritatis quam me longe a proposito dimoverit, ac pæne abstraxerit; verum si per viarum ambages, & longa intervalla, quo *voluminum*, & *codicum* late patentem ac vagam antehac notionem cancellis coarctarem, te spatiari oportuerit, fortasse haud pœnituit, cum non per senticeta, vel scitu haud jucunda, vel ab aliis jam trita deduxerim. Nunc autem unde discesseram, redeundum, ut pauca, quæ restant objectanda pro tuendis cylindricis voluminibus, infirmem. Itaque me virum sacris addictum in syrtim urgent, mihique contra recinunt obscœna satis, ut vulgo creditur, Juvenalis carmina sat. 6. v. 334. quæ vitassem, nisi specie tenus librorum quadratorum, quotquot regessi, rationes, ac documenta everterent:

Atque utinam ritus veteres, & publica saltem
His intacta malis agerentur sacra, sed omnes
Noverunt Mauri, atque Indi, quæ psaltria penem
Majorem, quam sint duo Cæsaris Anticatones,
Illuc, tesiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit.

Ne

Digitized by Google

Ne credas adeo fœde locutum ſatyricum, ut teretem figuram τῇ ἀιδείᾳ humani mente agitarit, ſed ſolummodo, quæ prudentiſſime adnotat Lubinus: *Magna hic ἐνέργεια ſatyrica, obiter vexat Cæſarem ob Anticatones ſcriptos: & ſimul tecte innuit illam infamiam ſuæ uxori eſſe illatam* (a Clodio) *quæ major fuerat, quam illa probra Catoni immerito in Anticatonibus objecta.* Neque de figura poeta cogitare potuiſſet, ſed de una infamiæ granditate, tum quia ſat fœde, nec *tecte* locutum indignaremur, tum quia ad ſatietatem oſtenſum eſt, veteres ſolis quadratis voluminibus uſos. Satis aptum exemplum apponam, quod me Rigaltius docuit in diſſer. de Satyr. Juvenal. circa fin. atque ex Longino habetur, veterem poetam deriſiſſe hominem tenuiſſimum agellum colentem, ideoque Laconica charta minorem eſſe finxerat: ἄγρον ἔχ' ἐλάττω τ' ἐπιστολῆς Λακωνικῆς· qui ſane poeta nihil de figura epiſtolæ Laconicæ cogitaverat; verum ſibi ſatis fuit eo exemplo de hominis miſerrimi fundi exilitate jocari; cum ea, quæ comparamus, non omnem veritatis partem aſſequi neceſſe ſit. Imo, qui non excors eſt, ex hac Martialis liberiori παῤῥησίᾳ contrarium ſtatim arguet, ſcilicet eos Anticatones non fuiſſe teretis figuræ libros, aliter ſane ab aperta, petulca, & plena ἀκαιδίας loquendi licentia abhorruiſſet; quos ſi quadratos fuiſſe concedas, non tam Bacchica, & decembris libertas eos verſus inquinaret; non etenim ithyphallica ſcribit poeta, ſed ſatyras. Ceterum nemo neget hunc Juvenalis locum non adeo clarum eſſe ac apertum, ut revera librorum veterum cylindricam figuram ſiſtat firmetque; imo cum dubii plenus ſit, cauſa cadere mihi videntur, qui hac una hujus ſatyrici valde ancipiti auctoritate nixi ridiculum hoc librorum genus tueri adlaborant.

Demum minoris ponderis ſunt, quæ Calmetus diſſert. quæ eſt ante Exod. de Hæbr. libr. & cl. Mazochius in Dipt. Quir. p. 6. ut probent libros in ſemet convolutos, objectant; proponunt enim diſtichon 190. lib. 14. ex Martial. *Pellibus exiguis arctatur Livius ingens, Quem mea vix totum bibliotheca capit;* ideſt, *arctatum* Livii opus dicunt, cum eſſet polyptychum, ſeu quadratum; cum vero *bibliotheca* Martialis illud *non caperet*, aſſerunt diviſum in tomos cylindricorum voluminum. Verum non te urgeat duumvirorum fama, ut credas poetam revera loqui de teretibus Livii libris, cum maximæ notæ interpretes aliud prorſus cogitarint, ſcil. Martialem celebraſſe ſtili inſurgentis granditatem, aut operis magnitudinem, & librorum 140. multitudinem; quod omnibus probatum iri reor; nam idem poeta ibid. diſticho 186. ut divinam Maronis majeſtatem extollat, eadem fere verba, ac ſententiam brevius recoquit: *Quam brevis immenſum cepit membrana Maronem! Illius vultum prima tabella gerit.* Adde & quod de divina Iliados, & Odyſſeæ argumenti, & ſententiarum gravitate, & verborum magnificentia canit diſticho 184. *Ilias, & Priami regnis inimicus Ulyſſes Multiplici pariter condita pelle latent.* Ceterum ſi rem preſſius penſites, invenies revera Livium, quem

laudat

laudat Martialis, fuisse quadrangulum; nam canit constitisse *pellibus*, i. e. membranis; nam si convolutus esset, minori numero *membrana*, sive *pelle arctatum* dixisset: & vides tum Maronis libros, tum Homeri fuisse polyptychos, dum de primo *tabellarum*, de altero *multiplicis pellis* meminit.

XIII. Huic Martialis loco alterum sat tenebricosum addas, ubi librorum suorum furem alloquitur, lib. 1. ep. 67. quem etiam pro tuenda inficeta teretium librorum forma objectant:

Secreta quære carmina, & rudes curas,
Quas novit unus, scrinioque signatas
Custodit ipse virginis pater chartæ,
Quæ trita duro non inhorruit mento:
Mutare dominum non potest liber notus.

Haud scio, cur Salmasius in exercitat. Plin. p. 278. & Trotzius p. 595. versum, *Quæ trita duro non inhorruit mento* ad in semet convoluta volumina vi detorqueant, atque indigna tantis viris proferant, quæ ne legas moneo. Ceteri interpretes hujus epigrammatographi in adnotationibus longissima quæque ab ejus mente illinunt: quare, quæ ipse cogitavi, apponam, & fortasse vera; quo omnino posthac cylindrica volumina exstitisse minime suspiceris. Hortatur poeta furem, ut rapiat libros, seu chartas *virgines*, & ignotas, non quæ jam manibus legentium tritæ essent; ita ut jam *barbatæ* factæ sint, seu *durum* ob vetustatem *mentum* promiserint, quare notissimæ evaserunt: Huic epigrammati aliud ep. 33. lib. 10. omnem lucem affert: *Perser Ateſtinæ non dum vulgata Sabinæ Carmina, purpurea sed modo culta toga. Ut rosa delectat metitur, quæ pollice primo; Sic nova nec mento sordida charta juvat.* Adde ipsius Martial. notissimum distich. 84. lib. 14. *Ne toga barbatos faciat, vel penula libros, Hæc abies chartis sæcula longa dabit:* ideſt, ne libri tecti pannis facile corrumpantur, & senescant, melius est, ut abiegnis tegúmentis cooperiantur contra vim sæculorum edacem: hinc nihil apertius, quid sit charta *mento horrida:* & cui non notum est illud Catulli epigr. 69. v. 45. quod belle conspirat cum Martiale, *Sed dicam vobis, vos porro dicite multis Millibus, & facite hæc charta loquatur anus.* Huc etiam recidit epigram. 79. vers. 9. *Verum id non impune feres, nam te omnia sæcla Noscent, & qui sis, fama loquatur anus.* Hisce exemplis porro vides, quid sit *charta cum mento*, & quam bene opponatur *chartæ virgini* in Martialis epigrammate, neque in re non tanti momenti tot turbæ excitandæ fuissent ab interpretibus. Apponam tantummodo Salmasii verba laud. loco, quæ utpote summi viri, magis mirari non desines, quam longe a vero aberrarit, eo quod volumina teretia veteres usurpasse ratus sit. *Quem versum* (Martialis) *vulgo non intelligunt. In evolvendis chartarum voluminibus partem adhuc involutam mento subjiciebant; primorem vero partem subinde explicantes ambabus tenebant manibus, simulque legebant; eam interim, quæ non-*

nondum erat explicata, ſub mento convolutam tenentes. Hinc de charta virgine, & quæ adhuc intacta erat, dicebant eam mento tritam non eſſe: horridior quippe fiebat manibus, & mento trita, excitatis inarum filamentis. Græcum epigramma ἀνέκδοτον Stratonis:

Εὐτυχὲς, ὃ φθονέω, βιβλίδιον, ἦρα σ' ἀγχγνὴς
Παῖς τις ἀνατλίβει πρὸς τὰ γένεια πθείς.

vides chartam, dum legitur, & evolvitur, mento ſubjici terique: huc uſque Salmaſius. Ad cujus verba pauca advertere mihi libeat. Quiſque mecum fateatur oportet minime ſe intelligere, quo pacto quis, cum partem cylindrici voluminis mento ſubjiciat, alteram partem evolutam legere poſſit, ſat laborante vi oculorum & acie ob nimiam characterum propinquitatem: deinde ne te turbet auctoritas Stratonis, etenim alter verſus corruptiſſime legitur, & τὰ γένεια confinge, me vade, τὰ γελοῖα, ut totius epigrammatis ſtet ſententia; *irridetur enim libellus ille, & ſpes eſt fore ut puellus terat, dum legit, de eo jocetur, ac pro ludo utatur:* qua interpretatione nihil concinnius; & quis mecum non miretur id non vidiſſe ἑλληνικώτατον Salmaſium, cui in mentem non venerit vocem γένεια ſuſpectam eſſe, ac ſententiæ ſatis officere? verum cum dictio τὸ *mentum* in Martiale ſummum virum tranſverſum jam egerat, pro Græca voce γένεια facile dejeravit, ſervavitque. Sed de hac voce *mento* plura præter ſpem. Et haud ſcio an mihi gratuleris, quod pro quadratis voluminibus lis jam perorata ſit, poſtquam diu, & fortaſſe etiam improbe laboratum, quo tot ſapientum virorum objecta enervarentur ac everterentur.

****

CAPUT IV.

Quid *plico*, & πτύσσω pro notione librorum diptychorum, & polyptychorum.

I. VEra, *licet nova διάγνωσις vocum Latiarium, & Grajarum* plicatura, & plico; πτυχή, & πτύσσω. Plicare *eſt* in gyrum volvere; & plicatura *dicitur de* curvo & ſinuoſo, *quod multa exemplorum vi firmatur, quæ quidem paſſim illuſtrantur. Conjurant apprime hac in re Lucretii interpretes. Quid* epiſtolas complicare. II. *In eadem prorſus ſignificatione accipias* πτύξ, πτυχή, & πτύσσω, *paucis Homeri verſibus prolatis, quos male verſos a Barneſio, & Clarkio oſtenditur. Quid* πτύχες *Heſiodo, quod non videre interpretes, ſcil.* curvæ laminæ, *uti in Homero, quocum ſemper* συμφωνεῖ *vates Aſcræus. Ariſtoteli lux.* III. *Cur hi duo vatum principes* Ὄλυμπον *ſæpe ſalutent* πολύπτυχον' *interpretes in hoc* ἐπιθετῷ *transverſi acti ſunt.* Ὄλυμπον *hi bini vates nunquam cum* Οὐράνῳ *confudere, quod Graji poetæ poſterioris ætatis, uti Euripides, fecerunt ab Homero parente filii degeneres.* IV. *Etiam verbum* πτύσσω *accepere veteres pro* ſinuare, circumdare, &c. *quod præter quamplurima exempla uno obſcuriſſimo Homeri verſu planum fit; cujus verſus*

non

non fidum interpretem Maronem fuisse clare patefit. Magnus D'Orvillius oblivionis arcessitur. Quid vice multiplici repetita Homerica verba, δίπτυχα ποιήσαντες, antehac obscura, & male versa. v. *Hesychiana* diptychi *definitio, quam* mire intricatam *dicit Mazochius, extricatur. Quid vox ἐπίπλως antehac ignota contra clariss. virum. Hesychii verba audentiori conjectura sanantur.* VI. *Composita a* πτύσσω *in eadem significatione sunt: imo & Hebræa origo* פטש, cingulum, *adstipulatur; quam vocem satis importune* LXX. *transfuderunt* παράρα: *sententia Aben Ezræ vertentis* subligaculum, *& pallium laudatur. Quid Homero* ζώννυσθαι, *&* βαθύζωνος. *Probe conspirant Græci, & Latini in librorum nominibus.* VII. *Totius* παρέργου *concluſio; perperam inquiritur ab eruditissimis viris, an teretes polyptychis libris sint antiquiores, cum primi ficti & commentitii audiant: Mazochii sententia ea de re partim celebratur, partim refellitur. Verba Trotzii de veterum librorum* σχήμασι *nugarum & odii plena.*

I. FUNCTUS hoc non tenui lucubrationis negotio, in qua non invidebis me Hebræis, Græcis, ac Latinis Scriptoribus satis lucis attulisse; restat, ut, veluti post cœnam cupedias, pauca apponam de vera notione ac veritate vocum πτύσσω, & πτυχή· & *plico*, & *plicatura*; (vox *plica* Latialis non est, licet cl. Facciolatus bis usurpet in *ῥήσει ruga;*) quo omnia librorum nomina percurram, uti sunt in Martiale *triplices*, & *quincuplices* lib. 14. ep. 6. & 4. ac posteriori ævo *diptycha*, *polyptycha*.

Et sane *plicatura* ne in ea parte accipias, qua vulgo creditur, nempe signum illud, seu ruga, quam charta, vel vestis relinquit, quando quis inflexam premit, ita ut minime planam & æquabilem deinde intuearis: verum *κυρίως* denotat qua Græce, qua Latine ea vox curvum solummodo quid & sinuosum: atque in hac una notione in cujusvis ætatis Scriptoribus reperire est; perque mihi mirum semper fuit, quare tot doctissimi interpretes pro ruga acceperint, decepti fortasse ab vernaculo sermone *pieghe*, & *piegare*. Ut genuinam horum vocabulorum *plico*, & *plicatura* vim noscamus ab exemplis petendum est, & sexcenta exscriberem, nisi crearem tædium, & ubique Scriptorum prostarent; quod nemo apertius, quam Maro indicat, dum de serpente rota conciso canit Æneid. 5. 279. *Nexantem nodos, seque in sua membra plicantem:* vides jam *plico* curvum quid adnotare, idest *involventem se;* & apposite idem dicit Æn. 2. 108. & passim, *Sinuatque volumine terga;* quare *plicare* & *volvere* eodem recidunt. *Quæ volumina* dicit Maro, Cicero in Arato appellat *sinus*, qui certe curvum quid denotant: *Et draco conficiens sinus e corpore flexos.* Ovid. Metam. lib. 1. v. 763. *Dixit, & implicuit materno brachia collo*, quod paullo ante v. 735. expressit, *Conjugis ille suæ complexus colla lacertis:* & versu 631. *Claudit, & indigno circumdat vincula collo.* Igitur *implicare*, *complecti* & *circumdare* σωώνυμα pura putaque sunt, curvitatem solummodo indicantia. Idemque poeta 5. Fast. v. 220. *Sertaque cælestes implicatura comas.*

Sed nemo apertius, quam Catullus in verbis omnium cultissimus vim τῦ *plicare* expressit, cum & *hederæ* tribuat, & σωώνυμον faciat τῷ *re-*

Digitized by Google

vincire in epithal. Juliæ, & Manlii v. 33. *Mentem amore revinciens, – Ut tenax hedera hac & hac -- Arborem implicat errans.* Et ut rem melius firmem, apponam satis doctam adnotationem in versum 826. lib. 1. Lucret. edit. Avercamp. pag. 139..

Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari.

Plicari] *Torqueri, convolvi, unde vulgo tibias, & crura campas appellant, quoniam plicantur & flectuntur: κάμπη Græce flexura dicitur. Erucam, quæ in orbem convolvitur, Plautus campam vocat, & Modestus, & Columella eo versiculo: Volvitur ad terram distorto corpore campe.* Idemque Lucretius clarius *plicare* quid sit, explicat lib. 6. v. 1085.

Est etiam, quasi ut annellis, hamisque plicata
Inter se quædam possint coplata teneri.

Plicaturæ igitur, ac curvitates *anellorum*, atque *hamorum* idem sunt. Statius noster 4. Sylv. 9. vers. 29. *Non replictæ barbarorum tunicæ*, quarum quidem una aliam amplectitur & circumdat, recte igitur *replictæ* dicuntur. In eadem sententia accipias illud Cic. De Divin. lib. 1. c. 56. *Sed est quasi rudentis explicatio*; & quod ait Plin. ep. 33. lib. 9. *Varios orbes implicat, expeditque*; nec non Seneca ep. 9. *Diogenes complicuit se in dolio, & in eo cubitavit.* Exinde luculenter noscimus, quid sibi vult Tibull. lib. 1. el. 7. v. 33. dum ait: *Arida nec pluvio supplicat herba Jovi*, idest se inclinat curvatque.

Hinc etiam illud in Martiale difficile est, si pensites, licet principio planum & apertum videatur lib. 4. ep. 83: *Si nimis est legisse duos, tibi charta plicetur Altera: divisum sic breve fiet opus.* Haud pronum intellectu est, quo pacto *plicanda* sit charta, si accipias τὸ *plicare* in communi ac vulgari sententia, scil. rugam contrahere; verum si in notione *involvendi* esse credas, mens poetæ bona erit, nempe: *charta involvatur*, idest, *claudatur ex duobus alter liber; atque ita unam perleges partem.* Et quoniam veritas luculentior ex contrariis emicat, idem epigrammatographus lib. XI. ep. 108. canit, *Explicitum nobis usque ad sua cornua librum, Et quasi perlectum, Septiciane, refers.* Et ep. 1. lib. 14. *Versibus explicitum est omne duobus opus:* scilicet *evolutum & perlectum* usque ad finem; ergo *plicare* est *involvere*, seu *claudere:* neque in hoc hæreas, etenim idem poeta in eadem sententia succinit lib. XI. ep. 1. *Vadas, & redeas inevolutus, -- Libros non legit ille, sed libellos.* Et post paucos versus: *Sunt illic duo tresve, qui revolvant, -- Nostrarum tineas ineptiarum.* Et Cic. de Offic. *Si quis voluerit animi sui complicatam sententiam evolvere.* Vides jam, quam apte sibi respondent *plicatus* & *involutus*, atque *explicitus* & *revolutus:* plicando enim, & explicando in postica parte, tanquam in cardine, volvitur liber.

Habes præterea, quid sit illud barbarum *explicit liber feliciter*, quod inficetæ tempestatis amanuenses apponebant pro coronide, scilicet *explicitus est*, scribendo etenim opus erat, ut membranas, vel chartas *evolverent*,

Digitized by Google

verent, seu *explicarent:* quæ vox nullius pretii circa Hieronymi tempus invalescere visa est; ait enim ad Marcell. ep. 138. *Solemus completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere, explicit aut feliciter, aut aliquid istius modi.*

Non me piget secundum hæc advertere olim epistolas minime in quadratam formam aptatas, verum ut sæpe ait Cicero *complicatas*, quod intelligas in teretem formam convolutas: ad Q. Frat. lib. 3. ep. 5. *Cum hanc epistolam complicarem, tabellarii a vobis venerunt*, & ad Att. *Cum complicarem hanc epistolam, noctu Abundus ad me venit;* quam rotundam litterarum formam τὸ *complicare* κυκλῶς exprimit, nam *plicare* est simplex *volvere*. Colliges etiam, quam bene τροπικῶς dicatur, *verba*, aut *sententias implicare*, aut *involvere*, & id genus satis multa. Ex hac notione verbi *plico*, quod est idem, ac *volvo*, nunc scimus, cur nomina librorum sint ab utraque voce enata, scil. *volumina*, & *duplices* Ovid. Amor. lib. 1. el. 12. v. 27. *triplices* Mart. lib. 14. 6. & *quincuplices* eod. lib. ep. 4. Hæc sane de Latiali verbo *plico*.

11. Et ne credas me oblitum esse Græcas voces, a quibus temperare non possum, addam, ut ab initio desponsam non fallam fidem, pauca de vocibus πτύσσειν, & πτύξ, sive πτυχή· atque statuo eodem pacto illis usos esse Græcos Scriptores, quo Latini adhibuere *plico*, & *plicatura*, ut pronum est vel ex lexicis addiscere; idemque dicas de eorum compositis, aut de vocibus inde pullulantibus, quæ curvum quid semper ac rotundum menti offerunt; quare bene pauca exempla dabo ab Jove poetarum Hom. Il. ε. v. 314. qui canit de Venere, quæ a Græcorum telis Æneam tutatur:

Ἀμφὶ δ' ἑὸν φίλον υἱὸν ἐχάζατο πήχεε λαικώ·
Πρόσθε δὲ οἱ πέπλοιο φαεινῇ πτύγ' ἐκάλυψεν,
Ἔρκος ἔμεν βελέων, μή τις Δαναῶν ταχυπώλων
Χαλκὸν ἐνὶ στήθεσσι βαλὼν, ἀπὸ θυμὸν ἕλοιτο.

Nullius assis est interpretatio Barnesii, & Samuelis Clarkii: *Anteque ipsum pepli nitidi plicaturam obtendit:* majoris sane pretii sunt, quæ apponunt scholia brevia: Οὐχ ὡς ἄνθρωπον ἐπεμβάλλει αὐτῷ τὸ πέπλον, ἀλλ' ἵνα κρύψῃ αὐτόν. Vides igitur simplex πτύσσειν, unde πτύγμα, valere idem ac compositum περιβάλλειν, *circumplecti;* contra vero *plicaturam obtendere* nihil menti ingerit, adeo summos duoviros notio vera τῶ πτύσσειν latuerat. Præterea cum legas in Hesiodo de scut. Herc. v. 143. κυάνεαι δὲ διὰ πτύχες ἠλήλαντο, ne transfundas, ut moris est, *cæruleæ vero laminæ erant ductæ*, verum *cæruleæ curvæ laminæ*, ut vim vocis serves; atque hinc probe advertis, quæ reipsa sint πτύχες, earum enim figura curvum quid semper præfert. Piget me Homeri loca afferre, in quibus exstant πτύχες σάκεος, cum omnium manibus terantur, & cum Hesiodo conspirant; ad delicias unicum apponam Il. υ. v. 267. & seqq. in quibus bis ea vox in eadem notione est:

Digitized by Google

Οὐδέ τοτ' Αἰνείαο δαΐφρονος ὄμβριμον ἔγχος
Ῥῆξε σάκος· χρυσὸς γὰρ ἐρύκακε, δῶρα θεοῖο·
Ἀλλὰ δύω μὲν ἔλασσε διὰ πτύχας, αἱ δ' ἀρ' ἔπ τρεῖς
Ἦσαν· ἐπεὶ πέντε πτύχας ἤλασε Κυλλοποδίων,
Τὰς δύο χαλκείας, δύο δ' ἔνδοθι κασσιτέροιο,
Τὴν δὲ μίαν χρυσέλω· τῇ ῥ' ἔσχετο χάλκεον ἔγχος.

Nunc ſane conſtat, quare teſtaceæ valvæ, quæ in oſtreis modo clauduntur, πτύχες appellentur, atque ab Ariſtot. Hiſt. anim. lib. 5. ἐπικαλύμματα πτυχώδη, probe dictæ ſunt, inſtar enim ſcutuli ſunt convexæ & complicatæ.

III. Quæras fortaſſe, cur Heſiodus Theog. v. 113. adjiciat Ὀλύμπῳ, qui in æthere mons eſt, vid. auctores Academ. inſcript. to. 10. p. 653. ἐπιθετόν illud πολύπτυχον, atque ſit σύμφωνος Homero, ut moris ſui eſt, qui canit non ſemel, atque iterum, ut Il. θ. v. 411. Πρώτῃσιν δὲ πύλῃσι πολυπτύχου Οὐλύμποιο· & Il. λ. v. 77. Δώματα καλὰ τέτυκτο κατὰ πτύχας Οὐλύμποιο· ipſe tibi reponam τὸ πολύπτυχον ſignificare *ſinuoſum*; & memini me legiſſe in Vitruvio *montis curvatura*; atque hic etiam vides ſervari vim voculæ πτύξ, quæ quid curvum ſemper menti exhibet; interea non mirum, ſi eam tum grammatici in tot ſibi contrarias voces Latiares converterint; tum Homeri doctiſſimi interpretes plerique omnes *juga Olympi* reddiderint; contra vero, πτύχες σάκεος dixerint, *ſcuti laminæ*: nam *juga*, & *laminæ* quantum diſtent, quiſque a ſe ipſe metiri poteſt; nomina autem tam diverſa vocem πτύξ adnotare nemo credat. Si vero poetæ Homero, & Heſiodo longe poſteriores, qui Ὄλυμπον cum τῷ Οὐρανῷ confudere, (quæ vocabula ſemper duoviri hi principes vates diſtinxere; ita ut Ὄλυμπον dixerint ſemper νιφόεντα, vel aliquid ſimile, quod proprium montis ἐπιθετόν eſt, Οὐρανὸν vero ἀστεροέντα,) Οὐρανὸν etiam πολύπτυχον vocitarint, uti Euripides in Phœniſſ. act. 1. ſc. 1. v. 84.

Ἀλλ' ὦ φαεινὰς Οὐρανοῦ ναῶν πτύχας,
Ζεῦ, σῶσον ἡμᾶς· δὸς δὲ ξύμπασιν τέκνοις, κ. τ. λ.

intellexere profecto φαεινὰς Οὐρανοῦ πτύχας, in quibus Jupiter inhabitat, eſſe *cæleſtes orbes*, ſeu *ſphæras*, vid. Cic. de ſomn. Scip. non vero *cæli plicas*, ut vulgo vertunt, quod ſatis puerile eſt, ac humile: Carmelum, qui Italo lepore Euripidis tragœdias condire adniſus eſt, rem aſſecutum gaudeo:

. . . . . *Ma tu, ch' alberghi*
Là ſu del ciel ne' riſplendenti giri,
O Giove, a noi ſalute apporta; e dona
Concordia a' figli miei . . . .

IV. Percepta vi & notione vocis πτύξ, planum eſt dignoſcere etiam veritatem verbi πτύσσω, ſcil. *ſinuo*, *inflecto*: miſſis Scriptorum exemplis, quæ plana ſunt, proferam locupletem Hom. verſum obſcuritatis refertum, cujus ſententia ex dictis ſtatim elucet Il. ν. v. 134.

Ἔγχεα

Digitized by Google

Ἔγχεα δ' ἐπτύσσοντο θρασειάων ἀπὸ χειρῶν
Σειόμεν· οἱ δ' ἰθὺς φρόνεον, μέμασαν δὲ μάχεσθαι.

Brevia ſcholia rem tangere viſa ſunt: Ἔγχεα εἰς τὸ αὐτὸ σωιήγετο, καὶ ἐκάμπτετο κραδαινόμενα, *haſtæ in ſe ipſæ redibant, & inflectebantur percuſſæ*. Euſtathius Homerice doctus, quæ in Homero non ſunt, vidit: Εὐλύγισα εἶναι τὰ τοιαῦτα ἔγχεα, ὡς καὶ μικρᾶ δεῖν πτύσσεσθαι, ὅδ' ἐστι διπλᾶσθαι ἐν τῷ ἐμπεπαλόμενα σείεσθαι, *perquam flexiles eſſe tales haſtas: ut facile fuerit plicari, ideſt duplicari, dum percutiuntur vibratæ:* Trojani hic contra hoſtes minime pugnabant, ſed dumtaxat μέμασαν μάχεσθαι, ut clare ait Homerus. Itaque, niſi mirifice errem, poetæ mens eſt: Adeo ardebant bellum Trojani, ut ira conciti magna vi haſtas manu verberabant, quæ utpote longiores, ab ictu ἐπτύσσοντο, ideſt *curvabantur, inflectebantur*; quod ſane fuiſſe ſignum militum bellicoſorum teſtem do Homerum ipſum, qui non ſemel idipſum recinit, ut Il. γ. v. 344.

Καὶ ἐγγὺς στῆτον διαμετρητῷ ἐνὶ χώρῳ
Σείοντ' ἐγχείας, ἀλλήλοισιν κοτέοντε.

Vides igitur in campo ſibi demenſo, non in pugna ſtare milites, & haſtas percutere coquentes iram. Quæ quidem ſat lucis Maroni conciliant, qui hos Homericos verſus ſuffuratus convertit, & pro πτύσσειν ἔγχεα apponit *criſpare haſtilia*, oblitus vocis σείειν, *percutere*; id quod diuturnam obſcuritatem parit: itaque de Æneа canit Æn. 1. v. 317. & de Turno Æn. 12. v. 165. ambobus extra pugnam:

Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.

Ex Homericis verbis plane intelliges, quo pacto Græcus, & Latinus heroes haſtilia criſparent, πτύσσωσι, ſcilicet τῷ σείειν, *percutiendo*; atque etiam mecum Maro conjurat, cum πτύσσειν interpretetur *criſpare*, ideſt *inflectere & curvare*; hinc Claudian. 2. de rapt. Proſerp. v. 110. *Criſpata cacumine buxus*, ideſt *inflexa*. Haud ſcio an Virgilii interpretes id adnotarint. Ceterum quis mecum non mirabitur Phil. D'Orvillium virum verborum vim ingenitam curatiſſime penſitantem, cum hunc Virgilii verſum in animadverſion. in Charitonem laudet, nihil adnotaſſe, ſed ſolummodo recitaſſe, quo explicet verba δύο ἄκοντας ἐκράτει, verum longe diſtat κρατέω ab *criſpo*.

Probe perſpecta notione verbi πτύσσω, præſertim quo pacto hoc ῥήματι Homerus utitur, facile explices, quid valeant tenebricoſæ hujus divini vatis binæ voces, quas vice multiplici recinit, δίπτυχα ποιήσαντες, quaſque ſcholiaſtæ, & interpretes inaniis ſuis etiam atque etiam obſcurarunt. Sane poeta princeps de femoribus uſtulandis loquitur, dum eas ῥήσεις adhibet, quas boum partes ait κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν, *pinguedine cooperiebant*, & ſtatim addit δίπτυχα ποιήσαντες· ſi vatis mentem conſequi optes, ne dicas cum vulgo interpretum *duplicantes*, & cum ſcholiaſtis διπλώσαντες τὴν κνίσην, ſed *bis pinguedine ea femora involventes*,

Digitized by Google

ventes, ne scilicet, dum assarentur, arescerent, quod moris adhuc servari cernimus, vid. Il. α. v. 461. Il. β. v. 424. &c. Od. γ. v. 458. Od. μ. v. 361. &c. Pro parvo pendas, quæ Albertus in Hesych. aut Bochartus Hieroz. p. 503. de binis hisce vocibus adnotarunt. Idipsum dicas, quando de veste ait Od. ν. v. 224. Δίπτυχον ἀμφ' ὤμοισιν ἔχυσ' ἐὐεργέα λώπην, *bis involverat humeros eleganti indumento*, non ut vulgo, *duplicem vestem habens circa humeros*; certe enim, ut nos interpretamur hunc vatem, in voce δίπτυχος & ingenitam vim servamus, & quid clarius menti ingerimus.

γ. Cœpti operis ratio urgeret, ut quædam apponerem de voce δίπτυχα, quæ libellorum peculiaris species audit, & posteriori ævo satis celebrata; verum, cum tot ἐνδοξότατοι viri ea de re utramque ceram jamdiu impleverint, præcipue quos Ecclesiasticos dicimus, eorumque nomina ex Fabricianis bibliothecis statim noscas, eo me labore facile exoneres; & nuper Mazochius vir summus bonam symbolam adjecit, dum eruditione Græca Hebræaque, qua pollet plurima, Quirinianum Diptychum honestavit: demum anno superiore Sebastianus Donatus non exiguum volumen de diptychis concinnavit, & rem hanc numeris omnibus absolvisse sibi visus est, hos si lubet consulas; licet nihil allinere accurarunt de ingenita veritate & vi verbi πτύσσω, atque etymo, quod mox dabo, quodque omnium primum conquirendum oportuisset. Unum mihi excutiendi venia sit, diptychorum scil. definitionem, quam dedit Hesychius, cujus verba cl. Mazochius pag. 10. de Dipt. Quir. *mire intricata* edicit, doctoque, ut moris est, commentario onerare aggressus est; tentandum, an a me *forte quid aptius exit*. Inquit igitur Hesychius, Δίπτυχα δύο ἐκιβολὰς ἔχοντα, ἢ διπλᾶν, ὥστε τῷ μὲν ὑπερστρῶσθαι τὸ ἐπίπλαν, τῷ δὲ ἐπιβεβλῆσθαι, *diptycha sunt, quæ duo habent imposita operimenta, sive quid duplex, unum quo ὁ ἐπίπλας substernatur, alterum, quo contegatur:* omnia vides aperta satis præter illud τὸ ἐπίπλαν, in quo interpretes omnes vivos rodunt ungues, etiam antiquiores: nam bonus Suida Hesychii isthæc verba mutuatus, vocem ἐπίπλαν sibi ignotissimam angue pejorem aufugit, neque allevit, munusque & fidem exscribentis fefellit. Mazochius ternas cudit conjectationes, ac primo legere amaret in Hesychio ἔπιπλον, *levior supellex, quæ circumferri potest;* ita ut δίπτυχα essent *parva utensilia:* deinde τὸ ἐπίπλαν secundum grammaticos exire posse ait a πλέω, *navigo*, ut vel navigans secum gestaret: demum sicut ὁ ἐπίπλας valet etiam *omentum*, & est ejusdem originis, ac διπλᾶς, τριπλᾶς, *duplex, triplex*, fortasse a multiplicitate ipsius adipis, qua floret omentum, *sic & interiores librorum paginas, aut quamvis leviorem, ac multiplicem supellectilem etiam* ἐπίπλαν *appellatam esse* conjicit: concluditque lectorem deferens avidiorem hanc vocem noscendi: *Istum* ἐπίπλαν *Hesychianum facile patiar inter obscura scriptoris illius annumerari.*

Verum si genio sinistro natus non sim, exputo τὸ ἐπίπλαν hic esse re

vera

vera *omentum*, quod *ventriculus*, sive *membrana* dicitur etiam a Plinio lib. 11. c. 37. *pinguis*, *ac tenuis*, *qua inteſtina integuntur*; quare Græci non melioris ævi, uti Heſychius, Latinos imitantes chartas, & γραφικὰς pelles a peculiaribus *membranis* appellare conſuevere, hi autem a γενικῷ nomine, ſcil. *pelles*, vel *membranas* dicebant: neque putes mihi opportuna exempla præſto non eſſe; Philippus epigrammatographus ſcriptorias pelles vocat πλάδας, quæ apud Etymologici auctorem ſunt etiam *membranæ*, *quæ pulmonem defenſitant*, qua de voce nos ſuperne non pauca pag. 209. dedimus. Igitur, ſi πλάδα, quæ peculiaris tunica pulmones tegit, valet materia γραφική, quis prohibet, quin Heſychius vocitare quiverit ἐπίπλων, *omentum*, ſive *inteſtinorum membranam*, pro γραφικῷ corio? Hinc omnem lucem adipiſcuntur verba Heſychii antehac tenebricoſa, nimirum, *Diptycha ſunt duo operimenta*, *unum*, *quo* ἐπίπλως, *membrana*, ſive *charta ſubſternitur*, *alterum*, *quo contegitur*; qua interpretatione nihil reor concinnius, neque Heſychiana diptychorum definitio quid præſefert *mire intricatum*.

Si vero audentior quædam conjectura, & ſtudii plena arrideat, dicerem Heſychii locum librariorum malignitate marcidum, & haud ſcio an auctor incuria majori exſcriptus ſit, vide præclaram Alberti præfat. atque adnotation. Itaque ſi nil detorta mutatione pro τὸν ἐπίπλων legas τὸ ἓν βιβλίον, res erit integra, ſcil. diptycha ſunt ſupernum, & inferaum tegumentum, quæ *libellum quendam* claudunt, quod nihil verius, cum intra binas tabellas adglutinarentur quædam membranæ. Vides a me ne unam quidem additam litterulam, ſed ſolummodo elementum ν tranſpoſitum poſt ε, quod ε ſequenti voci non ſine injuria adſuebatur ob ſollemne σφάλμα amanuenſium; id ante me multis exemplis oſtenderat vir ſummus D'Orvillius in Chariton. pag. 760. *Conſiderandum in omnibus codicibus, & in Manethone ſæpe ſyllabas tranſponi, & ſic e* πελύν *habuerit* λύνπε, *cui quantum deeſt, ut evadat* ὁλύμπε! . . . ἀγελείνης *pro* ἀλεγείνης . . . *ſcilicet ſæpe in fine verſuum ornatus cauſa, vel anguſtis ſpatiis coacti librarii ſyllabam ſyllabæ ſuperimponunt, quam imperitiores in deſcribendo facile dislocant*; quare haud mirum ſi iidem amanuenſes voces bonas τὸ ἓν βιβλίον interturbarint, dederintque τὸν ἐπίπλων. Si vero duplicem ββ in totidem ππ inverterint, id ob ſoni ſimilitudinem accidiſſe vel tiro novit. Porro ſi hanc argutam medelam faſtidioſior ſtomachus non concoquat, magnorum virorum auctoritate eam tuear, præſertim cl. Mazochii, qui luxatis quibuſdam locis non tantum μετάϛασιν characterum, ſed plures voces, licet ἀκαίρως, inſuit; inviſas rogo, quantis voculis ditavit breve Epiphanii κείμενον a tot præclariſſimis interpretibus perperam ſollicitatum, in kalend. 20. Jun. pag. 445. Ceterum nihil intercedam, imo do lubens, ſi malis Heſychium pro ſuæ ætatis indole τὸ ἐπίπλων pro *membrana* accepiſſe; atque ad verbi πτύσσω etymon veſtigandum aggredior.

VII.

Digitized by Google

VI. Jam faſtidii plenus, quæ de compoſitis, derivatiſque ab ῥήματι hoc πτύσσω dicenda paraveram, miſſa facio, cum in eandem recidant notionem, ac ſimplex πτύσσω, unde fruticant; ſi te pigeat Græcos Scriptores evolvere, & præſertim Homeri Odyſſeam, ſaltem lexica, & auctorum indices conſulas. Porro Græci minime ab inſita vi vocum πτύξ, & πτύσσω potuere eſſe degeneres, cum ab ultima origine, unde illæ naſcuntur, talis ſit; ἀμέτρως enim producuntur ab פתח iiſdem στοιχείοις · quæ peregrina vox in Dan. 3. v. 21. facile eſt διάζωμα, *cinctura*, qua ornabantur terni illi puelli in ignitam fornacem dejecti; & licet ῥῆσις פתח antehac paullo fuerit obſcurior in Daniele, nunc luculentior eſt, cum ejus proles πτύσσω firmet, atque utraque ῥῆσις Chaldæa, & Græca ultro citroque ſibi opem, ac lucem præſtent; neque te turbet Græca τῶν LXX. interpretatio, ubi illitum eſt πάρα, quam ſecutus eſt Hieronymus: fortaſſe in animi mente habuere ab פתח effingi facile *petaſus*, ſollemne Mercurii, & comicorum *capitis operimentum*, & ab ethnica voce *petaſus* abhorrentes appoſuere *tiara:* verum notum eſt Hebræos plurimum curaſſe *cingula:* hinc *cingulum vendidit Chananæo;* & ſæpe legimus, *lumbos præcingere*, *&c.*

Neque mireris, ſi unquam legeris, Aben Ezram vertiſſe in Dan. τὸ פתח, *ſubligaculum*, & *pallium*, quod non improbem; & advertas id genus veſtes, eo quod membra cingerent, & circa ea plicarentur, propterea Rabbinum illum eo nomine donaſſe ῥῆσιν פתח: novimus etiam a verbo *cingo* veſtes quaſdam appellatas, veluti *cinctuculus* apud Plaut. in Bacch. 3. 3. 28. quem nos Itali dicimus *grembiale:* hinc tritum eſt legere apud poetas *cinctuti Luperci*, & *Cethegi*, nec non *cinctus Gabinus;* quod intelligas de brevi veſte; & lux eſt Martiali l. 14. ep. 153. de *ſemicinctio:*

Det tunicam dives, ego te præcingere poſſum,
Eſſem ſi locuples, munus utrumque darem.

Et qui breves has veſtes parabant, audiebant *ſemizonarii*, vid. Plaut. Aulul. act. 3. ſc. 5. v. 42. Salmaſius me docuit in Hiſt. Aug. to. 1. pag. 443. *cinctos*, & *præcinctos eſſe*, *& dici milites:* id quod a Scriptorum omnium patre Homero hauſtum eſt, qui ζώννυσθαι adhibet Il. λ. v. 15. pro ὁπλίζεσθαι: ubi Zach. Bogan. in Ὅμηρ. ἑβραΐζ. ait eſſe *hebraiſmum*, cui adſtipulatur Barneſius; hinc Il. ι. v. 590. & Od. γ. v. 154. γυναῖκαι βαθύζωνοι, ne vertas cum eodem Barneſio, & Clarkio, *mulieres profunde ſuccinctæ*, quod nihili eſt, ſed *longioribus veſtibus cinctæ*, ſive *indutæ*; quin ſi conſulas uberiora lexica, tum ζώννυσθαι, tum quæ inde oriuntur voces, pro *induere*, & *indumentis* ſæpe interpretantur. Quare ſi τὸ פתח in ea notione explices, haud abnuam, etenim etiam quid in rotundum, & in gyrum flexum adnotat. Igitur etiam in vetuſtiſſima originatione πτύσσειν quid curvum & inflexum præſefert. Non mirum poſthac, ſi Græci libros appellarint δίπτυχα, τρίπτυχα, & πολύπτυχα, ſcilicet ob totidem membranarum volutationes, ſive τὰς πτυχάς. Porro Latini anti-

Digitized by Google

antiquiſſimi, vel a materia, qua ſcriptoria corpora compingebantur, *libros*, *codices*, *&c.* appellarunt, vel ab volvendi actu motuque, *volumina* dixere; ita etiam Græci βιβλία, & δελτὸς a frutice, quibus conſtabant, vel ἀπὸ τῦ πτύσσειν, *evolvere*, δίπτυχα, πολύπτυχα, &c. eoſdem vocitarunt. Neque credas Græcos ſapientioris ævi libros minime a πτυχαῖς appellitaſſe, etenim mihi præſto ſunt Pindarus in Olymp. Od. 1. circa fin. appellans *hymnorum libros* ὕμνων πτυχάς· & Euripides in Menalippe ab Stobæo Ecl. phyſ. l. 1. c. 8. p. 8. laudatus, cujus dramatici verba, quippe quæ ὑψηλοφρονέστατα, præterire mihi haud licet:


Δοκεῖτε πηδᾶν τ' ἀδικήματ' εἰς Θεὸς
Πτεροῖσι, κἄπειτ' ἐν Διὸς δελτῦ πτυχαῖς
Γράφειν τὴν αὐτὰ· Ζῆνα δ' εἰσορῶντα τὴν
Θνητοῖς διαάζειν.
Creditis delicta ſubſilire ad Deos
Alata, deinde & in Jovis membranis
Aliquem eadem ſcribere, illiſque inſpectis Jovem
Mortales judicare, ut vertit Spanhemius in adnot. in Callim. pag. 36. Atque hæc ſatis de notione, atque etymo verbi πτύσσω.

VII. Ex omnibus his, quæ de librario negotio ad ſatietatem dicta ſunt, unum mihi reliquum eſt, commonere ſcilicet, perfunctorium eſſe ſcrutari, quinam olim fuerint antiquiores libri polyptychi, an cylindrici, quod ſane ἀπόρημα pro Quiriniano Diptycho ſolvere doctiſſimus Mazochius adniſus eſt, ait enim pag. 6. *Uterque autem librorum modus ſanequam antiquus eſt, ſed uter antiquior, haud facile dixerim. At eo tandem propendet animus, ut exiſtimem hanc librorum polyptychorum rationem, quam hodie unam tenemus, fuiſſe altera antiquiorem; quod quia paucis exſequi non eſt facile, ejus rei argumenta conjeci in peculiarem Diatribam*, ſcil. pag. 32. quam legere te jubeo, utpote eruditæ antiquitatis plenam, & more ſuo eleganter conſcriptam. Fruſtra eſt, inquam, id ſcrutari, cum jam conſtet cujuſvis ætatis, & regionis homines unam quadratam librorum rationem celebraſſe, ut hodiedum, ſi Hebræos inficetioris ſæculi excipias; teretem vero raro admodum adhibuiſſe, & hic ſirpus jam enodis eſt. Laudandus tamen cl. Mazochius, qui contra tot doctiſſimorum virorum ſententiam polyptychos, ſive quadrangulos cylindricis vetuſtiores fecerit; hinc ei pronum fuiſſet colligere, invecta jam commodiori, atque aptiori compingendi libros forma, quadrata ſcilicet, & quam a natura ipſa hauſerunt, teretes deinde tum ſcriptioni, tum lectioni moleſtiſſimos parare ſtultum fore, ac inficetum; hanc alteram librorum ſpeciem ſi vir doctiſſimus pernegaſſet, omnem veritatis partem adſecutum gratularer. Verum arduum ſanequam erat contra tot eruditorum veluti agmen κυλινδρικὸν χῆμα librorum concordi fide tuentium pugnare, quos ſola vox *volumen*, ut ſæpe dictum eſt, tranſverſos egit, ut convolutos in ſemet fingerent, quanquam Hebræi, Græci, Latinique Scriptores unos

Digitized by Google

polyptychos ſemper meminerint, eorumque ornamenta externa, atque interna neſcio qua mentis vertigine ad cylindricos vi, & arte detorſerint. Hinc quiſque poſthac non ſine ſtomacho legat in elaboratiſſimo opere Henr. Trotzii nuperrime edito de pr. ſcr. orig. pag. 589. ut ceteros omnes taceam, hæc, quæ ſequuntur: *Varias fuiſſe librorum veterum formas, diverſas plane ab hodiernis, translatitium eſt: tres vero in primis hoc loco excutere propoſuimus. Alii libri dicebantur olim, Volumina; alii Codices; alii Plicatiles. Apud Hebræos, & Græcos vetereſque Romanos plerique convolvebantur libri, ſive ex plumbo ſubtiliſſimo, ſive ex pergameno, corio, charta Nilotica, bombycina compoſiti eſſent.* Contra ipſi rationum momentis fortaſſe non pœnitendis tutati ſumus, & auctores ſanequam multos vades dedimus Hebræam gentem, Græcam, Romanamque unum librorum genus amaſſe. Penes legentium arbitrium omne erit, ſi rem evicimus, modo quam a teneris didicere, ad fictam voluminum teretium formam ab animi mente deponendam proni ſint, & rationi melius, quam conſtanti tot litteratorum opinioni, atque interpretum, vel grammaticorum inſanæ multitudini parendum ament, & caveant,

Ne quodcunque volet, poſcat ſibi fabula credi.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google